

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
13 C
34

LECTIONES

IO. BAPTISTAE MONTANI VERONENSIS MEDICI PHYSICI EXCELLENTISSIMI,

In secundam Fen primi Canonis Auicennæ,

In qua agitur
De Causis, Aegritudinibus, Accidentibus, Pulsibus, & Vrinis.

Quibus præmissus est
Index *rerum omnium notatu dignarum, quæ in singulis* Lectionibus *continentur.*

CVM PRIVILEGIO.



VENETIIS, Ex Officina Erasmiana Vincentij Valgrisij, & Balthesaris Constantini.
M D LVII.

ILLVSTRISSIMO ATQVE EXCELLENTISS. HERCVLI ESTENSI DVCI FERRARIAE IIII.

FRANCISCVS Pegolotus Regienſis artium ac medicinæ auditor.



ABEMVS à Dijs immortalibus, illuſtriſsime Princeps, ut ſacræ literæ luculentiſsime nobis ſignificant, medicinam, tanquàm diuinum donum humano generi mandatam eſſe. Quibus quidem Themiſtius lucidiſsimus inter philoſophos alludens, protulit medicinam eſſe, ſicut eſt animi philoſophia, corporis perfectionem. Cuius quidem ſemina, primum ab Hippocrate Coo grauiſsimæ authoritatis viro, poſt hominum memoriam iniecta fuere. quæ mox Galenus ſolers humani corporis rimator ſtrenue, ac quàm diligentiſsimè excoluit. Poſt hos vero inter Arabes fuit princeps Auicenna, dignus nimirum principis nomine: medicæ enim facultatis primatum in florentiſsima Arabum Academia obtinuiſſe,

nuisse, luce clarius omnibus manifestum est. Qui quidem Galeni paraphrasten omnino se esse profitetur: eiusque vestigia adeò prosequutum fuisse, vt ne latum quidem vnguem procul ab illius veridicis dogmatibus recesserit. His autem nostratibus temporibus accedit & alius, qui quidem cum his ingenij magnitudine conferri posset, scilicet Clarissimus, atque Excellentissimus, IOANNES BAPTISTA MONTANVS *medicus, ac philosophus Veronensis; qui inter alias egregias ipsius animi dotes, hac luculenter profectò præditus fuit; vt Hippocratem, Galenum, Auicennamque, & vt vnico tandem verbo dicam, totam medicam facultatem candido, ac clarissimo ordine illustrauerit. Ita vt veluti lumen medicinæ, in tenebris degenti, ab omnibus additum esse censeatur. Nanque ipsorum sententias interpretando adeò intimè penetrauit, ac lucidè exposuit, vt ipsi ab illo interpretari uoluisse videantur. Vnde arbitror sententiam illam vetustissimam, quam vulgo de Hippocrate proferunt, huic clarissimo viro fore conuenientem: scilicet artem medicam sine ipso intelligi, nec prudenter exerceri posse. Multa vero præclara ab ipso edita fuissent, nisi*

immatura

immatura morte nobis ereptus fuisset. Quanquam post eius interitum, non desierint illius amantissimi, ac dilectissimi discipuli, qui lucubrationes eius in Hippocratem, Galenum, & Auicennam in lucem protulere. Quæ quidem propter eius lucidam explanationem adeo in vniuersum distributæ fuerunt, vt nunc nouis impressionibus committere necessum sit. Cum autem adhuc nobis occulta fuerit expositio illa, quã super secundam primi Auicennæ Canonis Sectionem, non paruo illius animi, ac corporis labore gessit, dum publicè medicinam Patauij, in primo loco profiteretur: ideò cum in manibus huius explanationis aliqua fragmenta habuissem, omnibus laboribus, meisque impensis nixus, cætera quæsiui: et adeo huic rei fauente Deo operam nauaui, vt omnem expositionem super hanc secundam primi collegerim, quæ quidem integerrima est, fida, realisque huius clarissimi uiri, non fucata, non ficta, nec sicut aliquæ sunt, quæ extant commentitijs referta, quæ huic tanto uiro adscripta fuerunt, quæ profana, ac irrita apud ipsum penitus erant. In hoc autem opere lenitas eius orationis adest, purum, candidumque dicendi genus. accedit quoque pulcherrimus illi

innatus, admirabilisque ordo, cum perfecta sententiarum explanatione. ideo non possumus, non nisi veridico ore fateri, hunc esse legitimum Clarissimi, ac Excellentissimi Montani opus, ab eius ore prolatum. His itaque ita collectis, ac reuisis, Illustrissime Princeps, cum diu mecum semper cogitauerim non tantum mihi utilitati, ac commoditati, sed alijs quoque fore: Ideò uolui in lucem has lucubrationes, ad studiosorum omniũ publicam utilitatem edere, suasus, ac persuasus à Clarissimo, ac Excellentissimo BASSIANO LANDO *Placentino præceptore meo (quem honoris gratia nomino) nunc summo honore Patauij Theoricam medicinæ ordinariam profitente, ideo non potui huic tanti viri consilio non parere. Sed quia, Illustrissime Princeps, apud omnes scriptores in more positum est, vt scripta omnia, quæcunque fuerint in lucem proferre non sinant, nisi sub præsidio; ac patrocinio alicuius Clarissimi; aut Illustrissimi uiri: nimirum ut maximam laudem sibi comparent, atque detractorum calumnias propellant: ideo cum in publicum daturus essem, hoc opus, sedulò aliquem clarissimum, aut illustrissimum virum inuestigare cœpi, sub cuius nomine hæc clariora, ac tutiora*

tiora redderentur. Neminem autem præter Illustrissimam Excellentiam tuam inuenire potui, cui hæc tutela conuenientior, ac aptior esset: ac sub cuius nomine lucem, splendoremq́; sibi compararet: quem tantum Principem profectò omnes studiosi, ut patronum amplectuntur, & veluti Italiæ lumen colunt, & obseruant: Cum nunquam desistas omni ingenio, ac arte, vt quibus præses, honesti, ac beati euadant. quod omnes, per florentissimum studium, quod in imperio tuo apprimè floret, intelligere possunt. Non aggrediar autem insolenter ad laudes optimi, post homines natos, ac sanctissimi principis. Mihi enim sicut Nycticoraci splendidos solis radios intuenti eueniret, qui adeo ab ipsorum lumine obtunditur, ut omnino visu ferè priuetur, sic quoque volens egregias, ac summas laudes tuas aggredi, propter illustrissimi tui obiecti magnitudinem, ingenij mei lumen, in principio prorsus opprimeretur. Id tamen tantum dicam, quod præter alias animi tui dotes, quæ de te in uniuersum prædicantur, accedunt incredibilis humanitas, atque iustitia, per quas omnes te colunt, venerantur, summisq́; laudibus ad sydera extollũt; præcipue inter alios populos imperij tui Regiẽses,

qui ſemper præclaram in te voluntatem præ ſe tulerunt. Cum autem huius fideliſsimi, ac amantiſsimi tui populi vnus eorum ſim, propter patriũ amorem, à cunabulis uſq; in me, erga Illuſtriſs. Excellentiam tuam inſitum: propterq; beneficia tua erga maiores meos collata, miro deſiderio flagrans, ut aliquod publicum oſtenderem ſignum, quod eſſet veluti meæ in tuam Illuſtriſsimã Excellentiam voluntatis obſeruantiæ, & amoris teſtimonium, laboraui. id quod, cum alia ratione facere non mihi fuerit opportunum, has ſaltem lucubrationes nomini Illuſtriſsimæ Excellentiæ tuæ conſecrare, ac deuouere volui. Oro igitur obteſtorq;, Dux Ampliſsime, ob tuam humanitatem, ac ſingulares virtutes, vt à me, tuo Regieñſi digneris hilari fronte hoc exiguum munus accipere, quod equidem diſpar, & non dignum eſt tua Illuſtriſsima Excellentia, licet multo nitore ſplendoreque fulgeat; tamen ſatis habeo, vt tibi magni animi mei declaretur propenſio. Vale Deusq; optimus maximus feliciſsimam, ac diutiſsimam vitam tibi præſtet: meq; in eis, qui tibi dediti, & obſtricti ſunt, numerare digneris.

INDEX

INDEX, SIVE ARGVMENTA RERVM OMNIVM notatu dignarum, quæ in hisce lectionibus Ioan. Baptistæ Montani continentur.

In Lectione 1. Pagina 1

proprias. quæ prima pars ab ipso dicitur scientia scientialis et theorica. alia pars methodi Auic. est quæ dicitur modus & artificium operandi secundum methodum & rationem. hæcq; consistit inuentis et ostēsis paßionibus per suas causas, etc.

Nisi sciuerimus subiectum quid sit & quale, non poterimus scire paßiones alicuius subiecti, quæ quidem omnino sciendæ.

Qui non didicerunt uniuersalem methodum, & praxim addiscunt, peßime faciunt.

Causa quid apud medicos, philosophos, dialecticosq;.
Fixio causæ quid apud Auic.

De causa conseruante, efficienteq;.
Ordo naturæ diuersus est ab ordine doctorum, &c.
Sanitas & ægritudo quid.
Facultas quid.

Vertigo quæ ægritudo est.
Symptoma, accidens, paßio, signum, quam differentiā inter se habeant.
Ε πιγένημα quid? est id quod generatur post generationem morbi, & sequitur morbum qui præcedit natura symptoma.
Symptoma,

Accidens,

Accidens,
Paßio,
Signum, quid.
Auic. elegantißimus est in sua lingua & utitur maxima loquendi proprietate.
Colica,
Peripneumonia quid.
Dolor est genus per se.
Causæ procatarticæ siue
Primitiuæ quæ? sunt quæ extrinsecus adueniunt, ut sex res non naturales.
Causæ corporeæ sunt illæ, quæ intrinsecus sunt in corpore humano, ut humores crudi uel deprauati.
Causa antecedens &
coniuncta, quæ.

In quarta 41

Symptomata quæ consequuntur morbum, sunt in duplici differentia: quando est
Parhognomonica necantia immediate ægritudinem: quædam dicuntur signa communia.
Catarrhacta,
Hypochyma,
Suffusio,
Descensus aquæ ad oculum, Idem est.
Contra Iacobum Forliuiensem de receptaculis, sed receptacula intellexit Auicen. propria uasa quæ sunt in tunica coniunctiua, quæ est repleta uenis.

curatur morbus.

Vtrũ accidens poßit esse causa & poßit esse morbus.

Accidens potest considerari dupliciter

Ex dolore depauperantur spiritus, ex defectu spirituum contingunt syncope & animi deliquia, et ita dolor potest esse causa multarum ægritudinum, cũ tamen sit accidens. est enim actio læsa, cum sit tristis sensatio.

Exiens mutatum facit multas ægritudines ut sanguinis profluuium:

quid est dolor, & unde prouenit.

Auic. posuit doloris duas causas æque proprias & adæquatas, scilicet malam intemperiem & solutionem continui.

Syncope est lapsus uirium.

Epilepsia
Apoplexia
Paralysis
Tremor. } *quid*

In septima 80

De diuisionibus dispositionum corporis humani, et de generib. ægritudinum. Cap. II.

Sanitas quid:

Aegritudinis definitio.

Dispositio neutra est in corporibus senum & puerorum.

Corpus neutrum quod.

Dispositio media quæ.

Vertigo est morbus in corpore neutro.

Auic.

Auic. in Arabico sermone multum est elegans.
Auic. fuit translatus primo de lingua arabica in hebream, postea in Hispanicam, postea in Latinam a quodam ignaro.
Corpus νοσερόν καὶ ὑγιεινόν, idest ægrotabile salubre quid.

In octaua 94

Dispositiones corporis humani sunt tres sanitas, ægritudo, neutrum.
Aegritudo tripliciter diuiditur.
De morbis acutis, chronicis, medijsq;.
Morbus est genus æquiuocum ad simplices & ad cõpositas ægritudines.
Aegritudo diuidenda est etiam penes subiecta.
Aegritudo uel est in complexione, uel in compositione, uel in solutione continui.
Pleuritis cum febre est morbus simplex.
Pleuritis cum febre pestilentiali est morbus complicatus & compositus quoniam medicus prius debet attẽdere febri pestilentiali, deinde dolori.

In nona 105

Partes similares appellantur etiam primas partes corporum.
Aegritudo quid, & quotuplex.
De partibus similaribus & dissimilaribus, seu instrumentalibus, seu organicis, multa.

Aegri-

In xiii. 155

Vbi alij adducunt autoritates supra autoritates, nunquam ego in ipsis uolui confidere, imo potius adduco rationes quæ pro parte tali possunt adduci. nam uera ueris semper consentiunt..

Nullum instrumentum ex una tantum similari parte constitutum est.

De ægritudinibus compositionis.

Qui habent magnam concauitatem uentriculi, sunt ceu boues nunquam saturi.

Habentibus uentriculos minores quam oportet, aduenit epilepsia & ij sunt mali ingenij.

Cur habentes paruum caput, sunt sine iudicio.

Multi errores Auic. ascripti, sunt interpretum eius.

In xiiii. 176

Siccitas arteriæ & asperitas facit ad uocem commodiorem edendam.

Raucitas fit propter lenitatem arteriæ.

Anasarcam patientes omnes moriuntur.

Natura non abundat in superfluis, nec deficit in necessarijs.

In

In XXII. 296

Gan-

Ganglia, *seu*
Nodi, *quid*
Plumbum et reliqua ponderosa non imponantur scrofulis, nec alijs apostematibus, nec calidum, nec frigidum. at conuenit nodis.

In xxiii. 309

Diuisio apostematum frigidorum.
Quomodo durum fit tripliciter.
Hißiliæ quid.
Epiglotis Arabum est Larinx Græcorum.
Hernia } quid.
Ramex } quid.
Cele } quid.
Morbus in situ est cum aliquod membrum mutat suũ locum, & ad alium cedit, ut in ramice omentoso, nam omentum descendit in scrotum.
Hydrocephalõ est apostema aquosum in capite.
Inter Cachexiam &
Inflationem quæ differentia.
Flatus & uapores incrassati uertuntur in pluuiam & aquam.
De hydrope &
Cachexia.
Pustulæ, seu bothor sunt apostemata cutis.
Variolæ quid
Desudationes sunt pustulæ paruæ quæ æstate fiunt propter sudorem, ὑδρόα, le ferse

Efferæ quid.
Formicæ quid.
Clauuus, dicitur il
Callo,
Verruca, dicitur il
Porro.
In curationibus istarum pustularum fallitur etiam ita lib. 4. Auicenna.

De decoratione, pediculis, lendinibus, & similibus.
De uaris, seu
Gost.
Herpes miliaris.
De scabie, seu
Psora.
Epinictides Græcorum est
Planta noctis arabum.
Vesica uertosa, seu
Phlectides.
Ampullæ aquosæ, seu
Hydatides
Voladeghe.
Efferæ cutaneæ.
Morphea alba & nigra, seu
Alphus albus uel niger, seu
Vitiligo alba, uel nigra.
Morbilli Cutanei, idest

Vt

ad recipiendum contagium, alij non. & ratione fortitudinis uirtutis agentis.

Contagium est uenenum propter putredinem.

In XXXIIII. 440.

Contagium est affectus transiens de subiecto in subiectum mediate uel immediate, per conuenientiam ipsius materiæ, & disconuenientiam, siue contrarietatem ipsius formæ mediante alteratione caloris indebite excoquentis humidum ipsum subiectum.

Contagium est affectus destructiuus substantiæ.

Febris putrida,

Pestilens simplex.

Pestilens hectica,

Pestilens pernitiosa.

Cum substantia cordis putrescit, homo statim moritur.

Non possumus cognoscere gradus ipsarũ complexionum, hoc solus Deus nouit.

Vbicunq; est putredo, ibi est destructio substantiæ.

De scabie.

De morbo Gallico.

Cur sunt quædam ægritudines quæ dant contagium per quoddam medium, & ex his non solum per medium alteratum realiter, sed etiam solum formaliter. quædam autem sine medio ita quòd non communicãtur alicui, nisi corpora ambo se contan=

tangant. quædam autem quæ uix quoq; communicantur per contactum immediatum.

Lepra non solum alterat realiter ipsum medium propinquum, ut uestes, sed etiam aerem longinquũ, adeo ut poßit recipi in aliquo corpore cum infectum sit ab aere, qui est infectus per uapores in ipso congregatos exhalantes ex corpore alio.

Phthisis cõmunicatur de uno corpore in aliud per aerem medium inspiratũ præcipue si materia in corpore alio parumper sit parata.

Ophthalmia est morbus contagiosus.

In xxxv. 453.

In contagio semper necessaria est destructio substantiæ.

De contagio per medium formaliter .i. per speciem incorpoream.

Magnes trahit ferrum, solum per speciem diffusam in medio.

De magnete.

De electro.i. Ambra.

Fere omnes docti aiunt a proprietate occulta prouenire quòd una res magis aliam amat quàm aliam, & uni noceat, non alteri.

De imaginatione, miracula.

Imaginatio maxime potest & in materia propria, & in aliena.

Cur mortuo homine idest occiso ab aliquo, si interfector

ctor accedat & sanguis sisterit, iterũ tamen præsente interfectore sanguis fluit de illo cadauere? Hoc est propter imaginationem illius de uulnere illato & emißione sanguinis.

Ideo non sepeliatur interfectus per aliquod tempus, ut si interfector accedat, cognoscatur quis sit ille, quoniam cum interfector accedit, sanguis exit propter illam imaginationem.

In XXXVI. 467

Consensus fit per conuenientiam in uijs.

Natura rei est illa ex qua manifestatur opinio uera, uel falsa.

Galenus posuit nouem gradus dispositionum, quorum graduum nonus perfectißimus est. qui est tãquam regula & exemplar omnium aliorum graduum. alios uero gradus imperfectos existimauit. secundum enim quod magis ad illum nonum accedunt, tanto magis perfecti sunt. quanto ab illo recedunt tanto sunt imperfectiores.

De gradibus dispositionum.

De ægritudinibus sanatiuis & non sanatiuis.

In XXXVII. 478

Aegritudo similis ipsi corporis temperaturæ, ætati, & tempori in quo accidit, melior est, quam quando est dißimilis.

De

De ægritudinibus multa.

In XXXVIII. 495

Varicæ quid.
Podagra
Chiragra
Dolor coxendicum
Epilepsia quid & quibus fiunt.
La quartana i uecchi ammazza & i gioueni sana.
Spasmus nil aliud est nisi epilepsia uniuersalis.
Spasmus sanatur per scabiem & papulas.
Diarrhœa simplex sanat apostema lateris si needum materia est impacta.
Venæ hæmorrhoidales nascuntur non a uena caua sicut dixerunt anatomistæ, sed nascuntur à uenis ipsius lienis, ut mihi Vessalius ostendit in anatomia.

In XXXIX. 510

Apostema lateris est.
Pleuritis seu
Pleuresis, seu
Inflammatio lateris seu costarum.
Peripneumonia dicitur ab Auic. apostema pulmonis.
Peripneumonia quoniam est in pulmone membro nobiliore quam membranam lateris, ideo etiam est periculosior quam pleuritis.
Propter debilitatem uirtutis de pleuritide fit peripneumonia.

pneumonia.
De contagio, multa, & quot modis fit.
Oculum ophthalmicum si quis sanus intueatur, corripitur ophthalmia.
Omne acetosum stupefacit dentes.
Patientes albaram albam, phthisin, lepram seu elephantiasim, tineam naturalem & podagram, & dolores articulorum, propter infectionē sanguinis & spermatis, generant filios iisdem morbis infectos.
Albara &
Morphea idem
Alphos leuce
Vitiligo alba
Albaras alba
Patientes ophiasin naturalem, gignunt filios eadem infectos.

Lectio 40. In doctrina secunda Fen secundæ cap. I. De causis. 524

Causæ salubres, sunt quæ sanitatem facere possunt, insalubres, quæ ægritudinem, neutræ quæ neutram dispositionem.
Definitio causæ secundum Galenum, causa est quæ aliquid confert ad generationem ipsius rei.
Causa quotuplex secundū peripateticos & Platonē.
Causa proprie & per se
Causa per accidens.

In XLI. 534

Maxime confert ut medici cognoſcant cauſas.
Recte nunquam curabitur morbus incognita cauſa faciente morbum.
Cauſæ contentiuæ ſeu continentes ſunt intrinſecæ apud antiquos dictæ.
Conſeruantes cauſæ.
Procatarcticæ.i. primitiuæ ſunt extrinſecæ.
Intrinſecæ ſunt προηγούμεναι *id eſt antecedentes.*
Cauſa contentiua hoc habet ut poſita ipſa effectus ponatur, & remota ipſa effectus remoueatur.

In XLII. 542

De cauſis cuiuſuis generis.
De rebus naturalibus & non naturalibus.
Scire diuiſiones cauſarum, quantum proficiunt medico?

In XLIII. 552

Cauſa coniuncta Auicennæ, *non eſt* συνεκτική *id eſt contentiua, ſed eſt illa inter quam & effectum nihil intercedit.*
Cauſa coniuncta eſt illa quæ immediate præcedit effectum.
De cauſis rebusq; naturalibus & non naturalibus.
De conuenientijs & differentijs cauſarum.

17

Quæcunque calida sunt arte maxime ignis semper agunt, semper nutriuntur, semper generantur, & semper corrumpuntur, semper in motu sunt.

Ipsi spiritus continue agunt, semper generantur sem per corrumpuntur.

Ex aere spiritus & calor naturalis nutriuntur.

Continue quidẽ & semper spiritus nutriuntur, sicut eodem modo continua est nutritio ipsorum anima lium.

Spiritus est uerum domicilium animæ.

Omnia sunt mista in hac sphæra.

Aqua si esset simplex non nutriret.

In XLVII. 618

Aer quot habeat significata.

Spiritus non sunt anima, sed proprium domicilium ipsius animæ.

Auicenna intelligit per spiritum non illam animam se cundum philosophos antiquos, sed substantiam me diam inter corpus & animam, quam alio nomine appellamus calorem naturalem.

Dilatatio & diastole idem.

Constrictio & systole idem.

Definitio dilatationis & constrictionis.

Mundificatio spirituum & eorum euentatio quid

Quot modis spiritibus ignescant.

In XLVIII. 632

In XLIX. 644

In L. 654

In LI. 670

Galenus nil aliud cupiebat, nisi nomen primi medici sicut philosophi primi nomen iniunctum est Aristoteli.

In LII. 684

De temporum temperiebus.

Antiqui philosophi posuerunt rarum & densum esse principia rerum, Aristoteles *uero posuit calidum, humidum, frigidum, siccum esse principia quatuor rerum naturalium, quoniam sunt principia generationis, & sequutus est* Platonem *&* Hippocratem.

Rarum & densum immediate sunt mutantia ipsius substantiæ.

Ad raritatem sequitur caliditas.

Ad densitatem sequitur frigiditas.

Ait Montanus, *dico ego quòd rarum & densum sunt immediata principia mutationis rerum naturalium: Item quòd calidum frigidum humidum siccum sunt causæ intrinsecæ ipsius rei naturalis.*

In LIII. 700

Contra aliorum placita de autumno (Montanus *ait) ego dico quòd autumnus non est temperatus, imo est inæqualis, sicut dixit poeta ille: & inæqualis autumnus.*

Duplex est humidum aliud substantiale, aliud infusionis

19

nis secundum Arist.

Non credatis mihi, sed rationibus, demonstrantibus.

In LIIII. 714

Habitus est duplex, nam alius est de prima specie qualitatis, alius est de alio genere prædicamentali.

In LV. 730

Vbi desinit philosophus naturalis, ibi incipit elegans medicus.

Cum hyems est secundum naturam, est potius sicca quàm humida nec facit plurimas pluuias.

In hoc capite corruptus in multis locis est Auicennæ textus.

In LVI. 743

De iudicijs temporum & eorum mutationibus.

Vt se habet corpus, ita se habet anima.

Quomodo intelligendum contraria contrarijs curantur, & similia similibus conseruantur.

Simile dupliciter capitur, uel in concreto uel in abstracto.

In LVII. 757

Caliditas & humiditas est mater putredinum.

Pu-

In

In LXI. 812

De accidentibus doctrinæ tertiæ, Fen secundæ libri primi est principium.
De pulsibus multa.

In LXII. 823

Auicenna de pulsibus doctissime, peritissime & breuissime egit.

FINIS.

LECTIO EXCELLENTISSIMI D. IO. BAPT. MONTANI IN SECVNDAM FEN *PRIMI CANONIS* AVICENNAE.

De doctrina causæ, ægritudinis, & accidentis. Cap. 1.



Icamus, quòd causæ in libris medicorum) *Cum iam propositum fuisset à nobis, si recte memoria tenetis, usq; etiam anno elapso nos interpretaturos istam secundam Fen, huius primi libri, quem præ manibus habemus, & cum iam desiuerit hæc lectio, uisum est operæprecium, immo etiam ferè necessarium pro docilitate uestra, atq; etiam ut magis sitis attenti ad rem, ostendere quemadmodum huius prima Fen quatuor habet conditiones aduertendas à nobis. Prima attinet maxime ad partem Theoricam. Secunda q, ea quæ quæruntur in hac Secunda Fen, sunt ualde necessaria futuris medicis, ut sine his nullus esse poßit medicus. Tertia q, ordine doctrinæ necessario continuetur primæ Fen. Quarta & ultima, quòd cognitio earum quæ traduntur in prima Fē, sine cognitione eorum quæ traduntur in hac secunda,*

 omni-

omnino frustratoria & mutilata sunt, instar manus à suo corpore auulsæ. Vt igitur omnia recte sciantur ex suis principijs, aduertatis discursum nostrum nunc faciendum, in quo obiter multa cognoscetis, plurimũ conducentia ad artem, unde uos præparabimus ad ea quæ postea sumus tradituri. Primum scire oportet, quemadmodum unusquilibet medicus futurus, & hoc etiam commune est omnibus artibus, tria esse præsup ponenda, sine quibus non præsuppositis, non poterit sibi constare qui artem aggreditur, sed uagabitur mo do huc, modo illuc. Primo præsupponat dogma, quod in ea arte sit sequuturus: nam quælibet ars habet pro pria dogmata, qualia præcipue habet ipsa Medici- na: Et ideo antequàm uelit quis aggredi artem ali- quam, is debet primum considerare dogma suum, & ipsum cognoscere. Secundo oportet proposito sibi dogmate, inuenire methodum, & artificium, quo re- cte progrediatur in illa arte, & recte posit consequi finem suum intentum. Tertio oportet habere empi- riam quandam .i. modum, quo deueniat ad praxim ar- tis .i. ad opus ipsum. Sine istis tribus male constabit sibi medicus futurus. Iste discursus non est nouus, nec sunt etiam nostra ista, sed antiquorum. uideatis inter reliquos Diuum Hieronymum in epistola sua ad Pau linum, quæ præponitur suis libris, qui describit ista tria, uir doctißimus certe. Quantum ad dogma Auicennæ quem præ manibus habemus, certum est fuisse dogma quod rationale appellatur. triplex enim numero dogma est in arte medica. Primum & præ-

cipuum

cipuum est rationale. Secundum empiricum. Tertium methodicum. de istis tribus non faciam nunc diligentem sermonem. non enim hoc locus requirit. sufficit tangere necessaria. Omisso empirico dogmate quòd etiam reuelatur à Galeno, & Auicenna, atq; et longe magis dogmate methodico, qualis fuit Thessalus insanus: Proponamus dogma rationale, quod sequitur etiam Auicenna, & fuit inuentio Hippo. ut testatur ubiq; Galenus. Istud dogma in quo consentit Auic. primum est, ut cognoscatur subiectum artis, circa quod uersari debet medicus, est enim proprium huius dogmatis ut proponamus subiectū circa quod uersatur. quod constat esse corpus humanum sanabile et ægrotabile, ut dicemus postea. Proposito igitur corpore, ille qui dogmaticus est, considerat omnes passiones huius subiecti, & illas cognoscit per suas causas: quibus cognitis aggredi debet modum curandi. Istud est dogma proprium quod docuit Auic. & Gal. Igitur qui ingrediuntur has Scholas, oportet ut ingrediātur hac ratione non ob aliam. Hoc enim abs re dixi. scio enim plures huc accedere siue ob paupertatem, siue ob imperitiam, siue maleuolentiam, ut uelint esse medici, qui tamen nesciunt quam scientiam & dogma uelint sequi: & cum accedunt. ad dogmaticos medicos quærunt receptas ab illis, uel contempta ratione & theorica accedunt ad empiricos. Propterea debent sibijpsis proponere quod dogma uelint sequi, & si empirici esse cupiunt, non accedant ad scholas nostras, quia frustra ueniunt, sed accedant ægrotos, a-

pud quos receptas addiſcēt,ut recte Gal. in libro Therap. Quicunq; propter ingenij ineptitudinem uel ſorditiem quæſtus ad artem medicam accedunt, tales à dogmaticis debent recedere, & ad empiricos accedere. Ergo oportet primo dogma digerere, & poſtea ad reliquas partes. Vbi aliquis præſuppoſuit rectum dogma, quale eſt Auic. debet ſecundo quærere methodum & artificiū, per quod conſequatur ſuum finē, et poſtea accedere ad praxin, ad empiriam. Quā docte fecerit omnia Auic. apparet tum ex his, quæ anno ſuperiori diximus, tum ex his, quæ hoc anno dicturi ſumus. De dogmate igitur conſtat Auic. fuiſſe rationalē, proponere .ſ. ſubiectum & de illo quærere paſſiones ſubiecti proprias. De methodo oportet uidere: qua methodo docuit hanc artem. Circa hoc ſcire debetis Auic. ſibi proponere methodum duplicem .i. ſub duabus partibus. uidetur enim habere duas præcipue partes hæc methodus. In prima parte huius primi methodi docet Auic. modum & artificium quo cognoſcere poßimus & ſciamus oſtendere & explicare paßiones de ſubiecto ſibi proprias. hæc eſt prima pars methodi, quā ille in proœmio primæ Fen appellauit ſcientiam ſcientialem, & alio nomine appellauit partem theoricam. Alia pars methodi Auic. eſt, qua dicetur modus & artificium operandi ſecundum methodum & rationem: & hæc conſiſtit inuentis & oſtenſis paßionibus per ſuas cauſas. Aggreditur poſtea ſecundam methodum, in qua conſiderat quomodo poßimus conſeruare paßiones in corpore huma=

humano quando sunt secundum naturam, & naturales, & inuenire illas easdem, quando sunt præter naturam, & deinde inuenire etiam per eandem methodum materiam & instrumentum qua id commode facere poßimus. Ista est methodus integra ipsius Auic. quæ est duobus modis proposita, sicut iam diximus. Videamus modo primam partem diligentius quàm recte obseruauit & Auic. Diximus primam partem methodi uersari circa hoc ut ostenderet per suas causas demonstrãdo tum à priori, tum à posteriori paßiones de subiecto. Si debet hoc fieri præsupponit subiectũ de quo oportet scire, quid sit & quale sit, quod scitis ex philosophis & didicistis in alijs scholis. Cum ergo supponatur subiectum prius antequã paßiones ostendamus, sciamus quid sit & quale, nisi enim sci uerimus subiectum quid sit & quale sit, non poterimus scire paßiones alicuius subiecti, ut 8. physi. 22. optime dicebat Auerrois. nõ habet, inquit Auerrois artifex sermonem, per quem loquatur cum negante sua principia sui subiecti. Igitur supponendum est, quid sit subiectum & quale sit, non quidem per suas causas, quatenus tale sit: quia hoc ad artem superiorẽ spectat, ad physicam. s. Vnde est quod medicus futurus sit primo physicus: quia ubi desinit physicus, ibi incipit elegans medicus ex sententia Aristotelis de sensu & sensibili: merito dixit elegans. oportet igitur ista principia didicisse ab arte superiori, nõ ab arte quæ supponit istud subiectum. Auicennã igitur oportuit primo ut proponeret sibi subiectum & consi-

Auer.

deraret quid nam esset, & quale esset hoc subiectum, non probando, sed tanquàm per historiam, quod optime fecit in prima Fē. sicut anno elapso docuimus, ubi supponit subiectum quoad quid est: Dicendo quod me*dicina est scientia qua dispositiones humani corporis &c.* Videatis *quomodo* Auic. *præsupponat subiectū quoad quid est corpus humanum, cum dicit ex parte qua sanatur &c. i. quatenus sanabile & ægrotabile &c.* Proposito *subiecto uoluit ostendere quale sit quid dicatur per sua principia quæ non probat:* Qua*propter alios carpit, ut* Galenum *quòd hæc probare uolunt, quia dicit hæc ad su periorem scientiam specta re, ad physicum. s. & ibiexplicat principia sua. per omnes causas.* Vidistis *quæ essent elementa humani corporis proxima & remota, & quomodo remota essent quatuor elementa omnium rerum uniuersaliū principia, & proxima ipsi humori.* Vidistis *causas formales. i. temperaturas, finales ipsas operationes, & quid sint spiritus, per quos anima immediate operetur: ita tandem considerauit suum subiectū quoad quid est & quale quid, sine aliqua probatione propter quid,* Immo *historice hoc tantum declarauit ut audiuistis anno superiori. Sed cognito tātum subiecto quoad quid est & quale, quid sequitur? sequitur quòd si hoc tātum cognosceremus istud subiectū quid sit & quale sit, & propter quid sit, nullius sciētiam penitus in arte medica haberemus, si non cognoscamus per sua principia subiecti paßiones, nihil enim aliud uult propria cognitio alicuius scientiæ, nisi cognoscere*

gnoſcere paßiones proprias de ſuo ſubiecto per ſuas cauſas. Quomodo igitur Domini *ſi anno tantum elapſo nos conſiderauimus ſubiectum quo ad quid, et quo ad quale, poſſumus eſſe medici, niſi cognoſcamus quã to artificio debeatis oſtendere paßiones de ſuo ſubiecto? Iſta omnia docentur. ſicut enim iam declaratũ fuit in prima* Fen, *ſubiectum quo ad quid & quale, ita in hac ſecunda* Fen *oſtendemus, quæ ſint paßiones huius ſubiecti, quas cauſas habet ſecundum omne genus cauſarum, quibus ſignis depræhendamus.* Igitur *agetur in hac ſecunda* Fen *de diſpoſitionibus omnibus tam naturalibus quã præter naturam, de cauſis, & de ſuis ſignis. Quibus habitis, habuiſtis hactenus primam partem huius methodi quæ dicitur ſcientia ſcientialis, uel pars* Theorica *quæ continetur in iſtis duabus* Fen. Igitur *non oportet ſi legimus primam* Fen *omittamus hanc ſecundam, quæ eſt perfectio primæ.* Iam *apparet manifeſte quod intendebamus, quod iſta* Fen *attinet ad partem* Theoricam, *in quibus eſt perfectio totius* Theoricæ. *Secundum erat propoſitum, quantum erat neceſſaria cognitio earum quæ traduntur in hac ſecunda* Fen *primi continuetur ita, ut huius, talis ſit continuatio, ut ſine hac non poßimus peruenire ad artem medicam, oſtenduntur in hac paßiones de ſubiecto. Quartum quod erat propoſitum,* Videlicet, *quam ſit neceſſaria & utilis iſta* Fen *in arte medica. hæc omnia erant propoſita. ſed perficiamus totum diſcurſum* Auicennæ. Dicebamus *igitur quòd ſecundum quod erat à nobis proponẽdũ,*

erat methodus: uidelicet, quæ duas partes habebat. in prima parte diccbamus tractaturi artificium rectũ cognoscendi paßiones de suo subiecto, & quod tota pars erat theorica: secunda pars in qua docetur methodus recte operandi & ista considerat ut conseruemus paßiones existentes in ipso corpore, & est ipsa sanitas. Exempli gratia, quæ debet conseruari. Recte igitur in tertia Fen tractat Auic. omnes modos, omnem artem conseruandæ sanitatis. Deinde erat altera pars operandi in ægritudine remouenda quando adest, quæ perfectißime tractatur ab ipso Auicen. in quarta Fen. Tertium erat inuenire per eandem methodum instrumenta quibus commode nos poßimus peragere, conseruare & curare: quæ omnia tractãtur in primo tractatu secundi libri. Ista methodus cõtinetur in libris Auicennæ. Prima est ubi consideratur subiectum: alia pars methodi est discursus naturalis & doctrina: artifex discurrit: sed conclusio syllogismi est opus, in ista parte methodi habet suum artificium, sed ista methodus dirigitur in operationem, ideo dicitur practica scientia operabilis non sciẽtialis & est in tertia Fen & in quarta primi, & practici deberent eã docere, sed cur dimiserint, uiderint illi, qui eam dimittant, tenentur enim eam prælegere ex statutis, sicut & quartam primi, quæ magis practica est quam nonus liber ad Almansorem, uel prima quarti de febribus Auicennæ, qui libri attinent ad Empiriam & experientiam potius. Nam ubi medicus di dicit totum artificium medendi in prima, secunda, ter

tia,

tia, & quarta Fen, *nihil aliud ipsi deest, quam ut dirigat studia sua ad opus in rebus particularibus quod diuinus noster Auicenna fecit; nam ubi artificium in prima, secunda, tertia, & quarta* Fen *docuit, aggreditur tertium librum, ubi docet methodum illam uniuersalem applicare particularibus, & ideo ista ultima pars attinet ad eos, qui recte didicerunt methodum, postmodum accedant ad opus & magis studeāt his libris quando uolunt mederi actu.* Et *si hoc ordine progredientur scholares, per se possent exercere praxim. Sed si absq; eo quod didicerunt uniuersalem methodum, praxim addiscant frustra addiscunt, quia uolunt sine fundamentis fabricare, & sine alis uolare, & propterea meo iudicio pessime faciunt isti* Domini *practici qui non legunt quartam* Fen *primi.* Hæc *quantum ad uniuersalem discursum. quibus uisis nunc modo diuino auxilio implorante deueni mus ad declarationem huius* Textus.

DICEMVS quòd causæ) *Notetis miram breuitatem ipsius Auic. statim enim aggreditur rem ipsam absq; continuatione aliqua, quam debebat continuasse per diexodon hoc modo. Cum in prima* Fen *huius primi libri proposuerimus quid sit subiectū in hac arte medica, quale etiam subiectum, appellauit propterea Auic. primam* Fen, *librum subiectorum medicinæ, ita enim ipsemet inscripserat: Consequens est ut nunc pertractemus de dispositionibus eiusdē subiecti & de suis causis, & de signis per quæ demonstrari possint huius causæ & c.* Hæc *est continuatio, sed*

cum

cum sit ita breuis Auic. non occupatus de studio loquendi & elegantia, posuit tantum necessaria, statim aggreditur rem sine continuatione & dicit (Dicemus) *Circa istam partem uos debetis primo annotare rectum discrimen Auic. qui separat distinctiones huius nominis causa, at medici considerant consideratione dialectici & physici naturalis, nam aliter dialecticus aliter physici naturales, aliter medici hoc nomine causæ considerant. igitur recte considerauit discrimen hoc, nam physicus causam proponit in quadruplici genere, Dialecticus præmissas causas conclusionum, non ita tantum considerat eam medicus, & quamuis Auic. ista quarta genera causarum præsupposuit tractans de singulis, ut audiuistis superius, tamen medicus quando ad opus ipsum accedit nullam aliam causam considerat quam causam efficientē, bene considerat ex forma & materia causas intrinsecas morbi, sed quando uult curare morbū accedit ad causam efficientē, nā per remotionem causæ efficiētis, siue sit proxima uel coniūcta, immediata siue procatartica licet procatartica nō multū ad partem curatiuā cōducat. Semper tamen medici intētio est ad remotionē causæ efficientis; Idcirco medicus considerat causam efficientē principaliter. inde est quòd Gal. in tertio libro artis paruæ ubi agit de causis morborum, de nulla alia meminit quā de efficiēte, proposuit illa sex genera causarum alternantiū, quæ causæ omnes sunt in genere causæ efficientis si uolumus conseruare sanitatem & ægritudinem remouere. Item in lib. Therap.*

rap. causas efficientes tantum intelligit. ergo merito Auic. distinctionem causarum considerauit secundum medicorum, dialecticorum & physicorum considerationem distinctam & dixit (Quod causa in libris medicorum est) Causa est id quod prima est, si igitur nos uolumus esse medici & non physici, dicimus quod eum nihil aliud est nisi illud quod primo est, & ex quo prouenit inuentio alicuius dispositionis in corpore &c. ergo causa duas habet conditiones. Prima quod sit primo ante suum affectum: secunda quòd ex præsentia huius sequatur affectus. Ita duo requiruntur ad causam efficientem, quantum attinet ad medicum & nulla alia consideratio causæ requiritur ad causam efficiētē, licet multiplex sit apud metaphysicos & physicos igitur nos tanquā medici erimus contenti causa efficiente. Hic non quæro quomodo causæ se habeant ad suum affectum, quæ sunt quæstiones dialecticæ: nos non consideramus causam ut est relatiuū ad suum effectum, sed prout est productiua alicuius affectus. oportet primo ut sit causa efficiens in actu, ut producat effectum qui est in potentia, non potest prouenire in actu sine auxilio causæ: & ideo causa efficiens semper est in actu, & de ista loquimur nūc. Causa itaq; habet istam primam conditionem, ut sit primo, deinde efficiat hanc ægritudinem quam incurrit homo. Exempli gratia ex alteratione aeris et mala ratione uictus: semper enim præcedit causa suum effectum, ergo oportet ut causa primo sit, secundo oportet ut ex præsentia ipsius sentire inueniatur di-

xit.

xit. (Ex quo, prouenit inuentio) *medice loquitur* Auic. *nec sufficit producere effectum, sed oportet ut inueniatur per sensum, nam medici non dant sanitatem, nisi sensibiliter appareant operationes bonæ secundum naturam, non morbum, nisi sensibiliter lædat &c. & semper secundum sensum determinant dispositiones existentes in humano corpore, nõ quod imaginentur; & ita bene dixit inueniantur.* Ex *quo apparet inuentio alicuius dispositionis, tunc erit effectus productus a causa apud medicos, igitur duæ cõditiones causæ efficientis apud medicos attribuuntur.* Primo *ut sit proportio, deinde ex præsentia eius appareat effectus sensui.* Deinde *dicit* (Aut eius fixionis) *dimittam longas ambages modernorum, quibus occupantur circa hanc partem, nam si uellem omnes adducere, & adductos confutare, non hæc lectio sufficeret, sed pluribus opus esset, & tandem frustra laboraremus, credo etiam esse optimam uiam docendi, ut reiectis inutilibus quæstionibus rem ipsam arte & methodo tradamus* (Aut eius fixionis) *quid uult inuentio alicuius dispositionis in humano corpore, aut alicuius fixionis? fuerunt nonnulli, qui interpretati sunt, ita hunc locum, ut* Auic. *inteligeret de duobus generibus causarum efficientium, de genere causæ procatarticæ, & de genere causæ antecedentis & dicunt quod causa procatartica fict, & apparent tunc dispositiones in humano corpore, ut si uerbi gratia quis comederet fructus multos immaturos, statim apparet dispositio præter naturam, non*

ta=

tamen adhuc figitur, sed quando ista perseuerauit, & cum antecedens mouetur, ita ut producat ægritudinem fixam & permanentem, illa est secunda causa quæ dicitur fixio.causæ. s. corporeæ a qua dependet ægritudo illa est fixionis causa. Alij *aliter interpretati sunt & dicunt q́, Auic. respexit duo genera dispositionum. altera est dispositio* κατὰ σχέσιν *altera* κατὰ ἕξιν. *Dispositio* κατὰ σχέσι. *i. per habitudinem quæ non est fixa in corpore humano, sed est lubrica dispositio.* κατὰ ἕξιν *est dispositio fixa. i. per habitum.* H*æc duæ dispositiones in 5. de tuenda sanitate à Gale. exactè traduntur, licet alibi sæpe etiam. Merito igitur cũ sint duæ dispositiones, oportet quod habeant causas diuersas. Alia est causa secundum habitudinem, alia est quæ inducit dispositionem fixam, & ita quocunq; modo uultis interpretari hæ expositiones non sunt alienæ à ueritate, eligatis modo, quam uultis.* Iam *intellexistis quid inuentio & dispositio fixa.* Ista *sufficiant ad simplicem expositionem huius literæ: nunc tantummodo declarabimus literam cras mouebimus difficultates aliquas si quæ apparebunt. deinde continuabimus reliquum textus.*

LECTIO SECVNDA.

VIDEBAMVS *in superiori lectione quemadmodum Auic. proposuerat tractare dispositiones illas, circa quas uersatur medicus in humano corpore:*

quate-

quatenus .s. sanabile & ægrotabile est, quæ dispositiones omnino genere sunt tres, primo sunt passiones, deinde causæ, tertio symptomata, siue accidentia cõsequentia passiones. Videbamus *autem statim, quomodo tantummodo istæ sunt tres passiones neq; plures neq; pauciores.* Dum *pertractaturus sit* Auic. *de istis, primo proponit intentũ suum, deinde quod intenderat, exequitur.* In *propositione dicit, primo quid causa, secundo quid ægritudo, tertio quid accidentia, postea de singulis quibuscunq; pertractabit.* Vidimus *quid causa esset & explicuimus eam, sed quoniam supererant nonnullæ dubitationes quas promisimus nos soluturos in hac* Lectione, *prima* Quæstio *est, quæ oritur super hoc uerbo* (Causa est id quod primo est) Isti *moderni instant & dicunt q; causa intelligendo etiam de causa medicorum.i.de efficiente non est primo nisi natura tantũ. & confirmantibus, quæ dicunt esse posteriores suo conseruato. si enim corpus conseruandum sit calidum in primo gradu, causa conseruans nihil aliud facit quam conseruare temperaturam illius primi gradus, & illa temperatura primi gradus adest, immo ante ipsam causam, ergo effectus præcedit tempore suam causam, ita causa potest esse prior natura non prior tempore.* Dicimus *modernos istos inter quos fuit præcipuè* Iacobus Forliuiensis, *male assequutos fuisse & male considerasse effectum quem producit illa causa, nõ enim causa efficiens conseruans producit temperaturam conseruandam, sed de nouo producit calorem, qui postea*

ftea eſt ille qui conſeruat illam temperaturam, eſt enim calor noſter circa cor cõſtitutus in perpetuo fluxu & nunquã eadem ſanitas permanet mane & ſero ideo indiget conſeruatione perpetua, ille calor eſt de illo quod de nouo accedit, ponatur ille primus gradus caloris qui ſit conſeruandus, conſeruat hoc modo, cũ cauſa conſeruãs generat calorem de nouo primi gradus, qui gradus conſeruat corpus & calorem exiſtentem prius conſeruandum, ideo ſemper cauſa efficiẽs producit non tantum natura primo, ſed tempore etiã effectum ſi intelligamus de ſuo effectu adæquato. hæc ſatis quantum ad ſolutionem huius primæ Quæſtiunculæ. Quæritur ſecundo & in iſta quæſtione erit aliquid notatu dignum in arte noſtra, cur Auic. propoſuerit ordinem iſtorum trium conſiderandorum in tota iſta Fen incipiendo primo a cauſis, deinde deueniẽdo ad diſpoſitiones, tertio ad ſymptomata ducit in executione, in quo propoſito non ſeruauit eundem ordinem, nunc de cauſa, nunc de ægritudine nunc de ſymptomate agit quæ nam eſt ratio ſuæ immutationis? Iſta ſua mutatio ordinis eſt ſecundum rationem: debetis ſcire duplicem eſſe ordinem in ipſo, alium ordinem ipſius naturæ, alium doctoris docentis, Ordo naturæ eſt, ut illud dicatur eſſe prius quod eſt ſimplicius, & ſimpliciores ſunt cauſæ quàm ſui effectus. Seruando igitur ordinem naturæ ſemper debemus incipere ab his quæ ſunt priora natura. ita ipſe Auic. incipit primo de cauſis quæ ſimpliciores ſunt, deinde progreſſus ad ægritudines. tertio ad ſymptomata cõ

ſequentia

ſequentia diſpoſitiones. Sed alius eſt ordo doctoris docentis, qui non eſt idem cum natura. Sed ordo doctrinæ incipit ab his quæ faciliora ſunt nobis cognitu. Eſt enim innata nobis uia, ut Ariſtoteles teſtatur progrediendi à notioribus nobis ad ea quæ ſunt notiora Naturæ: non enim eadem ſunt notiora nobis quæ naturæ, naturæ enim notiora ſunt illa quæ magis ſunt ſimplicia & diſtincta, nobis autem notiora ſunt magis compoſita & confuſa. Ergo ordine doctrinæ ſemper à confuſioribus incipiemus, in ordine naturæ ſemper à ſimplicioribus. Optime ergo Auic. proponit ordinem naturæ, & oſtendit quæ priora, & quæ ſunt poſteriora, quia nihil tunc docet, ſed proponit, ubi poſtea uult docere incipit ab his, quæ ſunt priora nobis. ſ. ab ægritudinibus, quæ ſunt notiores nobis, poſtea progreditur ad cauſas. Vltimo ad ſymptomata. Diceret aliquis ſi à notioribus incipiẽdum eſt, ergo à ſymptomatibus, quæ ſunt longè notiora quàm ipſæ diſpoſitiones, nam per accidentia deuenimus in cognitionem ipſarum diſpoſitionum, ergo ab accidentibus debemus incipere ordine ipſius doctoris. De iſto ordine dicemus inferius, quare primo loco ponat ægritudines, & ultimo loco ſymptomata. Vt autem melius noſcatis iſtum ordinem eſſentialem qui eſt inter ipſas cauſas diſpoſitiones & accidentia, & recte cognoſcatis à natura rei quomodo in corpore humano ſanabili & ægrotabili, non poſſunt eſſe plures neque pauciores. Audiatis diſcurſum Galeni. Primo eſt ſupponendum quod eſt phyſicorum, quòd corpus

humanum

humanum & omnium animalium quamdiu uiuit tam diu est in perpetuo fluxu, & motu, & perpetua alteratione, & nunquam secundum rationem idem est mane & sero. Istius perpetuæ alterationis multæ sunt causæ: Primo intrinseca. est enim corpus nostrum compositum ex contrarijs principijs, quæ inter se contraria sunt, unde perpetua actio & passio, & destruunt seipsa mutuo, ergo ratione propriæ materiæ est in perpetuo fluxu corpus humanum. Deinde necessario suarum operationum hoc contingit, ut animales cerebri, uitales cordis, naturales hepatis sint in perpetuo labore & motu, ex quo fit maior destructio & consumptio caloris naturalis, & hinc ista perpetua mutatio. Ratione instrumēti proximi, qui est calor & spiritus propter plurimas motiones est in continuo motu. A causis extrinsecis etiam ab aere, cibo &c. est necessarium ut corpus perpetuo alteretur. posita ista necessitate mutationis est necessarium quod ponatur causa omnis alterans, & motus, nihil enim mouetur & alteratur ex se ipso: oportet igitur quod sit motor qui sit in actu, & præcedat natura & tempore ipsam mutationem & alterationem. hic est alteratio, ergo ipsa intentio & huiusmodi alteratio si comparetur ad motorem tamen est actio, si ad rem alteratam dicatur passio, igitur huiusmodi alteratio ad humanum corpus relata est passio. ista potissimum alteratio ad humanum corpus relata, consideratur à physico naturali. Notetis separationē inter istas duas scientias, ut sciatis quan-

do uultis esse medici, quando physici. Huiusmodi ergó alteratio & paßio aliter debet considerari à physico naturali, & aliter à medico. Paßio quæ fit ab humano corpore si consideretur à physico naturali, nunquam eadem est, quàmdiu uiuit animal tādiu alteratur. Igitur non possumus aßignare terminum aliquem: non est forma certa, sed semper tendit ad alterationem, quæ consideratio non attinet ad nos, Medici considerant paßionem hoc modo, ut per istū motum continue acquiritur aliqua certa forma ac certus terminus, qui talis est, ut inde proueniat sensibil'r operatio secundū naturā. talis habitus causatus a causa alterāte appellatur, sanitas: qñ uero fit oppositum et ex actione illa requiritur terminus et si sensibiliter læsio operationum appellatur ægritudo. Ita in ista dispositione requiritur terminus siue naturalis siue non naturalis qui terminus licet habeat magnam latitudinem quia non consistit in eodem, tamen medicus non eam considerat, sed totam latitudinem appellat uel sanitatem uel ægritudinem quia medici sunt artifices sensibiles & non iudicant nisi quod sensu apparet. Videtis igitur huiusmodi alteratione & motum quomodo se habeat & quem terminum requirat secundū medicos, nam in quolibet motu est terminus & transitus de uno subiecto ad aliud, ut quinto physicorum 7. Textu. et ea forma apud medicos satis est, licet in motu & in ulteriori gradu sit apud physicos, tamen dicitur sanitas uel ægritudo. Hactenus habetis ex ipsa rei natura causas, quæ efficientes dicuntur


uel

uel sanitatis uel ægritudinis quæ perpetuæ sunt circa corpus humanum. quæ semper adsunt uel adiuuando uel nocendo, prout illæ corpori occurent. Illas modo dispositiones necessario sequūtur quædam symptomata ut umbra corpus, nam ubi illæ dispositiones uel sanitatis uel ægritudinis sequūtur operationes uel bonæ uel malæ. Præterea quod sequitur in colore uel de asperitate uel de naturali potentia et impotētia et sic de reliquis hmōi. Ista accidentia dīr ab ipsis dispositionibus & sequūtur eas tanquam umbram corpus. Videatis ordinē essentialem naturæ, causæ generant dispositiones et præcedunt actu naturæ, & tempore, ipsæ dispositiones siue naturales siue nō naturales producunt sua symptomata, quæ quidem symptomata ut melius infra dicemus quandoq; simul lētim necessario generātur cum suis dispositionibus. quandoq; postea consequuntur, & habent sua distincta nomina apud medicos, ut melius postea disquiretur à nobis. Sufficit nunc ut sciatis quò tēditis & quò progredi debeatis. His uisis apparet quomodo causa præcedat naturæ et empore dispositiones humani corporis, uidetis etiam licet causæ præcedāt naturæ dispositiones, quare in executione à dispositionibus debemus procedere quia notiores sint. Hæc satis de ipsa propositione de causis accedamus modo ad ipsas dispositiones siue præter naturam siue secundum naturam. loquitur hic Auic. tantum de ægritudine quam tantum proponit non de sanitate (Aegritudo est dispositio) debetis super hoc uidere & cognoscere, quod Auic. tantum

hic proponit quod uult tractare & exequi postea, dixit de causa, nunc de ægritudine: definit primo ægritudinem, nam à definitione omnis cognitio oritur a qua etiam omnes passiones innotescunt nobis. (Aegritudo est dispositio non naturalis in corpore humano: ex quo essentialiter prouenit læsio operantium prouentu primo.) *Ista definitio fuit quoq; Galeni hæc eadem in primo de difinitione morbi, & est optima. Definitio postea sanitatis est contraria, quia contrariorum eadem cognitio. Quoniam hic ponitur dispositio loco generis remouendum est unum dubium, in quo implicantur moderni, & ita ut nesciant se explicare ab ipso. Cum primo uident à Galeno & ab Auicenna ægritudinem definitam esse per genus hoc. s. per dispositionem, quæ est in primo genere qualitatis: & postea uident apud Galenum & Auic. quòd ægritudo uel est mala complexio, uel mala compositio uel solutio unitatis, & uident quòd mala compositio ut figura indecens aut numerus non potest referri ad dispositionem, quæ est in primo genere qualitatis, & implicant se, & fiũt admodũ anxij, quomodo mala figura in humano corpore sit dispositio, quomodo sextus digitus in manu sit dispositio, unde coguntur postea dicere, & hæc est communis solutio omnium modernorum, hoc intelligitur multipliciter, dupliciter, tripliciter, & est ut uulgo dicitur la praga, del coion, ita semper soluunt suas dubitationes ut hoc quandoq; intelligitur Stricte prout est in primo genere qualitatis, quandoq; largo*

modo,

modo, & sic intelligimus etiam quando quis habeat pessimam figuram, est male dispositus, & ita largo & stricto modo isti sunt male dispositi, et ita credunt solutum esse dubium quæ omnia etc. male intellectu ipsius naturæ rei oriuntur, nam ægritudo non est mala complexio, non solutio continui, sed ægritudo est in mala complexione in mala compositione etc. et in hoc decepti sunt isti miseri. Sed non credatis mihi neq; discursui nostro, neq; authoritati meæ, oportet declarare uobis à quo proficiscatur sanitas et ægritudo. Sic discurratis ergo ut optime Gal. discurrit primo, de diff. morb. capite primo, ita discurrebat ut inueniret ueram essentiam morbi et sanitatis. Incipit *Galenus ab his quæ ommes confitentur, et in quibus nulla est discrepantia, ita uos facere oportet quando uultis reducere hominem ad cognitionem alicuius rei ut a notioribus incipiatis et ab his quæ omnibus manifesta sunt et nota. Certum est inquit Galenus ubi inueniuntur actiones corporis incorruptas, quòd omnes homines appellant sanitatem hanc dispositionem, contrarium ægritudinem: nemo enim est, qui cum uiderit hominem recte discurrere, mouere sicut oportet, bene concoquere, appetere cibum, bene excrementa egerere, et ita tandem omnes suas operationes tam animales quàm uitales et naturales habere non impeditas uelit contradicere istum hominem non esse sanũ, quando uero oppositum uiderit, non dicat illum esse ægrotum.* Ergo in hoc conueniunt *omnes, ut appellent hominem sanum, quando uident operationes*



in eodem corpore sanus; quando uero uident operationes eiusdē corporis esse uiolatas appellat ægrum. Stante hoc fundamento, tunc est necessarium, (discursus adiuuat sensum) ut ista sanitas uel ægritudo sic uel in ipsis actionibus, uel in causis immediatis, quæ faciūt actiones. si.n. ex actionib. desit et sanitas et ægritudo. Iste est sanus et rectus et necessarius discursus, In actionib. non est dicendū esse sanitatem uel ægritudinē, nā si sanitas et ægritudo essent in actionibus, sequeretur quòd homo dormiens qū habet impeditas operationes motiuas diceretur æger non sanus, si actiones essent illæ in quibus inueniretur sanitas et ægritudo: Propterea ubicunq; uideremus actionem aliquam ualide fieri, diceremus hominē sanum circa motiuam uirtutem, cum tamē sit maxime æger: ergo in actionibus non proprie dicitur esse neq; sanitas neq; ægritudo. Sed oportet in causa immediata a qua proueniūt operationes sit illa quæ uel læditur, uel sit robusta, tamē illud corpus dicetur sanum uel ægrum, quando causa immediata operationum sit secundum naturam uel præter naturam. Sed quæ est ista causa immediata operationum? Gale. in lib. de facultatibus naturalibus dicit, quòd à facultatibus et uirtutibus immediate proueniunt operationes. Hoc idem dicebat Aristoteles secundo de anima, ubi ponit tria determinata, obiectum, operationem et facultatem quæ se inuicē consequuntur. ideo semper actio à uirtute prouenit, siue secundum actiones. Virtutes distinguuntur ut uidistis apud physicos, et nondum apud medicos. Sūt

igitur

igitur ipsæ facultates, à quibus immediate prodeunt actiones, & causa immediata actionis est ipsa facultas. Vt uisus immediate prouenit à potentia uisiua, sic auditus immediate à uirtute & potentia auditiua, ita tandem uidebitis hoc idem fieri in omnibus actionibus naturæ, quæ proueniunt à diuersis facultatibus ut declarauimus anno elapso, quando legebamus caput de uirtutibus. Vnde si causa immediata (notate quia ex discursu isto tota natura ægritudinis & sanitatis apparebit) est ipsa facultas, Ista facultas autẽ uitiatur, quantum attinet ad rationem formalem, uel ut illud uitium sit fluxum non permaneat, uel sit fixũ & stabile. Si primo modo, ut quando homo est intentus ad aliquam rem, & habet uertiginem & obfuscationem quandam, est quidem fluxus sed statim recedit, est fluxus quidem qui cito præterit, ille homo nõ dicetur habere ægritudinem, si statim euanescat & non redeat. sed si hoc uitium permaneret, dicetur fluxum esse uitium. Oportet quòd istæ operationes non sint fluxæ, sed permaneant. Ergo huiusmodi uitia quando sunt fluxa, neq; talia uel talia appellantur, sed quando habent permanentiam, tunc habent denominationem. Sed quando modo uitiantur, Facultas quid est? facultas est actus alicuius corporis organici, eadem enim ratio est de parte, quæ de toto. Anima est actus ergo & facultas quæ est pars eius actus, & ita cum facultas nihil aliud sit quam actus corporis, & corpus sit quod operatur, quia actio est compositi, non enim ut ex Arist. scitis, anima

aut intelligit, aut texit aut operatur, sed corpus cõpositum: operatio enim non fit à forma simplici, sed à forma composita. Facultas igitur est in aliquo, quia est actus alicuius corporis. Cum igitur sit actus, quæ est causa propter quã patitur facultas? patitur quia suum instrumentum est quod afficitur: si enim actus corporis non potest agere nisi secundum bonam dispositionem corporis & stabit in quo est, ut Galenus testatur in libro suo quòd animi mores sequantur. Igitur ista facultas non operatur, nisi secundum instrumentum cui est actus, sit bene uel male affectum: ergo erit uel ægritudo, uel sanitas, quando .s. instrumentum proximum bene uel male afficitur. Ista affectio instrumenti potest esse bona uel mala uel ratione complexionis, quia est secundum naturã uel præter naturam. Oportet enim unumquodq; membrum si debet ista operari ut habeat bonam complexionem, si modo afficiatur ista complexio, pro gradu uitij fiunt ægritudines quia pro gradu complexionis uitiatur facultas, à qua proueniunt operationes. Vitiatur facultas, ergo instrumentum suum afficitur uel propter malam compositionem, cum enim membra sint in duplici differentia, quædam similaria, quædã organica ergo diuersa mẽbra, diuersas patiuntur res præter naturam. quæ enim sunt partes similares, ut caro, In carne uerbi gratia, fit mala complexio, in mẽbris organicis, fit mala compositio, quotiescunq; non habebit debitam figuram, quantitatem non conuenientem, numerum incongruum suarum partium, ut est

sextus

sextus digitus in manu, dicitur istud uitium in compositione, uel igitur in compositione, uel in complexione erit uitiũ. Postea est tertium uitiũ in solutione continui, ubi inciditur, et separatur, quod est continuũ, ut dislocatio, uel ulcus aut uulnus erit istud tertium genus, quod re uera deducitur ad compositionem ut uidebitis melius. Videbitis igitur quomodo sanitas et ægritudo est in facultate, quando acquirit dispositionem, quæ talis est ratione sui instrumenti propter suam complexionem compositionemq́;. Operationes igitur læduntur: quare? quia uitiatur facultas, & acquirit malam dispositionem: quare? quia instrumentum eius est actus uitiatus: quomodo? uel quia accedit mala complexio, uel mala compositio, uel soluta unitas, nec ullum aliud est genus quod poßit facere ægritudinem quàm ista tria. uidetis quid sit ægritudo formaliter, est dispositio, dispositio est in primo genere qualitatis, est dispositio. Quare medici definiunt ægritudinem per dispositionem & non per habitum? quia medici distinguunt habitum à dispositione circa ægritudines: nam quando ægritudo est curabilis, est dispositio simplex, sed quando efficitur incurabilis: ut hectica, quæ habituata est, & in tertia specie habet habitum, hinc est quod hectica dicitur fixa illa intemperies calida uel sicca, uel etiam frigida & sicca, ut hectica senectutis, dicitur ægritudo per habitum est fixa permanens, & quia unusquisq; habitus habet dispositionem, nam quodcunq; habituatum est dispositum, non autem è contra, ergo recte

dixit

dixit Auic. (Aegritudo est dispositio) *non habitus, quia sunt quædam ægritudines, quæ non sunt habitus, qui non nisi cum maxima difficultate possunt medicari. Aegritudo ergo est dispositio, ergo est affectus in facultate ergo subiunctiue est in membro, formaliter in anima, et parte animæ, nam cum natura sit actus corporis, afficitur propter animam quæ subiectiue est in corpore, sed formaliter est in ipsa facultate, ita ægritudo est dispositio. & ubi est ista dispositio?* Notetis quoniam Auic. *est assecutus terminum.* (In corpore humano) *subiectiue non formaliter, est enim ægritudo uitium facultatis, sed subiectiue est in ipso corpore, cuius corporis anima siue facultas est actus.* Ex quibus *si recte meministis eorum quæ proposuimus in discursu nostro, qui est Galeni facile est uidere omnem sensum huius diffinitionis,* (A QVO essentialiter) *essentialiter prouenire dicitur ab alio quando dependet à propria essentia, a ratione sua intrinseca, ut risibilitas essentialiter prouenit à rationabilitate, quia à principijs intrinsecis rationabilitatis prouenit risibilitas (ut motus etiam mediante forma hominis) ita à uitio facultatis non propter aliud sed a se primo prouenit læsio operationum, merito ergo dixit,* (essentialiter) *Et primo, quia multa essentialiter etiam per aliud proueniunt, & non motu proprio, ut motus mediante forma hominis. Sed ab ægritudine prouenit primo & essentialiter læsio operationum, nihil mediat inter læsionem & uitium facultatum et operationum.*

rationum. (Aegritudo igitur est dispositio nō naturalis &c.) *Hic domini remouendum est unum dubium modernorum.*

Lectio Tertia.

Exponebamus *in præcedenti lectione secundum propositum Auic. proposuerat enim se tractaturum in ista Fen tria illa contingentia circa corpus humanum, Causa, morbus, symptoma: declarauimus suum propositum quid esset ægritudo definit enim singula prius ut omnia diligentius postea pertractet. Circa illā definitionem ægritudinis satis omnia diligenter pertractauimus, quomodo sit dispositio nō naturalis &c. Verū supererat quod interuentu horæ non potuimus explere. super enim eo uerbo (* essentialiter) *isti moderni dubitant, & aliter exponunt quā ego exposuerim, nos enim diximus intelligi symptomata seu actionem læsionis essentialiter prouenire ab ipsis ægritudinibus immediate effluit actio læsa, ut ab rationabilitate defluit risibilitas essentialiter. quæ est propria passio à suo subiecto fluit, ita quoq; actionum læsiones defluunt à suo subiecto essentialiter. Moderni aliter interpretantur, præcipue Iacobus* Forliuiensis, *qui dicit essentialiter læsionem actionum emanare ab ipsis ægritudinibus respectu ipsarū ægritudinū quoniam si ægritudines essentialiter sunt in ipso membro, ita ut non respectu actionis læsæ essentialiter, sed* * *quare essentialiter q. quia ægritudo est essentialiter, ita exponunt isti, dicunt*

cunt nocumentum actionum tripliciter contingere posse in corpore, uel quando ægritudo est essentialiter in ipso corpore, uel quando ægritudo essentialiter est in aliquo membro, ut quando ægritudo efficitur per essentiam in aliquo membro, & fit apostema ratione cuius apostematis læderetur actio. istud apostema est essentialiter in membro, & in illo membro ægritudo est essentialiter, non propter aliud, iste est primus modus, quando. s. ægritudo est essentialiter in aliquo membro. Secundo modo, nocumentum actionum potest prouenire, quando ægritudo non est per essentiam, sed per consensum, & quando non afficitur membrum principaliter in seipso, sed per consensum alterius, ut uertigo in capite per consensum à uentriculo, quæ uertigo ægritudo est, non principaliter in uentriculis cerebri sed nocumentum fit propter consensum uaporum ascendentium à uentriculo ad caput, unde fit uertigo illa quæ ægritudo est per consensum in cerebro, in hoc quoq; ægritudo est impedimentum in actionibus sed ægritudo non est essentialiter in membro. Tertio dicatur læsæ operationes & fieri nocumentum non propter ægritudinem siue per essentiã siue per consensum, sed quando aliquod membrum ligatur, & impeditur, ut quando ligatur manus, non potest mouere se, tamen illud impedimẽtum non est ægritudo, neq; per consensum neq; per essentiam. Istis tribus modis dicunt fieri impedimentum in actionibus, & quantum ad istam suam diuisionem omnia uera dicunt. Modo quando dicunt quòd

essentia-

essentialiter fit impedimentum in operationibus propter ægritudinem non posse intelligi nisi primo modo, non quando est ægritudo per consensum. Ita ut si exempli gratia appareant omnia moueri & sit impedimentum operationum cerebri non tamen est essentialiter ab ægritudine cerebri, sed propter consensum uentriculi, ergo essentialiter tantum respectu ægritudinis eßentialiter existentis in aliquo membro. Volunt isti quòd ipsum accidẽs uel læsio operationum essentialiter ab ipsa ægritudine ut ego dicebam, quia posita ægritudine, siue per consensum, siue per eßẽtiam, dixi essentialiter prouenire impedimẽtum operationum. Et in hoc maxime errant, et est contra Galenum. Galenus enim illos irridet qui dicunt non esse ægritudinem in membro quando est per consensum, sed quando ægrotat, oportet quod habeat propria sua symptomata, quæ effluunt à morbo essentialiter, quia ubi morbus, statim adsunt symptomata (quæ effluunt à morbo essentialiter) consequentia. Posito ergo morbo semper impedimẽtũ sequitur et semper fluit à mala dispositione primo prouentu & essentialiter: & ideo est mala expositio illorum, & contra mentem Galeni. Audiuistis utranq; expositionem, eligatis modo quam multis. Sequitur postea Auicen. (ET EST AVT complexio non naturalis, aut compositio non naturalis) *Notetis super hoc uerbo. Iste modus loquendi induxit ut diximus in præcedentibus lectionibus omnino modernos maxime errare, & confundi, nam reuera ægritudo non est*

com-

complexio siue compositio, sed uel in complexione uel compositione consistit, & ille modus non est tantum apud Auicen. sed apud Galenum etiam, ubi dicit morbos esse malam complexionem malã compositionem &c. et apud Aristotelem quoq; qui dicit, morbos alios esse calidos, frigidos, humidos & siccos, et ita omnes isti referunt morbos uel ad qualitatem, uel cõpositionem, uel solutionem continui. Sed isti nõ ita uolunt, nam Gale. primo de differentijs morb. dicit in esse complexionem, sed postmodum ostendit facultatem uitiatam habere illam dispositionem, & esse in membro, in complexione esse morbum, & non esse formaliter complexionem. Circa quod ut recte intelligatis omnino debetis primo præsupponere complexionem in singulis quibusq; esse in quolibet membro subiectiue, sed quando consideramus ægritudinem & sanitatem, consideramus rationem formalẽ, quia ratione formæ fit definitio; igitur quando definimus, abstrahimus & consideramus rei naturam formalem, quam definimus. Ratio formalis egritudinis est mala dispositio facultatum, si præter naturam est non naturalis, si naturalis est sanitas, ratione cuius sequitur, sanitas uel ægritudo. si enim naturalis statim operationes immediate prodeunt secundum naturam, si in facultatibus sunt dispositiones præter naturam immediate operationes præter naturam emanant. Ergo nihil aliud est ægritudo nisi mala dispositio præter naturam in facultate, qua stante sequitur impedimentum operationum. Modo quomodo uitia-

tur facultas? de se non uitiatur, quia est impaßibilis ei actus incorporeus, sed subiectum uitiatur, quia uitium eius est in subiecto, quod non potest esse nisi in triplici genere, uel quia accedit mala complexio, uel mala compositio, uel solutio continuitatis, ubi aliquid istorum accedit, uitiatur instrumentum & fit impedimentum actionum & læditur facultas, Sequitur læsio facultatis, sequitur uitium in actione. Istis tribus positis formaliter, quid erit ægritudo? læsa dispositio facultatum uitiata, subiectiue erit mala complexio membri, quia ratione facultatis ægritudinis est uitium subiecti in quo est huiusmodi ægritudo, est membrum quod non uitiatur nisi uel propter malam complexionem, uel compositionem, uel solutionem continui. Quando igitur dialecticè & theoricè consideramus essentiam morbi, dicimus quòd ægritudo est uitium facultatis, sed quando curamus, non curamus facultatem, sed malam complexionem, malã compositionem, & solutionem continui, quia illud est proprium subiectum morbi. Et quemadmudum febres essentialiter distinguuntur à suis subiectis, ita quoq; morbi essentialiter distinguuntur à subiecto, et dicimus malam esse complexionem, malam compositionem &c. non quòd formaliter sit hic, sed potius q, membrum ita complexionatum efficitur ineptum, ut facultas non sit secundum naturam, & impedita inducat læsionem facultatis. Ita his rectè intellectis facile responderi potest obiectionibus modernorum. Cum enim uident ex una parte membrum esse ex ge-

nere qualitatis, ex altera parte uident compositionē ex genere quantitatis, se implicant isti miseri, & dicunt, quòd ægritudo quandoq; est in genere qualitatis, quandoq; in genere quantitatis, & sic quandoq; erit subiectum ægritudinis formaliter, ut lapis in uesica, sextus digitus in manu: & si lapis in uesica formaliter esset ægritudo sequeretur, quòd ægritudo esset in substantia & etiam sextus digitus. Quandoq; ægritudo esset quātitas et magnitudo linguæ ut de Nicomacho Galenus scribit. Illa enim magnitudo si esset formaliter ægritudo esset quantitas. Interdum in situ ut solutio continui, luxatio membrorum, et sic ægritudo esset transcendens quoddam, et nullum haberet genus proprium, et sic non esset uerus discursus à Galeno traditus, in primo de differentijs morborum, cum ait, quod ægritudo uel est actio læsa, uel causa immediata etc. non actio læsa, ergo facultas et causa immediata, et tūc neq; esset hoc uerum, quia neq; actiones læsæ, neq; immediata causa, immo potius mala complexio quæ uitiat actionem. Ita teneatis ægrotationem formaliter esse dispositionem nō naturalē, et sic est in genere qualitatis, postea subiectiue est uel mala complexio, uel mala compositio, uel solutio continui, quia ut sit ægritudo oportet q. denominetur, quod habeat istorum trium, uel malam complexionem, uel compositionem malam, uel solutionem continui etc. et medicus non curat rationem formalem ægritudinis sed uitium facultatis, uel malam complexionem etc. Ita bene dicunt Medici quando

do attendunt tantum subiecto ægritudinis, quòd æ- gritudo est mala complexio, propter subiectum immediate corporis, uel malam complexionem, uel solutionem continui uel &c. quando non possunt habere hoc nomen commune. dispositiones. Hæc sa- *tis pro remotione huius dubij.* (ET accidens est res.) *Modo proponit Tertium, quia tria proposuerat. Dictum est de causa quantum ad propositum, quia diligentius de singulis postea dicetur, dictum de ægritudine consequens erat, ut de accidente ageret.* Circa *hoc oportet q conueniamus prius in nominibus.* Debetis *scire apud* Medicos *quatuor nomina uersari in hoc negotio, in quibus est magna confusio: est symptoma, accidens, paßio, signum.* Conuenientia *et differentia consideranda est à nobis.* In *hoc cōueniunt ista quatuor quòd semper accidunt corpori, & non sunt de essentia corporis, quibus accedunt magna; postea est differentia.* Primo in- *ter accidentia & symptomata,* Accidens *dicitur de quacunq; re siue naturalis sit, siue non naturalis, quæ accedit humano corpori, & non est de essentia corporis, ut albedo in corpore est accidens, tamen non est symptoma, est enim accidens contingens illi temperaturæ, propter suas rationes, quas non oportet hic tractare, consequitur temperaturam tamen non est symptoma. Symptoma non est de re naturali, sed de illa quæ est præter naturam.* Et *Galenus primo de differentijs symptom.cap. primo.* Igitur *Symptoma semper de re præter naturam erit,* Accidens

de re naturali &c. Verum igitur est dicere quod omne symptoma est accidens, sed non omne accidens est symptoma, Nulla igitur alia differentia est inter accidens & symptoma. Modo distinguuntur accidens et symptoma à paßione. differt primo ab accidēte, quia sensus est in quodam, pati tamen est naturalis, paßio est dolor accidens corpori, & non est naturalis: ergo paßio dicitur tam de re naturali, quàm non naturali, & in hoc cum accidente paßio conuenit. Differt in eo quod paßio motum et paßionem denotat, est semper in motu, in perpetuo motu, illa alteratio quæ dicitur motiua est paßio, accidens autē dicitur de re permanente, ut albedo est accidens in corpore, sed non est paßio, quia paßio tantummodo dicitur re fluente. Ista quoq; est distinctio ipsius Gal. primo de differentijs sympt. Quomodo signum? A nullo istorum differt nisi secundum relationem, nam signum est in genere relationis, et est respectu alicuius signati: in quantum enim ad aliud refertur, in quolibet dicitur esse signum, et albedo naturaliter existens in corpore dicitur signum, quando indicat temperaturam humidam respectu illius quod significatur. Dicitur etiam symptoma signum in eo quod aliquid significat, ubi dolor ibi ægritudo, dolor significat hic ægritudinem. Paßio quoq; dicitur signum, quando in corporis parte significat aliquid. Igitur quantum ad interpretationem nominum quod symptoma, accidens, paßio, et signum, satis sit. Ista omnia postea habebitis optime à Galeno declarata. Positis et decla-

declaratis nominibus singulorum, quòd accidens tam de re naturali quàm non naturali dicatur, & symptoma de re præter naturam tantum dicatur, cum symptoma in ampliori significatu accipitur, tum de causa morbi quàm de morbo ipso, & symptomate, quia causa morbi est præter naturã, & morbus ipse est præter naturam, & deinde dicitur symptoma quicquid accidit corpori humano præter naturam, sed hoc in ampliori significatu. Sed prout proprie medici accipiunt, significat non causam, non ægritudinem, sed illud quod sequitur ægritudinem quòd ἐπιγένημα *à græcis dicitur, quasi illud quod generatur, post generationem morbi, & sequitur morbũ, qui procedit natura symptoma. ubi iam habuerimus hoc, quod nomen symptomatis sit, eo quod sequitur morbum præter naturam, habito hoc dicimus, quod de hoc symptomate est loquendum in tota hac Fen: & de hoc intelligimus. Sed quare Auic. appellauit accidens? Domini, non fuit culpa Auicennæ quod usus fuerit hoc nomine, sed interpretum, quia Auicenna est elegantißimus in sua lingua, ut nullus Arabum, est eloquentißimus & utitur maxima proprietate loquendi, sicut mihi retulit D. Diegus Orator illius Imperatoris, quòd in publicis Scholis Auicenna propter linguæ ornatum, sicut apud nos Cicero & Boccacius apud nostros uulgares prælegit. Ergo qui traduxerunt Auicennam traduxerunt accidens pro symptomate: uos non curetis de nominibus, græci dicunt symptoma, & sic cõstat de nomine. Ha-*

bita consideratione nominum dicit. (ET accidens est res.) Notetis, *modo exponit quod sit accidens, uos accidens pro symptomate intelligatis & definite modo, ut* Galenus *& dicit, quòd symptoma est quod sequitur morbum & est præter naturam; si igitur debet esse accidens, habet illas duas conditiones, & quòd sequatur morbum uel tempore, uel natura, uel utroque. quia multa sunt symptomata quæ non sequuntur tempore, sed simul fiunt cum morbo, sed sunt posteriora natura, & oportet quòd sit præter naturam & ipsum symptoma sequatur morbum & fluat ab essentia morbi; ut umbra corpus, si morbus est præter naturam, ergo ipsum symptoma erit præter naturam.* Modo *addit* (SIVE sit naturali contraria, siue non) *istud symptoma sit quod necessario est præter naturam, sit uel contrarium naturæ uel non contrarium naturæ, semper est præter naturam.* Modo *quandoq; contingit, ut non tantum sit præter naturam, sed contra naturam, quandoq; non est contrarium: Adfert exemplum ut dolor in Colica qui est accidens, & sequitur morbum, & est præter naturam, & non tantum præter naturam, sed contra naturam. Rubedo maxillæ est accidens sequens morbum* Peripneumoniam *& est præter naturam, non tantum cō tra naturam. Sed ut melius intelligatis, oportet tractare primo quid sit Colica, deinde quid peripneumonia. Colica est morbus in eo intestino quod dicitur Colica, ut uidistis in Anatome, contigit quoddam genus*
ægritudi-

ægritudinis in eo membro quod Colon appellatur, & istud colon potest esse in triplici genere morborum, uel quia accedit mala complexio, uel mala compositio, ut obstructio propter plurimas fæces, ut non possit uirtus aliquid distribuere, uel quia soluitur continuum & fiat erosio, unde causatur dolor acutissimus quia membrum ualde sensibile, colica ergo est in illo membro, ad quod semper sequitur necessario dolor. Peripneumonia autem est apostema calidum in corpore pulmonis, unde sæpe fit transmutatio de pleuritide, quæ est apostema calidum in membrana costarum, peripneumonia est in corpore pulmonis, unde sæpe fit transmutatio de pleuritide ad peripneumoniam & è contra. Hæc per capita tractantur. Hoc apostema calidum cum sit in pulmone est necessarium ut plurimi uapores ascendant ad maxillas unde rubedo apparet. Postea debetis scire, quòd dolor est sub genere sensationum quia dolor est in sensu: sensatio est genus suum quod in se est indifferens ad dolorem & delicias: deliciæ est sensus cum iucunditate, dolor est sensatio & sensus tristis cum asperitate, ergo sunt duo contraria sub eodem genere. Iste dolor est totus præter naturam & dicitur dolor genus subalternũ, quia habet multa sub se genera, ut secundo de locis affectis. Et dolor est quoddam genus per se, quod quidem genus est omnino præter naturam, & ubi dicimus dolorem, dicimus rem præter naturam. Vbi igitur est species doloris, dicimus esse ex toto genere præter naturam. Quia si sumatur totum genus, &

quæcunque species sub eodem genere, est præter naturam, ita quòd differentia specifica doloris est, quòd si præter naturam, Rubedo *est species coloris, qui color non est præter naturam, ergo neque rubedo in se erit, sed efficitur præter naturam, quotiescunque uariatur modus rubedinis in hoc uel in illo, dicitur præter naturam, nam rubedo in his qui sunt sanguinei non est præter naturam, imo est morbus hic quando non rubent, & est præter naturam, sed aliqua rubedo talis erit, ut sit præter naturam ut in maxilla; cum alioquin in suo genere & spetie non sit præter naturam.* Et ita *uidetis quid dicat Auic. est iam facilis iste textus, rubedo non est ex toto genere præter naturam, sed illa in maxillis existens, quia est a causa præter naturam existens, cum tamen suum genus non sit præter naturam, sed quia ut diximus, prouenit à causa non naturali.* (CAVSAE exemplum est putredo.) V*t melius intelligeretis quod intendit adfert exempla singularum, & quia ægritudo, causa, & symptoma possunt esse triplici genere, & quia triplex est genus morbi, in complexione, compositione, & solutione continui, & quia unusquisque horum morborum habet suas causas & symptomata.* Igitur *Auic. adfert singulorum exempla ægritudinis in complexione de causa, symptomate, & ægritudine deinde in compositione, tertio in solutione continui.* In *complexione dicit.* (Exemplum causæ est putredo, exemplum ægritudinis est febris. Exemplum accidentium est

sitis

ſitis & dolor capitis.) *Circa hoc debetis ſcire, quomodo putredo ſit cauſa. Primo ſciendum eſt, cauſarum quaſdam eſſe procatarticas, quaſdam antecedentes uel corporeas. Procatarticæ dicuntur primitiuæ quæ extrinſecus contingunt, ut occurſus aeris, præter modum, accidentia animi, cibus & potus, ſomnus &c. & ſex iſtæ res non naturales accidentes humano corpori dicuntur cauſæ procatarticæ quæ faciunt morbum quando ſunt præter naturam: corporeæ ſunt illæ quæ intrinſecus ſunt in corpore humano, ut humores crudi uel alij humores deprauati in corpore: Iſtæ cauſæ corporeæ a noſtris medicis ſunt duplici differentia, quædam antecedentes, quia inter morbum & cauſam ſint aliquæ modicæ cauſæ & dicuntur antecedentes, quia non ſtatim iunguntur morbo. Quædam ſtatim coniunguntur morbo & poſita cauſa morbi ſtatim ſequitur, quæ cauſa dicitur coniuncta. Videamus omnia iſta in exemplo propoſito. Putredo eſt cauſa morbi, ſi de morbo intelligemus ſubiectiue id eſt, de mala compleſsione quæ contingit membro propter putredinem, dico quod eſt cauſa coniuncta, nam inter putredinem & febrem ſubiectiue intelligendo febrem, prout eſt calor additus membro, nullum eſt medium. Sed ſi intelligemus formaliter febrem, prout eſt diſpoſitio & uitium facultatis. ſi uero ſubiectiue intelligitur febris, prout eſt calor ſubiectiue exiſtens, in hoc mediat inter putredinem & uitium facultatis. Dicatis ergo quandoque contingit aer frigidus extremus qui occurrat et conſtrin*

Nota morbum bifariam dici subiectiue et formaliter

gat meatus cutis et faciat obstructionem, et in corpore humano sint multi humores deprauati, sicut in multis contingit. Occurrat hoc corpus aeri frigido, qualis nunc est, aer frigidus constringit meatus corporis, & extrinsecus propter aerem, & intrinsecus propter eum qui inspiratur, quia frigiditas penetrat. Vbi modo sunt deprauati humores, & frigiditas obstruit, prohibetur euentatio, calor naturalis ubi nõ euentatur, fit igneus & inflammat humores deprauatos, qui inflammati putrescunt, quia putredo nihil aliud est secundum Aristotelem, quàm ubi humidum non potest bene concoqui, & trahitur a calore igneo, & facit putredinem, calor autem naturalis concoquens bene regit ipsum, unde adueniente calore ipsis humoribus igneo probibet euentationem & fit putredo, qua facta humores magis inflammantur, nam quæ putrescunt inflammantur magis, & inflammantur omnia uicina, ut uidemus in rebus extrinsecis, sicut Galenus narrabat de stercore columbino accenso &c. Vbi igitur humores existentes & in uenis & extra uenas propter prohibitam transpirationem ignescunt & putrescunt ex igneitate acquisita, totum corpus inflammatur, & ascendunt uapores ad cor, qui ponunt cor & corpus in calefacta esse, unde fit febris. Sic putredo est causa immediata febris, humores sunt causa sed non proximi, quia contingunt media inter febrem & humores, prohibita scilicet transpiratio & putredo. Omnes sunt causæ, sed coniunctæ & uera causa est ipsa putre-

do,

do, quia inter febrem & hanc intelligendo subiectiue non est medium, ita habetis exemplum de causa.

Lectio qvarta.

C v m *proposuisset Auic. tria illa circa quæ semper uersatur medicus.* Videlicet *dispositionem, suas causas, & accidentia, declarassetq; quid esset singulaq; istorum, breuiter tamen, quia postea diffusius de his pertractabit:. est enim caput hoc procemium quoddam.* Vt *igitur melius intelligeret unusquisque quæ proposuisset, attulit exempla singulorum, & quia tria sunt genera ægritudinum, de quibus pertractatum est, & tria genera dispositionum præter naturam (quod dicimus de ægritudine, idem dictum intelligatis de sanitate) primum genus est in complexione: secundum in compositione: tertium in solutione continui:* Vt *igitur melius intelligeretis, quia ægritudines causæ & symptomata sunt diuisa, in istis tribus adfert exemplum in singulo quoque genere, quid causa, quid ægritudo, & suum symptoma, & in præcedenti lectione nonnulla diximus, de causis, dispositionibus, & symptomatibus in primo genere, ubi uidimus exemplum allatum ab ipso* Auic. *de febribus, quæ est in primo genere scilicet in complexione: & dicimus fundamēta quæ semper uera sunt, quomodo febris sit calor, & ita in secunda spetie qualitatis, quomodo etiam dispositio in primo genere qualitatis, quomodo qualitas est subiectiue, quia in membro in quo est febris inuenitur calor, & quomodo for*

malis ratio febris est in facultate animæ, quod uitium dicitur dispositio præter naturam & febris formaliter. iam est notum, quomodo uitium & uirtus est in genere dispositionis & habitus. Illa diximus in præcedenti lectione, considerauimus causa febrem, deerat uidendum de symptomatibus. Vnde continuando præsentia præcedentibus dicit. (Causa in febre est putredo, ægritudo est febris, symptoma &c. Exemplum accidentis, est sitis & dolor capitis.) *Pro quo sciendum est, quòd symptomata quæ consequuntur morbum sunt in secundo differentia, quædam pathognomonicæ necantia immediate ægritudinem, quædam dicuntur signa cõmunia. Pathognomonicæ ita se habent, ut uno signo tantum proposito sequatur necessitas ægritudinis quæ symptomata pauca admodum sunt, ut in Epilepsia, constrictio uentriculorum cerebri est signum pathognomonicæ epilepsiæ, quia nullus morbus habet hoc accidens, quod uni & soli & semper conuenit Epilepsiæ, talia ut dixi pauca sunt, & licet in febre consequatur semper inæqualitas pulsus & mordacitas caloris, illa tamen nõ sunt pathognonomica quia non soli febri conueniunt, sed bene semper sunt in omnia febre putrida, nam inæqualitas in pulsu, quæ fit à multitudine humorum in arterijs, & mordacitas caloris, sequitur, & propter alias causas quàm in febre. ista igitur duo signa non sunt in sola febre. Vbi uos habetis talia symptomata, nolite statim dicere esse talem ægritudinem, nisi faceretis collectionem, &*

syndromen signorum, quæ cum omnia simul iuncta faciunt morbum, ut in pleuritide est febris acuta, pulsus durus & serinus, dolor pungitiuus &c. Vnum istorum non facit pleuritidem, sed ubi omnia simul conueniunt dicetis per istum concursum signorum esse pleuritidem. qui concursus à græcis syndrone dicitur. In proposito igitur nostro, sitis & dolor capitis non sunt pathognonomica, sed cõmunia, quia multis dolet caput, multi sitiunt, cum tamen non febriant. Causa horum duorum symptomatum inquirenda est. Plerunque contigit in febre putrida ut sitiant, quia cum febris principaliter sit dispositio calida, & consecutiua, sicca appetunt sua contraria scilicet refrigerantia & humectantia, quia sitis ex secundo de anima est appetitus humidi & frigidi: fames appetitus calidi & sicci. Et hoc est proprium omnibus qui patiuntur, præter naturam dispositiones, ut appetant contraria, sicuti qui naturaliter se habent appetunt similia. Cum igitur febris sit dispositio calida & sicca, merito appetunt sua contraria, frigida & humida, quia appetitus sitis est. Deinde dolet capite, nam ubi est febris putrida, humores qui putrescunt euaporantur, & fit euaporatio: ubi modo illi uapores tendunt ad caput, ipsum implent, ex qua repletione excitatur calor, nam intemperies capitis repente immutatur, & soluitur continuitas: quæ duæ sunt causæ doloris. Iam igitur uidetis unde proueniat dolor capitis & sitis in febrientibus, in quibus non multum immorari oportet, res enim facilis iam est. Istud est

exemplum

exemplum sufficiens causarum, dispositionum & sym ptomatum in primo genere dispositionis præter naturam. Causa est putredo, morbus febris, symptomata sitis, & dolor capitis. Adfert exemplum in secundo genere morborum in compositione. (Causæ quoque exemplum est repletio in receptaculis) *Adfert exemplum de ægritudine, quæ dicitur a uulgaribus Cataracta hypochima, suffusio a nostris, ab* Auicenna *descensus aquæ ad oculum, & ponit primo suam causam, deinde ægritudinem, deinde accidentia consequentia. Quantum ad causam dicit, quod repletio in receptaculis in oculo est causa sufficiens, per repletionem intelligatis materiam replentem. Quantum ad receptaculum non audiatis modernos, ut* Iacobum Forliuiensem, *qui falsissimum dicit, intelligit enim per receptacula neruos opticos, in quibus dicit esse repletionem istam.* Ego credo il*lum nunquam curasse cataractam, neque enim illa repletio in neruis opticis est causa suffusionis, sed facit distinctam ægritudinem ita ut impendiat uisum, quia spiritus uisiui non possunt propter impedimentũ permanare ad oculos.* Propterea *illi nerui optici non ueniunt ad eam partem ut modo posit pertransire ad partes illas, in quibus fit suffusio, imo neruus opticus in retina & schlireti tunica dilatatur, & facit duas tunicas, quæ non causant nouum circulum oculi. Sed quid intellexit* Auicenna *per receptacula? propria uasa quæ sunt in tunica coniunctiua, quæ est repleta uenis, ut in illis uidemus, qui habent oculos calidos, ta*

les semper repletas illas uenas & turgidas habent sanguine. Cuius rei signum est quòd rarißime cõtingit, quod ubi essentialiter firmatur cataracta in oculo semper præcedit ophtalmia. Sed quid est ophtalmia? est inflammatio tunicæ coniunctiuæ, et ideo quã do ita replentur illæ uenæ humoribus crudis & alterius generis, tunc fit inflammatio, & tunc per uiam transmutationis, trãsit materia in suffusionum: Vnde receptacula non neruos, sed uenas intellexit, in coniunctiua, non nihil etiam est in ipsa retina, & ita habetis, quid sit illa uera causa præcedens cataractã, non est causa coniuncta, sed antecedens, quia duplex causa antecedens, & coniuncta, quam nos necessario ex Galeno ostendemus dari, & illi egregij Galenistæ eam propterea negant, quia inimici Arabum. Causa igitur ista in præsenti est antecedens faciens morbum. (Exemplum ægritudinis est, oppilatio in vuea, postea est ægritudo quando materia deuenit in eam partem quæ est inter vueam, & corneam, inter foramen vuæ & corneam.) *Credo uos scire ex Anatome, quomodo septem sunt tunicæ oculi, & tres humores, quemadmodum postrema tunica est Retina, alia est dura retina, conficitur ex membrana contegente neruos opticos, quæ membrana perfluit à molliori menynge ipsius cerebri, sicut durior membrana à duriori menynga. Postea est alia tunica, quæ facit circulum, & diuidit uitreum humorem ab albugineo, et est similis, ut optime Vessalius, lumen totius artis*

Anatomicæ appellauit supercilia, cui assentior. Sunt deinde aliæ tunicæ uersus interiora: prima est coniunctiua, deinde cornea, tertia est aranea, quæ uestit et ambit humorem cristallinum, et est ipsa uuea, quæ continet in se humorem illum aqueum. Sunt postea tres humores: postremus est uitreus, in medio est cristallinus, in anteriori parte est aqueus, ut uidistis alioqui, et credo uos uidisse. Illa igitur tunica, quæ dicitur uuea, habet foramem ad instar uuæ, si pedunculum in uua auelleretis, ita foramem hoc in uuea opponitur corneæ, et appellatur pupilla, ut per hoc foramen lumen et species transeant, si uisus intromittendo fiat, si extramittendo, spiritus per hoc transeunt. Quod si igitur humores deueniant ad hoc spacium inter foramen uueæ et corneam, ita ut cornea obstruatur, et foramen, semper impeditur uisus: et si est omnimoda obstructio, penitus destruitur uisus, si ex aliqua parte, in ea tantum parte in qua colligitur humor fit destructio uisus, et est ægritudo. Dicit Auicenna quod est oppilatio, et bene, quia oppilatio est dispositio uel habitus malus, quia est in primo genere qualitatis, bene dixit oppilatio non materia oppilans, propter modernos, qui dicunt materiam oppilantem esse ægritudinem: nam illa materia non est morbus, sed est substantia, causa morbi coniuncta et oppilatio est ipsi morbus, ergo est uitium facultatis uisiuæ, propter illam oppilationem non potest transire uirtus uisiua, et facultas, et species ad oculos. Materia modo ut est causa coniuncta oppilationis est illa

materia

materia oppilans, quæ opponitur inter foramen uueæ & corneam. Causa erat humor, & persæpe caret nomine illa res quæ facit ægritudinem, permansit nomen ægritudinis materiæ. Vt est lapis in uesica, non est ægrituditudo sed est substantia faciens ægritudinem. Sed quia ægritudo, quæ prouenit ex lapide in uesica nullum habet nomen, permansit nomen materiæ, & dicimus lapidem esse ægritudinem. Sic dicimus sextum digitum in manu esse ægritudinem, non quod reuera sit ægritudo, quia est substãtia, sed quia nomine caret, utimur suis causis. Vnde sequitur illa confusio propter defectum nominum. Sed nos semper debemus considerare naturam rei. igitur morbus semper erit dispositio, materia nũquam erit morbus, sed causa. Et propterea materia illa, quæ aggregatur intra foramem uueæ, & corneam, est causa non morbus, ipse morbus est oppilatio, quia aliud est oppilans, aliud oppilatio, aliud oppilatum. Oppilatum est corpus ægrum, oppilans est materia, oppilatio est morbus. Iam ergo habetis quæ sit causa antecedens ipsius suffusionis scilicet ipsa materia, quæ continetur in receptaculis ideſt in uenis existentibus in coniunctiua maxima ex parte, & aliqua ex parte in retina. Habetis quid sit formaliter suffusio, & quæ causa antecedens, quæ coniunctiua huius morbi, & est materia faciens oppilationem, audiatis suum symptoma. (Exemplum accidentis est destructio uisus.) *Hoc est accidens proprium quidẽ, & semper aßidet cataractæ integræ, tamen non soli cataractæ,*

ractæ, quia diuersis ægritudinibus, hoc etiam accidit, quod conuenit semper suffusioni integræ, non tamen soli. Igitur nolite uos propterea concludere hic esse cataractam, quia destructio uisus, sed oportet uidere maculam illam, quæ nemini occulta est, & est de his quæ extrinsecus apparent, uidetis colorem quendam factum uel ceruleum uel croceum. Exemplum *causæ est* Rheumatismus. Habetis iam exemplum in *ægritudinibus tam complexionis quàm cõpositionis, quid sit ægritudo, quæ causæ, & quod accidens, adfert modo tertium exemplum, de ægritudine in solutione continui: quando fit ulcus & separantur aliquæ partes sicut carnositas. &c.* Et quamuis hoc *genus morbi habeat diuersa nomina, tamen habet unũ commune nomen scilicet solutionem continui. quando postea inciditur neruus, uel os, diuersa habet nomina, de quibus nominibus nunc non curamus. Est ergo tertium genus ægritudinis, & adfert exemplum & dicit,* (pro causa præcedens adfert ulcus in pulmone quãdo aliquis fit phtisicus) *tũ enim appellat phtisicus ab effectu, quia communiter tabescit, cum tamen febris sit nouum accidens consequens ulcus in pulmone, quæ ægritudo dicitur* ϛητόνε *à græcis, quando est ulcus in pulmone: causa alterans in pulmone est rheumatismus acutus idest catarrhus salsus, & subtilis descendens, quia in substantia subtilis est, in qualitate salsus. Caueant ab his iuuenes, qui habent molles pulmones, unde facile penetrat, & suscipiunt catarrhos illos salsos & subtiles, quia catar*
rhus

rhus facit ulcus. (Eemplum ægritudinis est ulcus.) *Vlcus est ægritudo, causa est catarrhus salsus & subtilis.* (Exemplum accidentis est rubedo.) *Accidens consequens est rubedo in maxillis. Vnde uidetis tabescentes ut plurimum habere rosas rubeas in maxillis, cum tamen in toto corpore pallescant propter plurimos uapores ascendentis ad maxillas, quia ubi ulcus ibi inflammatio, & recte Galenus v. meth. Vbi ulcus in pulmone fecerit inflammationem, quæ inflammatio accedit propter ulcus, postea curabile non est, & sic illa rubedo est ex multitudine uaporum. Curuantur etiam ungues, quia cũ ungues se extendunt super carnem digitorum, dum caro adest quantum oportet, permanet, & ungues secundum formam carnis, sed ubi caro consumitur, ungues curuantur, & efficiuntur gibbosi, ut scuta illa incuruentur sicut cõtingit in corporibus demacratis, & quia carent carne, non habet cui insedeant, & sic gibbuntur. Igitur in phthisi ægritudine est ulcus in pulmone: causa est catarrhus salsus & subtilis. deinde addit, rubedo in maxillis, atque curuitas unguium, et quia ista sunt facilia, et nõ est ex professo nostro ut conteramus tempus, alia erunt dicenda, quæ magis referunt. Vbi igitur dedit exempla illarũ trium dispositionum, Nunc quoniam uidebat Auic. accidens etiam, et ut ipse alio nomine appellauit, nomine signi, quia significat ægritudinem aliquam, ne immoremini, postea ubi erit pertractaturus de accidentibus in ipso nomine, quod aliud sit ab accidente;*

quod propoſuit, dicit. (Accidens autem uocatur) *dicit quòd unum & idem eſt, appelletur accidens non reſpectu ſuæ eſſentiæ, immo eſſe hoc habet ſuum, ut ſuum eſſe ſit in eſſentia, modo ſignum non eſt de ſubſtantia compoſiti, hoc eſt de illa ſubſtantia cui accedit, ſed ineſt tanquam quoddam extrinſecum.* In *de dixit ratione ſuæ eſſentiæ dicitur accidens, eſt enim de ſua eſſentia, ut inſit quanta eſt, accidens hoc præter ſuam propriam ſubſtantiam eſt accidens reſpectu eius cui accedit, nam ſemper accidens dicitur, quia accedit accidens.* Habet autem idem accidens ut *ſit ſignum, quia accidens utitur eo tanquam ſigno, cõparando ipſum ad aliquam rem ſignatam, & ad aliquem terminum. Eſt igitur conſideratio accidentis, prout eſt accidens eſt ens reale, ut eſt ſignum, habet ens rationis, prout medicus conſiderat ipſum tanquã ſignum, & uult quòd hoc accidens comparatum ad rem ſignatam ſit ſignum, hoc modo eſt ens rationis, & appellatur ſignum quòd eſt factum comparatione ad rem ſignatam per diſcurſum medici, propter quem diſcurſum appellatur ens rationis.* Vnde *aduertatis quòd Auicenna hic accipit accidens et ſignũ longe diuerſe quàm paulo ante ubi dixit, & accidens eſt, res &c. hic accipit accidens alio modo in ſuo amplißimo ſignificatu, quando eſt res etiam naturalis, non tantum non naturalis, quod patet ex proprietatibus quas accidenti attribuit, quæ conditiones ſunt in qualitate & accidenti naturali etiam. quando etiam dicit de ſigno, etiam hoc non tantum pertinet ad medicum*

medicum prout est non naturale symptoma sed ad omnia accidentia. sic etiam Galenus diuisit signa in salubria, insalubria, et neutra: cum enim signum sit relatiuum, refertur ad aliquod signatum, recipit medicantia secundum diuersitatem termini signati, et si aliud ad quod refertur est res naturalis, dicitur signũ naturale, et salubre, si ad aliquam ægritudinem dicitur insalubre, quando ad neutram dispositionem dicitur signum neutrum, ut diffusius alibi de his pertractauimus. (Et est cum ægritudo sit alterius generis.) *Istud quod in illis omnibus uerbis intellexit usq; ad finem capitis est hoc et nihil aliud: proposuerat* Auic. *nisi tria illa circa quæ semper uersatur medicus, dispositiones siue præter naturam, siue secundum naturam, suas causas et signa, immo dicit aduertite; quod quandoque ægritudines, quæ sunt dispositiones efficiuntur, si alio modo considerentur et referentur, ad aliud causæ, & non sunt tantum ægritudines: quandoque sunt accidentia, ita etiam causæ. Causa erit quandoque causa in se, sed respectu alterius erit ægritudo, & accidens: sic accidens quatenus in se ipso sit accidens, tamen respectu sui ipsius sit ægritudo quandoque causa. Imo quandoque contigit, ut idem sit simul causa, morbus, et accidens. istud est quod proposuit* Auicenna. Nunc modo nos *uidere debemus propter quid ista dixerit* Auicenna *propter maximam utilitatem: primo dicamus cur hoc dixerit, deinde propter quid? Nõ potuit* Auicen*na hoc commodius pertractare, quam in proœmio;*

nam non oportebat ipsum pertractare de his, ubi seorsum agebat de causa, de morbo, & accidenti, quia hoc non magis uni quam alteri competit, sed de bebat pertractare in eo loco ubi de animalibus agit. Alia causa fuit quia si recte intelligatur quare ista po nat, adfert maximam docilitatem, & attentionem, quia debet parari in proœmio, si enim scietis quanta utilitas sit, ut cognoscatis quare ægritudo quandoque sit causa, quandoque accidentia, nisi sciatis istud quomodo curare potestis? Circa hoc oportet discurrere & scire unum, quemadmodum ista pars, quæ est theorica, ita est theorica ut reducatur ad propriũ finem, ad sanitatem uel ad conseruandam, si adest, uel restituendam si abest, & pars ista theorica non facit distinctam scientiam, nam una scientia habet unum finem & unum subiectum, & si theorica pars ista & pars practica habeant duos fines, tunc essent realiter distinctæ scientiæ, sed habent necessario illum finem scilicet sanitatem. Quando igitur ille finis sit intentus uidetur per istam theoricam & per considerationem istorum trium, quid ægritudo, quod accidens quot numeros, quot paßiones habent, ut sciamus illa remouere quando sunt præter naturam propter hãc formam, ut discamus, quomodo sint remouenda, iste enim est noster ultimus finis intentus, & nos non cognoscimus quando ægritudo habet rationem accidentis, quando rationem ægritudinis & sic de singulis, nec considerantur omnia ista propter aliud. Causa est quia aliter intendimus ad remotionem accidentiũ,

aliter

aliter ad remotionem causæ. Variæ sunt intentiones ad accidens, ad causas, ad ægritudinem ergo oportet uidere quando ægritudo sit una, quando non una, quia sæpe contingit ut ægritudo sit uno loco, in alio non, ut in pleuritide est febris, ergo est ægritudo in complexione tamen in pleuritide non curatur, ut morbus, quia si hoc modo curaretis interficeretis omnes pleuriticos, nam hoc loco febris est accidens pleuritidis, est ægritudo in se, & debet remoueri accidens ad remotionem sui morbi, non enim intendimus aliter ad remouendum accidens, nisi per remotionem sui morbi. Igitur quia hic febris in pleuritide habeatur loco accidentis, non debetis intendere ad remotionem febris, sed ad remotionem causæ & ægritudinis facientis hanc ægritudinem. Quæ est ista ægritudo? Est inflammatio membranæ contingentis costas, ex qua inflammatione necessario sequitur febris tanquam umbra corpus. Vultis curare febrem, curetis inflammationem: si negligitis ægritudinem interficietis ægrum, imo multa sæpe adhibentur contraria pleuritidi, si febri attendatis, curetis ergo inflammationē, quia sedata statim sedatur febris, quæ est accidens in pleuritide. Multum ergo refert domini scire, quando ægritudo habet rationem causæ, quando rationem ægritudinis, & sic de singulis. Audiatis modo hic pro bonitate istius textus unum etiam, ut sciatis optime quando ægritudo sit curanda prout est causa, quando ut morbus oportet ulterius discurrere, licet tamen hæc magis spectent ad practicam, uolo ergo uos exer-

cere in exemplis, quod puto esse utilius quam occupari in uanis et logicis Quæstionibus.

LECTIO QVINTA.

DICTVM *fuit in hesterna lectione a nobis, quemadmodum sæpe contingit, ut nos appellemus morbos, qui reuera non sunt morbi, sed uel materiæ, uel accidentia morborum, unde ex abusione sæpe incidimus in maximos errores. attulimus exemplum de lapide in uesica, & de sexto digito in manu, quod unumquodq; appellat morbum. Nonnulli ex acutissimis scholaribus obijcerent: Contra tu dixistis lapidem non esse morbum, sed affectum aliquem malum, sic sextum digitum non esse morbum, sed aliud carẽs nomine, dicas saltem essentiam nominis et non curabo de nomine. Volui heri differre responsionem: ut omnes eam audirent, non enim sufficit scire res non habere proprium nomen, sed scire oportet quæ sit essentia operũ, &c. Quantum igitur ad lapidem uesicæ, dico non oppilante: aduertite, nam si oppilet & impediat transitum urinæ lapis ille oppilans tunc est causa coniuncta materiæ, oppilans, sed quoniam non oppilat, ita ut non propter ipsum impediatur operatio in eo actu mingendo, quæ est ægritudo, quam tu dicis nomen non habere. Dico quòd est ægritudo in complexione, contingit enim hæc mala complexio, uel propter affluxum materiæ, uel sine materia, uel propter utrunque, ut exempli gratia, refrigeretur uesica, ut plerunque contingit in lapidibus*

uesicæ, fit frigida complexio uel cum humiditate, uel siccitate, qua mala complexione facta, duo contingunt, primo ut alimentum delatum ad uesicam nõ poßit recte concoqui, sicut fieri solet quando color proprius adest, unde cum non bene concoquatur, & conficiatur alimentum necessario aggregentur excrementa ratione defectus in uirtute concoquente in ea parte uesicæ. Deinde *cum infrigeratur uesica fit imbecillior se ipsa, unde reliqua omnia membra trāsmittunt sua excrementa ad ipsa & magis ad uesicam, quæ est tanquam sentina quædam excrementorum.* Vbi *igitur ad eam transmissa sunt excrementa, sicut non possunt insistere qui transmittuntur, ita non potest expellere transmissa excrementa, quia uirtus expulsiua a calore roboratur, hic uero refrigerata est.* Videatis *igitur quomodo tria contingunt: primo alimentum non potest recte concoqui, deinde omnia excrementa humidiora deueniunt ad uesicam, facta se ipsa imbecilliori propter frigiditatem. tertio non potest expellere excrementa propter debilem calorem, ergo ægritudo est complexio mala frigida ipsius uesicæ, uel cum humiditate, uel cum siccitate non curo, quia utrunque potest contingere, ita aggregatur materia, & tandem excoquitur illa materia in lapidem, ita ille lapis est effectus consequens quoddam symptoma & accedens illi malæ complexioni uesicæ.* Videatis *totam seriem. prima est mala complexio, quæ est ægritudo, & habet plures causas.* Vel *propter ætatem, ut in senibus; uel propter alias.*

D 4 *causas*

causas quàm malam complexionem, sequetur impedimentum, & actiones læsæ in uirtute concoquente & expellente, & in resistentia in qua unumquodq; membrum attrahat quod sibi conuenit, renouat quod inconuenit. Vnde est quòd plerunque contingit lapis in uesica in senibus propter malam temperiem frigidam existentem in uesica, uel in puero propter multam materiam crudam quæ deuenit ad uesicam, & suffocat calorem concoquentem, unde refrigeratur uesica, & sequitur huiusmodi accidens. Hæc est ægritudo, quæ facit lapidem in uesica, & quomodo fit lapis, exiens uero mutatum præter naturam existis, & sic uidetis quomodo usurpentur sæpe nomina affectuum & accidentium. Quantum ad sextum digitum in manu, si quæratis à me quæ sit ægritudo, dico quòd est symptoma non substantia. Quæ est ista ægritudo, ratione cujus contingit? Aegritudo fuit à principio ætas in generatione, quia tunc impedita est actio, illa ægritudo non fuit heri uel nudius tertius, sed in generatione, quia uitium fuit in facultatibus, ergo quærendum uitium in suis principijs? Fuit uitium in facultate formatiua, quæ non est nisi in corpore fœtus, & tunc temporis mala dispositio & ægritudo fuit. & quodnam fuit istud uitium. Vtrum complexione, uel in complexione subiecti? in complexione subiecti in qua erit ægritudo, ægritudo fuit in suo subiecto: exempli gratia, in semine quod semen fuit subiectum uirtutis formatiuæ, quod fuit uel frigidum nimis, uel peccans quantitate, & erat æ-

gritudo

gritudo in quantitate quia non potuit regulare uirtus materiam & assequi finem intentum. Et quia natura, elegit id quod melius est, uoluit generare aliud quia habuit materiam redundantem, ideo ratione quantitatis materiæ fuit ægritudo & uitium fuit in tali quantitate, unde sequuta est actio læsa, ita semper uidetis hmõi symptomata cum contingunt habere proprios morbos. Ista sint extra lectionem dicta, cum tamen possint conferre, accedamus ad intentum. Si recte memoriæ tenetis audiatis, audiebatis heri quẽadmoaum dixit Auicenna ægritudinem quandoque esse accidens, quandoque accidens esse ægritudinẽ; & quandoque contingere unum & idem sit causa diuersorum; Causa, accidens, & ægritudo. Audistis quantum referat hoc, ut sciat medicus, si debet uersari circa curationes, & ostendimus hoc exemplo pleuritidis: nam si curamus febrem tanquam ægritudinem in pleuritide, erraremus maxime. Et ut intelligeretis quid sit ægritudo & accidens. Supponendo illa quæ supposuimus, quòd omnia in arte medica considerantur propter finem, idest propter sanitatem. Habemus ista tria circa quæ debemus uersari si medici sumus, circa quæ speculamur & operamur. Videlicet ægritudines, causas, & symptomáta, & intentio nostra est tandem, ut cognitis istis quoad speculationem & omnibus passionibus, accedamus ad remotionem illorum. Ergo consideramus ista ut tandẽ sciamus remouere. Ergo sunt omnia remouẽda si remoueri debent, oportet nos inferre artificium rectũ

quo

quo remoueantur. & cum istæ sint res diuersæ, non eodem modo debent remoueri, quia aliter remouentur morbi, aliter causæ, aliter symptomata. ipse igitur medicus inuenire debet artificialẽ modum, quo ista remoueat. Vnde debemus incipere? Non ab *alio nisi ab eo à quo Galenus author omnium bonorum nos incipere iubet. Videlicet ab ipsa rei natura.* Vo*lumus remouere causam, incipiamus a causa. ergo oportet sumere indicationes remouendi causas a natura causarum; quæ cognita statim apparebit quomodo remouendæ. Quæ est natura causarum?* Non *frustra proposuit Auicenna quid sit causa, quum dicat. Causa in libris medicorum (loquimur tanquam Medici nunc) est res quæ primo aduenit, ex qua inuenitur, aliqua dispositio permanens uel fixa. Ista est ratio causæ. Causa igitur hæc habet, quod sit primo ante ipsum affectum, quæ primo est, & nos quando dicimus causa, intelligimus ut audiuistis causam efficiẽtem priorem effectu uel tempore uel natura simul, uel saltem natura, quando enim contingit ut causa et effectus sint simul tempore, & tamen semper præcedit natura causæ.* Ergo *causa ita se habet, ut sit prior morbis, ergo tempore uel natura uel utrunque. Accipiamus ipsam causam quæ præcedit tempore & natura ipsum morbum. Possumus etiam alio modo procedere & dicere: Causa cum præcedit uel tempore, uel natura, uel utroque morbum, ita se habet, quod uel factura est morbum, & nondum cæperit eum facere, uel fecerit, uel faciat.* In *istis tri-*

bus

bus causis debet uersari medicus, & nulla est pars, quam non debeat exquisitißime scire, si uult esse bonus medicus. Videamus causam facturam morbum, quomodo sit remouenda. Ista causa procul dubio nondum fecit morbum, est tamen haec causa morbi, cum tamen non sit morbus. exempli gratia, est aliquis qui aggregauit multos humores crudos, uel aliquod genus humorum deprauatorum, non tamen ægrotet, adhuc sit sanus. sicut credo multos hic adesse qui sint tales, nondum ægrotet, habeat tamen causas ægrotabiles in suo corpore, habeat humores qui sunt causa morbi, qui tamen nondum fecerint ægritudinem, facturi tamen à leui occasione nisi succurratur a natura uel ab arte. Ista causa quomodo indicationem sui facit? est cõmunis indicatio, quod debet remoueri, sed quomodo? Debetis scire quod ubicunque est causa antecedens morbum, & adhuc non est morbus, cum intentio recte curandi, ut 10. methodi & 11. sumatur à tribus, à re quam curamus, à temperatura corporis conseruanda, & ab aere, debemus ad tres illas indicationes respicere. sed quomodo remouendæ? Primo respiciendo ad temperantiam corporis: Iste homo non æger est sed sanus, ergo habet operationes omnes sanas & integras, non affectas, neque debilitatas, neq; uitales, neque animales & naturales tantummodo, habet causam illam, & est sanus, ergo oportet ut causa ista longe aliter remoueatur, quam cum adsit ægritudo, ergo remouemus causam istam præseruando

Intentio ... curandi, a, tr...
... sumit.

uatione, quæ longe tutior est, quam ipsa curatio, Quando modo causa faciat morbum quomodo se habet ista causa? Quando facit morbum est necessarium quod aliquid fecerit, & aliquid factum sit, nam docet etiam Aristoteles in lib. physic. quando aliquid mouetur, partim est in termine à quo, partim in termine ad quem. Quando igitur causa facit, partim fecit, partim facit. Igitur ista causa non est una, sed est duplex, & quia indicatio medici sumitur ab aliquo termino, quia indicatio est in genere relationis ad terminum indicatum, & qualis est terminus talis indicatio, si simplex indicatio ut in præseruatione, si compositus, composita indicatio. Modo causa hæc est causa faciens quæ partim iam fecit, partim nondum fecit, qui duo termini sunt diuersi: aliud enim est fecisse, aliud nondum fecisse, ergo duæ adsunt indicationes, prima erit ut utamur præseruatione pro eo quod nondum factum est, secunda pro eo quod factū est, utimur curatione. Adfero exemplum pleuritidis: in pleuritide est sua causa, quæ est ista? defluxus materiæ subtilis ad partem inflammandam. Videlicet ad pleuritica .i. ad membranam succingentem costas, quando adest causa idest materia quæ debet de partibus longinquißimis & maxime distantibus ipsi loco affecto. Exempli gratia si imminet periculum ne fiat pleuritis, non debèmus mittere sanguinem neque à dextro brachio, neque sinistro, quia contingeret quod humor ille sit pronus ut præcipitetur ad locum, & uos immittatis sanguinem per locum propinquum,

Arist:

quum, facitis morbum qui fortasse non esset factus, & uos cogitis ipsum fieri, ergo à partibus maxime remotis a pedibus, & tandem a uenis, quæ maxime recedunt à pleura debetis mittere sanguinem, quia indigetis præseruatione pleuritidis, quæ tutißime præseruabitur per sectionem longißimæ, & distantißimæ uenæ. Vnde in antispasi simplici, quando non est mista debemus reuellere ad partem quam maxime oppositam humorem fluxurum non fluentem. Modo quãdo partim plenitudo fecit pleuritidem, partim facit, partim factura, quod tunc est quando incepit pleuritis. Materia fluxura est factura, materia quæ fecit auctu fluxit, Materia quæ facit est in fluxu & fluit, oportet remouere humorem fluxurum per partes distantißimas & maxime remotas: sed humor qui fluit & est in uenis propinquis debet deriuari per partes propinquas. Ergo indicationes diuersæ erunt pro diuersitate causæ. Nam causa quæ est fluxura indicat euacuationem a loco maxime distante. Materia quæ facit morbum indiget euacuatione a parte propinqua & deriuatione. Quid facit medicus peritus? mittit sanguinem a latere affecto & seruat distantiam mediam, quia cum misti affectus, debemus ex alia parte euacuare a longinquo, ex alia parte a propinquo. Non possumus facere netrum simpliciter, quia si à parte maxime distanti, remedium paruum seu nullum esset: si uero euacuamus sanguinem fluxum à parte propinqua, ut facimus, quando materiam euacuamus cum his quæ applicantur loco affe

cto

cto augebimus fluxum: ergo eligimus partem mediã, quæ sapit naturam utriusque extremi, & quare? quia non est tanta distantia, ut non sit etiam aliqua deriuatio, non est tam propinquum etiam ut trahamus materiam ad locum: ergo reuellimus, & deriuamus simul. Sed si non esset inflammatio actu sed futura, à parte maxime opposita reuellimus. Hæc est curatio, & sic diuersæ sunt operationes in causa quã do facit & factura est morbum. Causa uero tertio modo quando iam fecit & non amplius facit, quia est cũ suo subiecto, ut est materia faciens apostema, quando apostema factum est, ut non amplius fluat humor, sed causa est coniuncta cum suo morbo, quæ cum fecit ægritudinem non facit, neq; factura est; Sic quando in febre putrida humor totus computruit, & non est alius sub forma causæ antecedentis qui debet putrescere. sed clarius est adferre exemplum de apostemate quam de febre, quia apostema patet ipsis oculis: ergo est in apostemate causa, quæ facit morbum ut non amplius fluat materia. Quæ est indicatio quæ datur hic? Videamus materiam rei, hic est causa coniuncta, complicata cum morbo, ita ut sit ita connexa, ut non intendamus ad morbum, quia non etiam ad causam & econtra. Vbi sunt sibi inuicem connexa debent remoueri? Sed quõ? Nunquam qui recte medetur euacuabit causam coniunctam cum euacuatione uel mißione sanguinis, quia faceret maximum peccatum, quando iam fluxa est non faciatis euacuationem. Nam quomodo uultis extirpare materiam

riam ibam infixam cum medicamento euacuante, est enim error maximus. Imo *Galenus iubet euacuare quando oportet per loca maxime propinqua: si materia in pectore, per tussim: Si in hepatis connexo per urinam: Si in concauitate hepatis per secessum. Quanto magis si materia insidet in loco longinquo et est infixa, uultis euacuare uel sanguinis missione, uel pharmaco. Si pharmaco, oportet quod materia crassefacta & putrefacta ingrediatur uenas & deueniat ad uentriculum. Si phlebotomia ad uenas, & sic traxeris rem putridam intra uenas, quam absurdum utrunque sit omnes sciunt. Sed quæratis euacuationem & maturationem a proprio loco difflando uel maturando ipsum apostema. Quod si est putredo in febribus et causa sit antecedens, huic debetur euacuatio. quod si actu sit putrida aperiatis meatus cutis frictionibus & linimentis & per diuretica, ita quod aperiendo semper remoueatis putrefactionem, ut iubet* XI. *Methodi præallegato loco Galenus. Quando curas febrem & phlebotomas parte detrahas de sanguine propter causam antecedentem non propter causam coniunctam, quia cum dicit quòd non uult trahere quantum oportet de sanguine, statim intelligit, quod erit remouenda putredo cum alijs, quam cum euacuantibus, & sic motus non sufficeret ad tollendam putredinem: ita si recte discurretis efficiemini boni medici, quia habetis bona præcepta. Iam ergo uidetis quomodo causa secundum quod diuersimode se habet, diuersos modos curandi requirat. causa enim*

nim factura tollitur uno modo, quæ facit alio modo, quæ fecit alio quoque modo & ratione, & sic quantum potuimus discurrere in tempore breui habetis, quomodo sit tollenda causa, audiatis modo quomodo tollattur ægritudo. Causam coniunctam in febribus pestiferis non euacuatione, aut pharmaco, aut solutione tollimus, bene antecedentem. Proptera quod putredo solis alterantibus curatur, refrigerantibus, & exiccantibus ex sententia Auicennæ, summa cura febris pestis est euacuatio.

Lectio sexta.

Vt recte positis assequi quod Auicenna dicebat in calce huius procemij esse dispositiones, causas & signa, quoniam scilicet diuersimode considerata in se, omnia, licet in se uel causæ, uel accedentia, uel ægritudines alio modo considerantur & potest esse ægritudo causa, et symptomata causa, et quandoque unũ, et idem potest esse causa, symptoma, et ægritudo. Cum hoc proposuit Auicenna erat uidendum propter quam causam hæc ita se habent; ostendimus magnam necessitatem & utilitatem, imò ostendimus nõ posse aliquem recte curare ægritudines nisi sciet ista omnia, et tandem quare ita se habeant et immutentur ostendimus ista esse necessaria. Ad bonitatem etiam disciplinæ fecimus digressionem, quia non tantum doctores, sed scriptores solent facere digressiones in quibus sunt multa ex re admodum, in ea digressione discurrimus si recte memoria tenetis, quemad-

modum causa, dispositio, et accidens hoc habent, ut sint præter naturam, et cum sint præter naturam debent remoueri ex corpore, sed quia diuersa ista sunt, sumitur quoque diuersa ratio curandi ab his, sed quo modo incipiendum? An à re quæ docet quomodo uersari debemus circa illam rem? Ostendimus exactissime quomodo à natura causarum sumamus diuersas indicationes, & quomodo debeant remoueri, et quòd aliter remouetur, causa quæ est simplex & antecedens, aliter quæ est coniuncta morbo et facit morbũ & separatur, aliter quando est tota coniuncta morbo & facit morbum, iam factus est, & causa perficit suũ opus. Ostendimus in istis tribus quomodo diuersimode se habent causæ istæ, quomodo in singulis quibusque debemus operari, de quibus satis dictum est heri, non oportet ampliare ea & repetere. Deerat *ut quemadmodum diximus quomodo sit remouenda causa, ita dicamus quomodo remouendæ sint ægritudines, quomodo accidentia.* Aegritudines *tolluntur, & ipsæ ut causæ.* Videlicet, a cognitione natu*ræ ipsius rei; & quid est ægritudo?* Aegritudo *est dispositio præter naturam in corpore humano a qua prouenit læsio operationũ prouentu primo, est igitur dispositio, & dispositio est quædam res, quædam qualitas permanens, est enim dispositio & habitus quidam affectus accedentes corpori permanentes; sic igitur talis est dispositio habet hoc unum principium, secundo habet hoc est in corpore humano à quo prouenit læsio operationum prouento, primo.*

Cum

Cum igitur talis sit ægritudinis natura & sic permanens dispositio, & in corpore humano, quam indicationem adfert sui ipsius? non talem qualem causa, quia causa adfert indicationẽ non ut curemus, sed ut præseruemus corpus. sed quando curamus causam? non curamus causam nisi quando est coniuncta morbo, quia nihil curatur, nisi morbus, quia cum morbus sit uitium facultatis à quo læsio prouenit, & sit subiectiue in corpore humano propter aliquam malã complexionem uel ægritudinem, curamus morbum uel a mala complexione uel a mala compositione, purificamus corpus ab ea labe ab illa disponendo. In accidentibus non fit ita, ut audietis. In causis audiuistis quomodo præseruetur corpus ne labatur, quando autem ægrotum est corpus tunc curamus, quæ curatio semper fit per suum contrarium adæquatum. Causa non requirit suum contrarium, nam sæpe remouemus causas per ea quæ sunt similia; quando materia calida erit euacuamus cum calidis, bene uerum est, quod habet contrarietatem quando causa plenitudo est, & tunc euacuamus, quæ tamen contrarietas nõ est sub eodem genere. Quantum ad morbum in complexione est manifestißimum imò seruamus eundem gradum oppositum, ut tertio artis paruæ. Exempli gratia, si per duos gradus complexio labatur per frigidum & humidum, occurrimus cum contrarijs cum duobus gradibus calidis & siccis, & hic erat magna quæstio an ab eodem gradu tollatur, contrarij gradus per se talis uidetur, quód ab inæquali

in gradu non fiat actio. Sufficit ergo dicere, quod a natura morbi sumitur uera indicatio curatiua, et curatur morbus, & curare nihil aliud est quam purgare corpus à uitio, quod lædit operationes, & tunc curamus corpus ab hoc malo affectu, quando tollimus eum, qui immediate causat impedimentum operationum, ut postmodum corpus poßit operari. Causas tollimus quidem, sed præseruamus ne inducant affectum: oportet manere semper in terminis quando uolumus habere distinctam sententiam: In *compositione patet: nam ubi figura est uitiata, ut illa quæ debebat esse recta, sit obliqua uel econtra, uel quod asperum sit l enc factum, tollimus cum suo contrario. Nam si rectum est quod torquetur, dirigatur cum directione; si asperum cum asperitate. Si erit morbus in uia in meatibus ut sit obstructio uos aperietis, & tandem semper procedetis, cum his, quæ sunt contraria. Si est nimia quantitas in membro aliquo, quæratis eius diminutionē, &c.* Et *tandem in quolibet genere & spetie ægrotationum quæ sunt in ipsa compositione semper procedetis per suum contrarium: curatio enim fit semper per contrarium.* In *solutione continui idem fit per contraria, quia per unitatem contraria est solutioni. Morbus igitur semper quatenus morbus est dat indicationem sui ipsius ut tollatur, & quod sola curatio conuenit morbo.* Q*uantum ad symptomata, oportet quod & ipsum remoueatur, quia tam causa quam morbus, quam accidens conueniunt in hoc, ut sint præter naturam, ergo tollenda.*

Accidens autem non tollatur, neq; p præseruationẽ, neque per curationem, sed accidens quatenus accidens sequitur ægritudinem, ut umbra corpus. ergo nulla est intentio curatiua ad accidens in quantum accidens, sed ad ægrotationẽ ipsam, a qua dependet accidens, nam remota ægritudine statim remouetur accidens, ut apparet in cataracta, quæ est destructio uisus, propter illam causam coniunctam quæ obstruit foramen pupillæ, modo si quis deponat illum humorẽ in medio existente statim immediate sequitur uisio, ita ut isti qui operantur, primo opponant rem aliquam & quærunt, ex his num uideant, ita quod non oportet quod curetur impedimentum uisus, sed in cataracta curatur morbus, qui est oppilatio, qua oppilatione remota statim sequitur uisio absque eo quòd aliter curetur. Ergo non curamus accidens in quãtum accidens, sed morbum. si enim uerum est quòd morbus est dispositio à qua essentialiter & prouentu primo prouenit impedimentum operationum, remota illa dispositione, à qua essentialiter dependet accidens, necessario remouebitur, & ipsum accidens, ita non oportet quod habeamus aliam indicationem esse accidens, quàm ut remoueamus morbum, dummodo stet sub forma accidentis, & non habeat rationem alterius. Et hic apparet necessitas considerandi quomodo accidens habeat rationem alterius. Nam quandoque habeat rationem causæ uel morbi si morbus esse oportet tunc trahit ad se curationem, & curatur uera curatione ut morbus. Si causa remouetur, ut cau

sa. Igitur bene uerum est quod accidens quatenus accidens non curatur sed tollitur ad remotionem morbi quem insequitur. Sed quando accidens suscipit rationem morbi indicat quod curatur, ut morbus, quando rationem causæ ut tollatur quemadmodum curatur causa sicut audiuistis. Hic *est punctus ut primo uideamus, utrum accidens possit esse causa & possit esse morbus quemadmodum hoc loco dicit Auicenna. hic punctus non est facilis, immo tam difficilis, ut si uideatis Conciliatorem, qui profitetur se conciliare homines; Vir magnus certe, sed nunquã uidi hominem magis confusum quàm in hoc negotio, differẽtia 36. & uidebitis aperte quòd nihil intelligit in hac re multa loquitur & nihil docet. Gentilis quando bene disputauit, multa fatua infert. Iacobus Forliuiensis in eodem paragrapho affirmat & negat, & ideo uidi omnes confusissimos in hac materia. Quod possit accidens esse causa res facilis est, nihilominus ut procedamus in ista quæstione ut debet procedi, & breuius quam possit fieri, oportet hoc nomen accidentis, primo distinguere, & non facere ut illi moderni, qui ante & post oppositum distinguunt quod distinguere debebant ante argumenta, quæ argumenta non faciebant tamen ad propositum, quia isti delectantur in coaceruatione argumentationum. igitur distinguamus. Accidens ut dixi in superioribus potest considerari dupliciter: primo in ampliori significatu, ut in primo de differentijs symptomatum, ubi docet Galenus quod accidens in suo ampliori significatu prædicatur,*

Accidens. 2r.

catur, de causa, de ægritudine, atque etiam de uero accidente, nam quicquid accidit corpori est accidẽs, sed causa & ægritudo accidit corpori, & etiam quæ consequuntur sunt accidentia, ergo modo ad hũc sensum & ægritudo & causa & illa symptomata sunt accidentia, sed quantum ad ueram sumptionem accidentis ut medici accipiunt quod à Græcis ἐπιγένιμα dicitur pro ut consideratur hic modo, accidens est illud quod sequitur ægritudinem, ita quod essentialiter distincta ista tria sint apud medicos accidẽs ægritudo & causa; nam causa est ex qua prouenit ægritudo. Aegritudo est dispositio permanens à qua sequitur symptoma ut umbra corpus, & ita unumquodq; habet propriam essentiam & definitionem, sed potius descriptionem, non enim uere possumus definire accidentia, & ita aliud est accidens, aliud ægritudo, aliud sua causa. Quando proponitur quæstio utrum accidens posit esse causa uel ægritudo intelligamus de accidente propriẹ dicto, quia si de accidente in ampliori significatu nulli esset dubium, cum igitur accidens sequatur ægrotationem ut umbra corpus, de hoc accidente quærimus. Respondemus primo huic quæsito ut procedemus in solutione quæsiti breuissime, quod accidens potest esse causa, quia cum accidens nihil aliud sit in propria essentia, quàm quod accidit corpori, istud accidens efficere potest aliam ægritudinem, & tunc accidens est causa ægritudinis Vnde quantum ad hoc dicatis, quod accidens proprie dictum potest etiam effici causa. Sed cum tria sunt

esse causa malarum ægritudinum. Et quare? quia ubi læditur actio in aliquo corpore, ut non possit homo exercere suas operationes propter multas causas, possunt aggregari multi humores, à quibus sæuissima accidentia sequuntur. Vnum tamen symptoma est quod potest facere sæuissimas ægritudines, ideo potest habere rationem causæ, quale symptoma est dolor, ex dolore enim depauperatur spiritus, ex defectu spirituum contingunt syncopæ, & deliquia animi, & ita dolor potest esse causa multarum ægritudinum, cum tamen sit accidens; est enim actio læsa cum sit tristis sensatio. Exiens mutatum manifestissime facit multas ægritudines; Vt quando quis habet fluxum sanguinis superfluum, uel uarium, uel hæmorrhoidum, sequitur Hydrops. *Vnde uidetis quomodo accidens potest esse causa ægritudinis, si comparatur ad aliud quod potest efficere; potest enim illud accidens ista omnia efficere. unde Galenus ista omnia docet* XI. *methodi. Accidens nunquam curatur nisi quando habuerit rationem causæ, & nos uidemus quod posset facere multas alias sæuas ægritudines, uertimus nos ad accidens & tollimus, si est dolor acutus, uertimus nos ad dolorem sedandum, ut quando est dolor* Colicus, *dicit* Galenus *quod debemus sedare dolorem, quæ sedatio doloris non est curatio, sedamus dolorem uel narcoticis idest stupefacientibus, uel anodynis, quia licet non curamus, tamen remouemus accidens molestum, & deinde curamus morbum, malam illam intemperiem quæ faciebat*

colicam

Dolor

colicam et hoc est quod dixit Auicenna in quarta, primi & cum curare uolueris dolorem prius seda, nam sedare dolorem non est curare. Vnde quando aliquis bonus chirurgus uult dislocatum membrum reponere, primo sedat dolorem, & ita aliud est sedare dolorem, & aliud curare, sedamus dolorem quando habet rationem causæ, & præseruamus hominem à futuro periculo à morbo à syncope, &c. Hactenus non habemus accidens esse morbum, sed bene causam & ita nunquam debetur hactenus accidenti curatio, bene præseruatio ut causæ, quia reuera causa est neque oportet amplius dubitare an accidens sit causa, sed utrum accidens sit morbus & poßit esse morbus: hæc est tota quæstio. Disputant hic in utranque partem, quidam argumentantur in partem affirmatiuam ut Iacobus Forliuiensis, sæpe contingit ut ipse dolor, Exempli gratia, est accidens immediate curetur, medici enim intendunt ad doloris sedationem, sed curatio debetur morbo, dolor curatur, ergo morbus est. Præterea morbus est à quo impediuntur operationes, primo, &c. Sed à dolore prouenit impedimentum operationum, primo, & essentialiter, ergo dolor malus est; si modo dolor habet conditionē morbi, curatur ut morbus? Decipitur Iacobus, quia dolorem accipit sub alio significatu: aut enim non intelligit, aut dißimulat. Debetis scire quod nolo occupari in superfluis, sed faciam id quod præcepit Galenus, ut uideamus æquiuocationem, an sit æquiuocatio doloris, quia omnes nugæ in æquiuocatione doloris

ris fundantur. Videamus ergo quid dolor? Dicunt isti est tristis sensatio; unde peruenit dolor? necessarium est quod habeat suas causas, est enim aliqua alteratio & paßio, quæ dicit motũ, ergo oportet quod sit aliquis motus, qui faciat istum dolorem. Ista alteratio in quo est? Alteratio est in qualitatibus, quod si debet aliquis dolere uel repente refrigeretur, uel exiccetur, uel excalefiat, uel quod soluatur continuum. Ista duo attinẽt aliquo pacto ad alterationem, quia & solutio continui sumitur large pro alteratione, tunc sequitur dolor, & non potest sequi, nisi ex altera duarum causarum: ita determinauit Galenus, & Auicenna licet Auerroes dolorem tantum a mala complexione, fieri dixerit, non a solutione continui, & quod sit mutata qualitas ipse dolor. Supponamus nunc ut Galenus, quod ab utroque fiat dolor, et male interpretantur illi, qui dolorem a solutione continui, ex sententia Galeni fieri uolunt, quod falsißimum est, ut optime Auicenna, Galeni interpres declarat, & qui solus Galenum recte intellexit, posuit duas causas æque proprias, et adæquatas doloris, malam uidelicet intemperiem & solutionem cõtinui. Si igitur istæ duæ causæ doloris mutatio in cõplexiõ, & solutio unitatis quæ causæ faciunt tristem sensationem? Quando igitur alteratur & soluitur continuũ fit dolor qui est accidens, & paßio, quæ sequitur illã alterationem, dolor autem non est alteratio, non illa solutio continui, sed sequitur illam alterationem uel solutionem continui. Est igitur dolor ille tristis sensatio

satio

satio (in hoc est totus punctus) qui sequitur in altera tione qualitatis, &c. Si uos consideratis dolorem prout talis est, nunquam dolor poterit esse ægritudo aliquo pacto, neque aliquis est tam rudis, stupidus, & asinus qui dicat dolorem hunc esse aliquo pacto ægritudinem. Accipiamus dolorem capitis, & dolorem colicum permanentem & reliquos dolores existẽtes in corpore. Dolor sequitur alterationem & motũ, quàm diu sit dolor, tam diu est pugna, nã ubi perfectus est motus alterationis, statim cessat dolor. Vnde febris hectica non percipitur à patiente, quia in toto perfectus est ille habitus; non enim dolor est nisi in motu & alteratione, illa alteratio & motus ad ægritudinem quando est tenens ægritudinis ita quod appellari posit ægritudo, nam semper ægritudo est in motu, ut Aristot. in 7. problematum. Aegritudo est motus, sanitas est quies. & de hoc quomodo ægritudo est motus, &c. esset pulchra quæstio. Sed quando dicitur ægritudo est dispositio permanens, ratione huius termini ut deueniat ad hunc gradum, ut manifeste & secundum sensum impediat operationes, quæ tantummodo illo alterato dicitur ægritudo, ante erat illa alteratio motus sed non ægritudo, quia non impediebat operationem. Igitur quando fit alteratio in corpore quando caput dolet, non dolet, nisi uel soluatur continuum uel mala complexio illi accidat. Accipiamus illam alterationem quando fit ultimo in capite, alteratio est unus dolor, alius dolor est accidens alterationis, alteratio modo uel est ægritudo uel

non,

non. quando non est ægritudo, ægritudo? quando ægritudo capitis molestet quidem hominem sed non impediuntur eius operationes, & illa causa non est ægritudo: quando autem figitur, ut ille homo non possit neque dormire, neque comedere, & soluantur ipsius uires est ægritudo in capite non dolor, est illa alteratio fixa in capite & Galenus in primo κατὰ τόπους*, in primo quid curat, curat complexionem malam, non dolorem nisi quando est ita acutus ut sedare cogamur ipsum cum anodynis: curatur enim mala complexio & solutio unitatis, ad quam sequitur dolor; sed audiuistis quomodo frequentissime appellamus accidens nomine ægritudinis, & nolite credere Iacobo, qui decepit uos suis æquiuocationibus, semper intelligatis de dolore uero, qui dolor accidēs est & non de illo qui est mala complexio, non enim dolor est.* Dolor igitur capitis siue Galea, siue Hemicranea, *aut ouum sunt æg[illegible]ines quæ appellantur, nomine accidentis, sicut & paralysis, apoplexia appellantur, sub nomine ægritudinem.* Dolor capitis *non est ægritudo sed est sua propria causa.* Et quando Auicenna *dixit dolorem capitis permaximam esse ægritudinem intelligit de alteratione permanente, quæ est ægritudo.* Bene *uerum quod* Auicenna *dedit occasionem errandi illis asinis ineptis.* Quod *ita intelligatur* Auicenna*, uideatis ipsum in prima tertij quando curat dolorem capitis, non aliter curat nisi tollendo uel malam complexionem, uel solutionem continui, & ita semper uerum uero consonat.* Vt *igitur*

igitur concludamus quādo propoſuit Auicenna *quòd ægritudo poßit eſſe cauſa, concedatis, quia ægritudo poteſt eſſe cauſa alterius ægritudinis, ut ægritudo in pulmone ulcus ſit, poteſt eße cauſa hecticæ. Aegritudo poteſt eſſe accidens, ut febris eſt accidens in pleuritide. Sed nunquam cauſa poteſt eſſe ægritudo res eſt manifeſta, quia hoc repugnat difinitioni cauſæ, ut ſi ægritudo. Si enim cauſa eſt illa a qua prouenit ægritudo, quando eſt cauſa quatenus eſt cauſa non poteſt eſſe ægritudo, quia oportet quod ægritudo ſit res fixa, quia ſi cauſa habet hoc proprium ut cauſet ægritudinem antequam ſit læſio operationum, tunc illa cauſa dum eſt cauſa non poteſt eße ægritudo nam eſſet diſpoſitio antequam proueniret operationum læſio.* Nanque *etiam accidens cauſa eſſe poteſt, ſed ægritudo bene eſſe poteſt cauſa & accidens & omnia ſimul. Iam omnia manifeſta ſunt.* (Sicut in Colica dolor fortis.) *Notetis eſſe uerba, intelligere non dolorem colicum, ſed affectum in colo inteſtino, quia eſt uel mala complexio uel mala compoſitio uel &c. à qua ſequitur dolor ni co inteſtino, qui dolor poſtea denominat illam ægritudinem, & dicitur dolor colicus, ergo dolor colicus eſt accidens. ſicut igitur ægritudo, quæ eſt uel in mala complexione, uel compoſitione cauſæ fit ægritudo in ſe ipſa ſemper eſt cauſa alterius ægritudinis, ut paralyſis, ſyncopæ, & epilepſiæ.* Notetis *igitur*, quomodo dolor *poßit eſſe cauſa trium ægritudinum ſyncopæ paralyſis & epilepſiæ.* Primo quomodo *ſyncopam* Gal.

xii.Terap.

xii. Terap. *Cum colica habuerit in se acutißimum dolorem ut si terebro intestina perforari uiderentur (qui non est expertus non curet experiri, ego expertus sum) est tam acutus dolor, ut sæpißime faciat syncopam, resoluuntur enim spiritus & uires ex huius dolore, præcipue in his qui natura debiliores fuerint. Nam syncopa nihil aliud est, quam defectus spirituũ, & malus motus spirituum cordis, quotiescunque spiritus uitales uel propter paucitatem suam, uel malã temperiem non possunt diffundi per singula membra ut dent actum perpetuum & uitam, tam diu enim uiuimus, quamdiu affluit calor ex corde actu in uniuersum, & quæ pars illo calore priuatur, illa destruitur à proprijs actionibus, & si diu permanet moritur illud membrum propter defectum caloris, quæ ægritudo dicitur Gangræna. Quoties igitur spiritus mouentur motu tremulo dicitur syncopa, quæ est nomen accidentis, quia syncopa est casus & lapsus uirium 12. Meth. & significant concedere, quando concedit uirtus & facultas uitalis, & est nomẽ ægritudinis. Quæ est causa? est uitium spirituum quando deficiunt spiritus & est ægritudo in quantitate quæ deficit uel abundat, deficit in syncopa spiritus, ad cuius defectum sequitur impedimentum & actio læsa ut membra priuentur tantisper suo actu uitæ &c. Syncopam igitur Auicenna non intelligat pro ipso defectu et actione læsa siue accidente, sed pro ægritudine.* (Aut paralysis aut epilepsiæ.) *Epilepsia est motus spasmosus uniuersalis, qui contingit in ægritudine*

quadam

quadam, quæ est in complexione uel compositione, quando propter malam complexionem cerebri, oppilantur uentriculi cerebri, & spiritus non posit moueri & distribui in partes corporis, & mouentur, motu tremulo, fit ille motus spasmosus, qui dicitur epilepsia, ille motus est nomen accidentis, sed ægritudo est imperfecta obstructio uentriculorum cerebri, quia si completa esset, epilepsia non contingeret sed Apoplexia. Igitur Epilepsia est ægritudo non accidens: Paralysis autem est priuatio uel sensus uel motus uel utriusque, sed plerunque permanet motus: quoties aliquod membrum non potest moueri uel sentire dicitur paralyticum & differt à tremore, quia plerunque præcedit paralysin, & ista paßio est nomen ægritudinis non symptomatis, sed mala complexio in membris est ægritudo, licet paralysis sit nomen accidentis.

LECTIO SEPTIMA.

De diuisionibus dispositionum corporis humani. & de generibus ægritudinum.
Cap. II.

ERANT *nonnulla dicenda in calcem præcedentis lectionis, sed quia ea facilia admodum sunt, nolo immorari in his amplius, si qui uero dubitauerint accedant ad me, & satisfaciemus illorum petitionibus. ergo aggredicmur hoc caput. Iam uidistis domini*

mini pro continuatione quemadmodum in ſuperiori capitulo quod fuit tanquam proœmium huius ſecundæ Fen, propoſuerat Auic. tria, circa quæ non tantum uerſatur Auic. in hac ſecunda Fen, ſed totum artificium medici uerſatur circa hæc tria, quæ neque plura neque pauciora eſſe poſſunt; Videlicet diſpoſitiones, cauſæ, et accidentia. Cum propoſuerit illa tria, & attulerit quaſdam proprietates communes ſingulis iſtis tribus ut audiuiſtis; Nunc ſeriatim incipit agere de ſingulis ſenſim, et incipit à diſpoſitionibus. Et iam diximus in ſuperioribus quare propoſuerit primo cauſas, ſecundo loco diſpoſitiones, tertio accidentia, nunc uero in executione incipit à diſpoſitionibus. Diximus de his ſatis diffuſe, et etiam propter iſtam cauſam nunc dicendum, primo propoſuit tractare de diſpoſitionibus, quoniam cum ad diſpoſitiones referantur, tam cauſæ quàm ſigna, habent enim ſe tanquam relatiua, ergo cum ſint tanquam relatiui fundamentum, et diſtinguantur cauſæ et ſigna penes illas diſpoſitiones, erat neceſſario primo agere de diſpoſitionibus. Quod autem reliqua duo ad diſpoſitiones referantur, manifeſtum eſt ex Galeno primo artis paruæ ubi dicit, dicuntur cauſæ ſalubres, inſalubres, ſigna ſalubria, inſalubria, ſecundum quod diſpoſitiones humani corporis, ad quas referuntur, ſunt tales: ſi enim ad ſanitatem referuntur, cauſæ dicuntur ſalubres: ſi ad ægritudinem referantur, inſalubres appellantur; ſi ad neutralitatem, neutrales, ſic de ſignis dicatis. Cum igitur ſicuti patet & cau-

ſæ & accidentia referantur, ad diſpoſitiones humani corporis, merito de diſpoſitionibus primo agendum erit, deinde de illis quæ referuntur ad diſpoſitiones; erat ergo neceſſarium, ex his quæ diximus, primo incipere & agere de diſpoſitionibus, poſtea de cauſis & accidentibus. Sed eſt maior Quæſtio, num tum cauſæ tum accidentia referantur ad diſpoſitiones, & accidentia ſint longe notiora quam ipſæ cauſæ, & à notioribus ſemper incipiendum eſt, & hic non eſt relationis ratio, cur igitur poſt diſpoſitiones non tractauit ſecundo loco de accidentibus, poſtmodum de cauſis, ut Galenus primo artis paruæ, primo de diſpoſitionibus tractauit, deinde de ſignis, tertio de cauſis, et quia ita natura rei exigit & Auicenna Galeni interpretem ſe eſſe fatetur, cum Galenus hoc fecerit, quare non ipſe hoc idem fecit? facit hoc magno artificio Auicenna, neque potuit aliter facere, nam ipſa accidentia ſunt ſigna & ſignificationes & medici utuntur illis pro cognitione ægritudinum. Cum igitur non tantum ſignum fuerit ægritudinum, ſed & cauſas ægritudinum, ſi debent denotare morbos, debetis habere peritiam ſignorum, quæ indicant illas diſpoſitiones, & cauſas, ſi inquam debetis habere perfectam cognitionem ſubiectorum, nam accidētia cognoſcuntur per ſua ſubiecta, cum etiam referantur ad cauſas & diſtinguantur in quantum cauſas, primo oportebat Auicennam agere de diſpoſitionibus, ſecundo de cauſis; tertio de accidentibus, quæ non tantum diſpoſitiones demonſtrant, ſed etiam ipſas cauſas, quia ſi non cognoſcetis,

gnoscetis causas, quas significant, frustra de his ageretis. Quod autem accidentia significent, tam causam quàm morbum, apparet in multis exemplis. dicamus de febre putrida, à melancholico humore, uel pituitoso dependente. Ista accidentia non indicant tātum febrem, sed causas, ut inæqualitas pulsus indicat febrem putridam, in febribus hecticis, et ephemeris non est inæqualitas pulsus. Præterea urinæ crasßiores, turbidiores, & crudiores in principio quando incipiunt putrescere humores, indicant putredinem, in colore postea, prout urina est rubea, citrina uel albicans indicantur humores qui putrescunt. Pulsus tarditas, frequentia, uelocitas, non indicat febrē sed causas particulares febris a quo humore fiet febris, ita indicant ipsa accidentia, quæ consequantur, non tantum morbos, sed causas morborum. Cùm ergo indicant tam causas quam morbos, recte Auicenna tertio loco egit de accidentibus, & non fecit hoc casu, sed summa arte & artificio. Quod autem Galenus in arte parua, seruarit alium ordinem, non miremini; quia intentio Galeni non erat docere medicinam ibi, sed rememorari ea, quæ in alijs libris, diexodice, docuerat; quod expresse ipse docuerat fatetur in proœmio artis paruæ; quòd ille liber est factus ad memoriam. Ergo cum uoluerit Galenus ostendere quomodo ex diffinitione nascatur cognitio causarum & dispositionum, non curauit primo tractare de causis, quia cum tradit doctrinam, sed quando seruat ordinē doctrinæ facit oppositum, ut hoc loco Auicenna fecit.

Quod hoc sit uerum uideatis librū de definitione morborum, & symptomatum, semper primo proponit morbum, deinde differentias symptomatum, deinde inuestigat causas singulorum, & semper postponit symptoma, ut cognoscantur causæ, ut de illis inuestigemus causas accidentium tantum, non morborum; nam causas symptomatū, uel symptomata intellexit Galenus prout unum non refertur ad aliud, sed prout separata sunt à seipsis, Auicenna autem considerat quo modo aliud ad aliud se habeat, & ideo merito prius egit de dispositionibus, secundo de causis, tertio de signis, uult enim docere artem integram per suum ordinem. corporis humani dispositiones, secundum Galenum sunt tres; exequitur textum & dicit, quòd secundum Galenum dispositiones humani corporis omnino sunt. tres in genere dixit secundum Galenum secundum medicos dogmaticos. Quorum princeps fuit Galenus. Quanuis Hippocrates fuerit prior Galeno, & parens, & inuentor medicinæ, Galenus tamen explicator, ergo interpretemini secundum medicos dogmaticos, omnes enim ita tenent esse tres dispositiones humani corporis, licet philosophi & Aristot. non cognouerint nisi duas dispositiones, sanitatem, et ægritudinem non mediam illam, tamen non est discrepantia inter Aristotelem & Galenum, nam quo ad uirtutem & rationem, non est medium, sicut neq; aliquod medium, inter priuationem & habitum, inter æqualitatem & inæqualitatem datur. Sed quando medicus considerat, quo ad sensum, nō curat nisi quod

ſenſui apparet, dicit dari neutram diſpoſitionem, & licet dare etiam ſanitatem. quando operationes ſunt ſanæ & incolumes in corpore ægritudines, quando corpora ſunt læſa, tamen quandoque contingit, ut neque manifeſtentur læſiones operationum, neque incolumitates, ſed neſciamus quandoque perferre de nobis ipſis, an ſimus ſani an ægri, ut eſt communis modus loquendi, ego neque ſanus neque æger ſum, neſcio quid habeam, exercent quidam ſuas operationes, ſed exercent debiliter in hoc, licet ſit alteratio & dependeat ab ægritudine tamen non eſt ægritudo ſi æger dicitur, ille qui actu ægrotat, uel melius qui percipitur ſenſu ægrotare. Ad hunc terminum ſumitur à medicis medium illud quod appellatur neutralitas, cum tamen dicerent Philoſophi qui conſiderant rem non ſecundum ſenſum, ſed ſecundum rationem, quòd toto eo tempore quo mouetur à termino, à quo ad terminum, ad quem eſt in ſanitate, ubi uero in termino ad quem apparet læſio operationum dicetur ægrotare, & ſi bene conſideratis rem ipſam, non eſt diſcrepantia niſi in uerbis. Secundum igitur omnes medicos tres ſunt diſpoſitiones humani corporis, quādo ſunt impeditæ operationes dicitur ægritudo: quando operantur omnes ſuæ operationes dicitur ſanitas; & quando ambigunt medium ut neque planè ſanum hominem, neque ægrum poßis dicere, neutralis diſpoſitio dicitur. De iſtis tribus diſpoſitionibus eſt agendum. (Sanitas quæ eſt diſpoſitio.) *Incipit dicere quid eſt ſanitas, & merito à ſanitate incepit,*

pit, quia sanitas est prior tempore natura, & notior etiam quoad nos: Sed hic est difficultas. Vnde est, cũ Auicenna proposuerit tres esse omnino dispositiones in humano corpore, quæ omnes sunt necessariæ cognitu ab ipsis medicis, neque sine cognitione istorum trium, tum quo ad essentiam tum quo ad omnes passiones, medicus non potest esse medicus, nihil dixerat de sanitate, proposuit tantum de ea, deinde incipit tractare de ægritudine, potest esse dubium, quare hoc fecerit: est enim nobilior & magis necessaria sanitas; non possumus enim cognoscere ægritudinem nisi cognoscamus sanitatem, quia curamus ægritudinem per relationem ad sanitatem, ergo erat diligentissime agendum de sanitate. sicut Galenus prius tractauit de sanitate, antequam tractaret de ingenio & methodo tradendæ artis curatiuæ, cur ideo non idem facit Auicenna? Ad hoc respondemus, quod dupliciter consideramus sanitatem; uno modo theorice quo ad ipsam essentiam sanitatis, alio modo practice, quo ad modum & methodum operandi. Si theorice consideramus non possumus aliter facere, quam fecit Auicenna, neque aliter fecit Galenus: nam sanitas in se ipsa habet nomen, sed species sanitatis nullum habet nomen. Sanitas quæ opposita est. V. gratia Cataractæ nullum habet nomen, ita de singulis quibusq; sanitatibus. Cum igitur non habeamus nomina particularia ut de ægritudinibus, quomodo tractabimus de sanitatibus, de quibus tractandum erat? Aegritudines, ut uidebimus quando agemus de ægritudinibus, habẽt

semper

semper suam optatam sanitatem, licet non habeamus nomen, uidebimus tamen essentiam ipsius & contrarium. igitur non theorice quo ad species pertractare de sanitate, cum nos non possimus, ut nos uidebimus de singulis ubi de ægritudinibus agemus, quantum ad suum genus sanitas nomen habet, sed propria nomina non dantur. Sanitas autem duplex est, sanitas simpliciter, & sanitas ut nunc, ut distinxit Galenus *primo artis paruæ. Sanitas simpliciter distinguitur adbuc, ut semper, ut multum. de hac sanitate egit* Galenus *etiam in libro de opt. habitu, & in primo de sanitate tuenda; & quando locutus est* Galenus *in genere nihil aliud dicit, quam quòd sanitas quædam est simpliciter sanitas quædam, ut nunc non explicat alias species sanitatis. Istas sanitates possunt & docuit* Auic. *in prima* Fen, *non oportebat ut nunc doceret; sed docuit ubi locutus de temperaturis, ibi dixit temperaturam.* Et *ibi de hoc diligenter tractauit, ubi numerauit eius species multo diligentius atque accuratius ipso* Galeno; *neq; ob id debetis expectare tractationem ab* Auic. *theoricam de sanitate in uniuersali, sed ut consideratur practice, ut nunc* Auic. *copiosissime tractauit in tertia* Fen *primi. & imitatur ipsum* Galenum, *neq; alio modo egit* Galenus *de sanitate quàm* Auicenna. *ecce ergo quo modo* Auicenna *manet intra limites suos & continetur in suo ordine.* Ideo *debemus eum imitari, quoniã in tractando eas ipse met* Galenus *reuolutus est, quoniam id quod tractauit cõfuse* Galenus Auicenna *postea ordinauit, & ultra illud*

lud quod facit Galenus ipse Auic. postea tradit modũ operandi, quod assecutus non est Galenus in suis tractatibus, quoniam & si Galenus tradiderit medicinã, tamen eam non constituit etiam circa particularia.i. curando, quapropter bene dicebant isti antiqui nostri, non medeberis cum Galeno sed cum Auicenna neq; ob id contemnendus est Galenus quoniam ille medicinam illustrat. ob hanc ergo causam Auicenna tractare noluit de sanitate in uniuersali, sed ueniam, modo ad definitionem ipsius sanitatis, ideo (sanitas est &c.) *cum sanitas ipsa sit ægritudini contraria, & multum inter se fiat distantia, ideo sub eodem genere sunt, sed uisum est iam quod in definitione ægritudinis est ipsa dispositio ergo dispositio erit etiam definitio sanitatis, quoniam est earum genus: sanitas ergo est dispositio, postea subiungit* (per quam corpus hominis in sui complexione & compositione tale existit,) *sunt autem istæ causæ proximæ sanitatis, quæ sunt causæ eius efficientes, quæ existũt in ipso membro subiectiuo, & sanitas est in illis subiectiue, sed hic statim dubitatur cur solum numerauit istas duas causas proximas, dimiseritq; unionem, cum tamen supra numerauerit istas tres in exemplis ægritudinis. ad hoc dico quod Auic. studens maxime breuitati ipse subticuit istam tertiam speciem, quoniam cum solutio continui sequatur intemperiem, & quoniam etiam in solutione continui ipsa compositio læditur, ideo cum dixit complexionem & compositionem subticuit unionem continui, quoniam reducitur*

sub

sub compositionem, ideo ne definitio sanitatis nimis protraheretur, diligens Auicenna prætermisit unionem, quoniam dixisset sanitas est dispositio, per quam corpus hominis in sui complexione, & compositione, & solutione continui tale est &c. sed huc usque sanitas conuenit cum alijs duabus dispositionibus quoniã ægritudo & neutralitas sunt dispositiones in corpore hominis in complexione, compositione & solutione continui, ideo Auicenna subiungit id per quod sanitas distinguatur ab istis dispositionibus, & subiungit differentias dicens (vt ex eo omnes operationes proueniant incolumes) *sed sciatis quod Auic. dixit sanitatem esse causam complexionis & compositionis & solutionis continui, tamen est res, econuerso, quoniam compositio & complexio sunt causæ sanitatis, ideo sciatis quòd sanitas potest dicere causam dupliciter, uel subiectiue, & hoc modo sanitas non est causa ut corpus humanum habeat bonam complexionem, uel bonam dispositionem, imo corpus & cõplexio sunt causæ sanitatis subiectiue, quia sanitas in illis subiectiue manet, alio modo sanitas potest dicere causam formaliter ipsius complexionis & compositionis, & hoc modo ueritatem habet dictum Auicennæ, quoniam sanitas est dispositio, & dispositio semper est in ipsa facultate primo, à qua immediate pendent operationes ipsæ, ideo dictum Auicennæ habet ueritatem intelligendo sanitatem ut habet rationem causæ formalis, postea dicitur* (& ægritudo est &c.) *Cum Auicenna iam proposuerit de sanitate*

camq;

eamq; definiuerit in præsenti parte aggreditur proponere secundam dispositionē, uidelicet ægritudinem, & nihil aliud dicit quàm quod ægritudo est dispositio corporis humani illi sanitati contraria, & cur dimisit definitionem illius, cum tamen definiuerit sanitatem? primo dico quod prætermisit eius definitionem quia superius in primo capite definiuit eam cum dixit (& ægritudo est dispositio non naturalis in corpore humano &c.) *ideo ne idem bis repeteret subticuit nunc eius definitionem, secundo quia contrariorum eadem est disciplina, & quia sanitas contraria est ipsi ægritudini, sanitásq; definita iam est ideo per contrariam rationem definire possumus ipsam ægritudinem, ideo subticuit eius definitionem studens breuitati, sanitas enim est dispositio, qua corpus hominis existit in sui compositione, & complexione, ut ex eo omnes operationes incolumes proueniant, formetis modo uos definitionem ægritudinis contrariam, huic ægritudo est dispositio, qua corpus humanum existit tale in sui compositione, uel complexione, ut ex eo proueniant operationes læsæ. Sed hic unum est adnotandum, quia Auicenna definiens sanitatem per dispositionem in complexione & compositione, usus est coniunctione, uidelicet copulatiua, & cum tamen in definitione ægritudinis superius data, in capite primo usus sit distunctiua uel, cum dixit ægritudo est dispositio &c. aut in compositione, aut in complexione. Ad hoc respondeo & dico, quòd ratio huius diuersitatis fuit mira apud istum hominem, quoniā ad*

ad hoc, quòd corpus humanum sit ægrum non requiritur, nisi quod sit læsum uel in compositione tantũ, uel tantum in complexione, uel tantum in solutione continui, non autem requiritur ad hoc quod dicatur esse ægrum ut sit homo in istis omnibus simul, ob id Auicenna *definiens ægritudinem, usus est disiunctiua, sed quia ad hoc quod corpus humanum dicatur esse sanum requiritur non solum quod sit incolume in una istarum specierum, sed etiam oportet quod sit incolume in omnibus simul si sanum esse debeat, ideo* Auic. *definiens in præsenti cap. sanitatem, usus est copulatiua coniunctione, & quoniam est sanitas simpliciter, & sanitas secundum quid, ideo si debet esse sanitas simpliciter, oportet quod nullam habent operationem læsam omnino, & hoc notetis bene propter ea quæ dicturi sumus inferius, & propter ea quæ dicuntur ab istis modernis, ne uos implicent suis nugis cum disputant de neutralitate, sicut paulo inferius dicemus. est modo tertium propositum cum proposuerit duas dispositiones nunc exequitur de altera, uidelicet de neutralitate, quæ neq; est ægritudo neque sanitas. cum enim ipsum corpus neq; plane sit ægrum cum exerceat suas operationes, neque plane sanum, quoniam est aliquo modo læsum, & hæc dispositio cõtingit corpori tripliciter. Aut enim contingit, quia neque sanitas, neq; ægritudo sit in corpore illo in ultimo plane, sed faciunt quoddam medium ambæ remissæ, quod appellatur dispositio neutra, ut contingit corporibus senum & puerorum, senum quidem, quia*

uidemus, quòd neque penè sunt ægri, sed neque sani, quoniam semper sunt quæruli; puerorum autem qui sunt nuper nati, qui non omnino exercent operationes suas, sed neque sunt ægri omnino, sed in medio ambigunt, & hoc sit uno modo dicta neutra dispositio, secundo modo dicitur esse neutra dispositio, cum uidelicet in uno membro est sanitas, in alio uero ægritudo: puta quod sit sanitas in toto corpore præter quã in crure, in quo est ægritudo, tunc enim illud corpus appellatur neutrum, aut quia sanitas & ægritudo quidem sunt in uno membro, sed sunt distinctæ per genera remota, quoniam illud membrum puta sanum est in compositione, quia bene compositum est, sed est male complexionatum, & ideo est ægrũ, & hoc corpus dicitur neutrum, aut quia in eodem membro sunt istæ duæ dispositiones, sed distunctæ generibus propinquis, puta quod sanum sit membrum in figura, sed ægrum in situ uel quantitate, & est sub uno genere, uidelicet compositione, aut quando sanum est in duabus qualitatibus, puta est bene complexionatum quoad frigidum calidum, sed est ægrum quia est male complexionatum quoad humidum, siccum. Tertio modo contingit corpori humano ista media dispositio propter diuersitatem temporum, quoniam idem homo sanatur uere, & infirmatur hyeme, quæ omnia à Galeno tractantur in primo libro artis paruæ. Sed hic unum notate & diligenter, quoniam propter uerba Auicennæ hic et Galeni in libro artis paruæ male traducta est maxima difficultas, quoniam his stantibus

tunc

tunc dicemus, quòd quando aliquis habet Gangrenã, *uel amputatam manum, & reliquum corpus sit sanum, dicitur neutrum; sic quando habet ulcus, uulnus sine aliqua ægritudine in aliqua parte, dicetur illud corpus neutrum, ita uidetis quot difficultates insurgunt ex hoc, imo quando quis patitur uertiginem erit corpus neutrum, quia cerebrum patitur, quæ omnia tamen sunt falsa, quoniam medici experiuntur contrarium. et hanc absurdam difficultatem sequuntur multa alia incommoda, ideo dico quòd tam uerba Auic. quam illa Galeni sunt male translata. quantum sit ad Auic. ego nihil scio, sed ita puto, quia nescio literas Arabes, tamen unum scio, quòd Auic. est multum elegans in suo sermone, sicut supra dicebamus, neque hoc dixisset ipse, sed est error interpretum, fuit enim translatus, primo de lingua Arabica in* Hebræam, *postea in* Hispanicam, *postremo à quodã Cremonensi fuit, traductus in* Latinam, *qui erat multum ignarus, & in multis peccauit, bene scio tamen quod quantum ad Galenum textus græcus non ita se habet quoniam dicit ipse corpus* νοσηρὸν καὶ ὑγιεινὸν, *id est, ægrotabile salubre, nõ autem ægrum sanum, quoniam est quidem aptum ad sanitatem et ægritudinem, non autem est sanum uel ægrum, ideo dico quod illud corpus neutrum dicitur esse non salubre propter aptitudinem quam habet, non autem actum, sic enim ægrotabile propter aptitudinem quam habet ad ægritudinem. Quando igitur in una parte corporis uel in pluribus est* ὑγιεινὸν, *in alia parte* νοσηρὸν, *insalubre,*

bre, iſta omnia uera ſunt quãdo exempli gratia quis habet ſtomachum imbecillum, ut non bene cõcoquat, cæteras uero partes habeat robuſtas illud corpus nõ dicitur ſanum exquiſite ſed neutrum quia habet corporis partes ſanas non omnes, non ægrum tamẽ, quia ſi laborat uentriculus diceretur æger et habere ægritudinem ſed quando imbecillior uentriculus & non concoquit quantum oportet ſed diminute concoquit iſte uentriculus eſt inſalubris tendit ad ægritudinem ideo illud corpus eſt neutrum. quod dico de uentriculo dico de omnibus partibus. quando igitur aliquis in una parte habet inſalubritatem in alijs ſalubritatem non intelligatis de inſalubritate in actu, et quando homo caret dentibus licet in aliis partibus ſit ſanus non poteſt comedere eſt æger, tale corpus dicetur neutrum. Vos igitur uidetis quomodo dicamus corpora neutra, quando una pars uel plures ſunt ſalubres, aliæ inſalubres prout talis ſalubritas, uel inſalubritas dicit aptitudinem, nam quando eſt actu inſalubre dicitur ægrum. reliqua modo omnia facilia ſunt. Vos igitur habetis iam tres diſpoſitiones humani corporis, & quomodo debent intelligi, & quæ ſint.

LECTIO OCTAVA.

AEGRITVDINVM uero aliꝗ ſunt, quæ ſunt ſimplices, aliæ ſunt quæ ſunt compoſitæ.) *In ſuperioribus dicebamus ſecundum Auic. quod diſpoſitiones corporis humani ſunt tres, ſanitas, ægritudo, & neutralitas, & uidimus quid ſit ſanitas, quid ægritudo,*

ægritudo, quid neutralitas etiam, & cur Auic. non egit de sanitate, sed primo incepit agere de ægritudinibus, postea etiam uidimus cur Auic. definiuerit ipsam ægritudinem disiunctiue, curq; sanitatem copulatiue, quare cum dimiserit tractatum ipsius sanitatis, incipit modo tractatum de ægritudine, & dicit(ægritudinum &c.) *hic notare debetis mirum ordinem Auic. miramq; doctrinam eius, quoniam neque abundat in superfluis, neque deficit in necessarijs. Cum enim ægritudo, quod est quoddam uniuersale tripliciter diuidatur, primo quidem sicut quando diuidimus unum quoddam plura significata habens in sua significata, sicut quando diuidimus æquiuocum nomen in sua æquiuocata, secundo diuidere possumus ægritudinem tanquam sit quoddam genus uniuocum in suas subiectas species, quandoque autem diuidimus aliquid secundum sua accidentia illi inhærentia, sic possumus etiam diuidere ægritudinem per sua accidentia, sed quoniam diuisio ægritudinum secundum sua accidentia est multiplex secundum Galenum, primo quidem diuiduntur ægritudines secundum tempora durationum, quando dicimus morbi alij sunt acuti, alij chronici, alij medij, quæ multum est necessaria ad hoc quod sciatur à medico, & est diuisio Galeni in primo pronosticorum textu. est enim necessaria medico quoniam aliter curantur acuti, aliter chronici, aliter etiam ipsi medij. Secundo diuiduntur ægritudines quādo dicimus morbos alios primos esse, aliquos secundos, & hæc est necessaria medico quoniā pri-*

dicuntur ἐνδενίκοι. illorum ergo, qui inuadunt communiter alij sunt σποραδες alij uero ἐνδενίκοι. & pro hoc uidete Gal. primo de ratione uictus in morbis acutis in principio, & in primo Epidemiarum, in principio quoq;. Sed etiam diuiduntur morbi ex naturis suis, quoniam alij sunt suaues, mites, non exacerbantes, & dicuntur proprie benigni, alij sunt mali, exacerbãtes, et dicũtur maligni, prætera alia est diuisio morborum, quoniam alij sunt exitiales, alij non exitiales, & hanc differentiam posuit Galenus in illo libro de definitionibus si modo Galeni est, quoniam aliqui putant illum lib. esse falsò iniunctum Galeno: sed quid ad nos? scimus saltem unum quod ille author qui composuit illum librum definitionum hoc dicit ibi sed uniuoca diuisio morborum, ita quod morbus ponatur esse quoddam genus uniuocum ad suas species. diuiditur dico in suas species per medias differentias. Sed tamen hæc diuisio per differentias dupliciter fit secundum quod differentiæ ipsæ sunt duplices. quoniam aliæ sunt transcendentes et communes; trascendentes quidem suum genus morbum, quoniam contingunt etiam alijs rebus, neque appropriantur soli morbo; propriæ autem sunt illæ, quæ soli morbo sunt appropriatæ. & hanc diuisionem persequitur Auicenna dimittens primam diuisionem, quoniam de illa non curat nunc, diuiditq; morbum tanquam si esset quoddam genus uniuocum per differentias transcendentes & communes, quando dicit ægritudinum aliæ sunt simplices, aliæ compositæ, & quoniam uult tractare de ipsis ægritudinibus, ideo Auicenna etiam hic incipit

tractatum de ipsis, dicitq; quoniam aliæ sunt ægritudines simplices, aliæ compositæ: ecce quomodo istę differentiæ sunt communes, quoniam possumus diuidere multa per simplex & compositum ut ipsum morbum, & hæc est diuisio morbi in suas significationes, quoniam est æquiuocum genus ad simplices, & ad compositas ægritudines. & hoc est præceptum diuinum Galeni in libro de placitis secundum Platonis opinionem, quoniam semper primo tollendæ sunt æquiuocationes, demum ueniendum est ad tractationem rei. sic facit etiam Auicenna imò Plat. laudat tanquã Deum illũ qui seruat hoc præceptum, ut sciat semper tollere æquiuocationes in illo suo Philebo. Est alia diuisio morborum per proprias & essentiales differentias, & diuidimus hoc modo genus quando diuidimus illud per ea quæ sequũtur illud. Et hoc modo nos diuidimus ipsum morbum per subiecta, quoniam talis diuisio est essentialis, quoniam cum ægritudo sit accidens, oportet quod accidat corpori, sed in qualibet ratione accidentis debemus sumere proprium subiectum, sicut dicebat etiam Aristot. 7. meth. ideo cum diuidimus ipsam ægritudinem debemus eam diuidere penes etiam ipsa subiecta; quot ergo sunt subiecta, tot eorum ægritudines. Sed aliqua membra in quibus est ægritudo ipsa sunt solum complexionata, & sunt similaria. prima ergo erit ægritudo in complexione, postea sunt alia membra quæ supra complexionem habent compositionem ipsam; & compositio aut est ex similaribus, aut ex organicis partibus. tertio uero superuenit his duabus continuitas totius. & quoties

ties

tiescunque unum istorum uitiatur, fit & constituitur unum genus morbi. quoniam si uitiatur complexio in similaribus fit primum genus ægritudinis dictum ægritudo in complexione: si uero uitietur compositio organicorum fit secundum genus dictum ægritudo in cõpositione: si autem uitietur continuitas totius fit tertium genus dictum solutio continui, & ita sunt tres species ægritudinũ diuisione facta per subiecta in quibus sunt, & est diuisio per proprias, & essentiales differentias, quam diuisionem persequitur etiam Auicenna in præsenti cap. sicut postea etiam declarabimus. Quotiescunque ergo fit læsio in una istarum dicitur ægritudo, sed si debet esse sanitas simpliciter, oportet quod nulla omnino sit læsio in istis sed sint omnes incolumes, & hoc est quod dicebamus superius, quando dicebamus, quòd Auicenna definiuit sanitatẽ per istas species copulatiue, sed ægritudinem definiuit in primo cap. disiunctiue, neque oportet hæc amplius repetere. habetis ergo diuisionem generis per suas essentiales differentias ab ipsis subiectis, sumitur modo alia diuisio ægritudinis à genere læsionum operationum, quæ sequuntur ipsas ægritudines uel complexionem, uel compositionem, uel solutionem continui, quam diuisionem accipimus à Galeno in primo therap. in duodecimo cap. quoniam uel est læsio operationum propter malam complexionem, uel propter malam compositionem, uel propter solutionem continui, quæ omnino diuisio incidit in primam diuisionem et ista diuisio morborum est magis practica,

illa uero est physica, magis. Auicenna autem *in dando diuisiones morborum fuit multum diligens, & non abundat in superfluis, quoniam diuisionem per differentias accidentales dimisit, quoniam magis attinet ad practicum, non autem ad Theoricum, quoniam cũ uenimus ad modum curandi, tunc dandæ sunt illæ diuisiones, quoniam secundum operationes læsas etiam in curatione morborum nos gerimus, ideo diuisio per operationes læsas non debebat numerari in hoc tractatu, quod faciens Auicenna diligenter duas tantũ, reliquas diuisiones exequitur, primo quidem per differentias communes, quando dicit quod* (ægritudinum aliæ sunt simplices, aliæ compositæ) *sed uidetur quod ista diuisio sit logica quoniam uidetur quod attineat ad medicum eam scire, ideo relinquenda est, quoniam* Galenus *in primo de locis affectis, dicit omnem illam quæstionem, omnemq; rationem quæ non attineat ad finem medici, esse logicas, imò uanas etiam; sed dico quod hæc diuisio non est logica, quoniam pertinet imò maximè ad medicum.* Q*uod hoc sit uerum uideatis* Galenum *in quarto therapen. in principio ferè illius libri, qui dicit præcise oportere bene inuestigare & inquirere morbos, ut scias qui sint simplices quiq; compositi, quoniam simplicibus simplex, compositis uero composita indicatio conuenit, oportet enim diligenter aduertere in curatione morborum, quoniam alij sunt simplices alij compositi, quoniam non eodem modo curantur sed diuersimode; alia enim medicina adhibetur simplici,*

alia compositæ ægritudini. dat ergo diligenter optimeq́; Auic. primam illam diuisionem ægritudinis; uideamus ergo uerba ipsius. (Aegritudinum uero aliæ sunt simplices, aliæ compositæ, simplices autem sunt, quæ sunt una ex speciebus ægritudinis complexionis, aut una ex speciebus compositionis, quam postea nominabimus, incipiemus igitur loqui prius, &c.) *Sed hic scire debetis quod morbi sunt compositi triplici de causa, aut propter pluralitatem causarum facientium ipsos morbos, aut propter pluralitatem qualitatum, aut propter pluralitatem morborum simul iunctorum. Singula sunt consideranda a nobis, primoq́; quoad primum. dico quod morbus potest esse compositus, quia proueniat a pluribus causis; sed diximus superius etiam causas esse duplices, aut uidelicet antecedentes sunt, aut coniunctæ, & propter pluralitatē singularū compositi fiunt morbi. quod pluralitas causarū coniunctarū faciat compositos morbos, manifestum est exemplo; quoniam uidemus quando aliquis laborat podagra propter materiam defluxā ad ipsas iuncturas, & est materia pituitosa & biliosa, ille enim morbus dicitur compositus propter pluralitatem causæ coniunctæ ipsi morbo, quæ est ipsa materia, sed propter pluralitatem causarum antecedentium quoq; compositi fiunt morbi, quoniam potest esse quod in corpore alicuius hominis humores colligantur biliosi & pituitosi, & ex nimia collectione putresiunt aduęniente extraneo calore, & fit fe-*

bris putrida, quæ postea est ægritudo composita pro pter causarum pluralitatem antecedentium quidem, uidelicet humorum phlegmatici & biliosi, quæ dicta est ab Auicenna in prima primi capite de humoribus, sicut anno elapso declarabamus de cholera uitellina; & materia est causa efficiens eas ægritudines, sicut supra diximus, sed etiam propter pluralitatem quali tatum ipsarum agentium uel patientium, quæ sunt causantes ipsum morbum, quoniam potest esse quòd calidũ, & frigidũ, et humidũ nimium excellant, & ita fiat mala complexio, ad quam sequatur ægritudo ipsa, quoniam caliditas ipsa & frigiditas cum humidita te non sunt facientes ipsam ægritudinem, neq; sunt ægritudo, sed dispositio postea mala non naturalis, se quens talem complexionem est ægritudo quæ formaliter est in ipsa facultate, licet subiectiue in isto membro, siue corpore, in quo est ipsa mala complexio, quæ afficit illud corpus. uidete quomodo semper uerum uero consonat, & ratio formalis ipsius sa nitatis est dispositio mala in facultate, quæ semper est in primo genere qualitatis. Sed ab ipsa facultate pro uenit ipsa operatio immediate, quoniam est illa, qua inuenta fit inuentio sui effectus & actionis, & cum læditur operatio, signum est quod læsa est facultas, quæ ipsa læsa fuit propter malam complexionem ac cidentem ex actione, & paßione illarum trium quali tatum. Hæc obiter dicere uolui quoniam res introdu cta est uerißima; quando ergo caliditas, humiditas, frigiditasq; adueniunt membro, deprauatur operatio

membrorum, & tunc dicitur esse morbus qui est cõpositus propter pluralitatem qualitatum causantium malam complexionem. tertio autem dicitur esse compositus morbus propter pluralitatem morborum simul iunctorum in uno membro, siue in uno corpore, quoniam potest esse morbus in mala complexione, & mala compositione corporis, & dicitur tunc morbus compositus, quia sunt duo morbi simul iuncti. His *uisis remanent solutæ omnes dubitationes, omnesq́; nugæ Gentilis et Iacobi de Forliuio, ideo dico quod morbus ille non est uere compositus, qui est compositus ex pluralitate morborum simul coniunctorum in uno membro & corpore, sed illi proprie dicuntur morbi compositi, qui sunt compositi ex pluralitate causarum, uel ex pluralitate qualitatum causantium complexionem malam, quam sequitur ægritudo non naturalis dispositio, & sciatis quod iste discursus non est meus solum, sed etiam Galeni in primo de differentijs morborum cap. 12. & 13. & si tamen ibi obscurius discurrat Galenus quam ego feci. cognitis autem compositis morbis quomodo sunt compositi propter triplicem causam, uos cognoscetis etiam idem de simplicibus, quoniam contrariorum eadem est disciplina. erunt ergo morbi simplices, uel propter simplicitatem causarum, uel propter simplicitatem ipsarũ qualitatum, uel propter simplicitatem morbi, neque hoc erit uobis difficile iudicare. Sed tantummodo restat unum notandum hic, quia dubitatur cum sint duo morbi coniuncti in eodem corpore, quorum alter sit*

loco essentialis, alter uero accidentis; exempli gratia, cum sumus in pleuritide est inflammatio in ipsis membranis costarum, quæ est essentialiter ægritudo in pleuritide, ad quam inflammationem sequitur febris, quæ est eius accidens, siue symptoma. quæritur ergo an hic morbus ita cōplicatus sit cōpositus an simplex, uidetur .n. q; sit simplex, nō aūt cōpositus, quoniā cōposito morbo debetur indicatio cōposita (si modo uerum est illud q; dicebamus ex sñia Galeni superius) morbo simplici simplex, modo in pleuritide nos uidemus, quòd attendimus solum inflammationi, non autem ipsi febri, ergo est simplex, credo quod hoc dubium est solutum ex dictis superius a me, quia quandocunque in pleuritide febris est ita, ut ad se nullo modo trahat curationem. Sed inflammatio attenditur ab ipso medico, tunc sumitur indicatio simplex, ergo etiam morbus est simplex, sed quotiescunque inflammationi est coniuncta febris, pura pestilentialis, tūcq; febris pestilentialis trahit ad se curationem, ita quòd medicus non solum attendit ad pleuritidem, sed etiam ad ipsam febrem, imò sæpe magis attendit ad febrem pestilentialem, tunc dicitur esse morbus complicatus, atque compositus, ratio est quia requirit compositā indicationem, sed cum febris est mitis debilisq; consequens ipsam inflammationem, & non trahit ad se curam, sed remota inflammatione remouetur febris, quod est symptoma, tunc morbus est simplex, quoniā attenditur solum ipsi inflammationi, sicut docebat curare pleuritidem Hippoc. in primo de ratione uictus

in

in morbis acutis. cum autẽ hæc dixerimus, ueniamus modo ad expositionem literæ sequentis.

LECTIO NONA.

INCIPIEMUS igitur loqui prius de ægritudinibus simplicibus, & dicemus quòd ægritudinum simplicium genera sunt tria & quæ sequuntur.) *Dicebamus in superiori lectione quo modo Auicenna diuisionem ægritudinum faciebat per differentias etiam essentiales, & per differentias communes, sed quia prima diuisio per differẽtias communes fuit in ægritudines simplices & compositas, ideo Auicenna in præsenti parte uult incipere tractare hanc diuisionem, tamen uult primo agere de ægritudinibus simplicibus, deinde de compositis, & cum agat quidem de simplicibus, primo agit de eis in uniuersali; secundo uero de eis in particulari de singulis. ueniamus ergo ad diuisionem simplicium ægritudinum, quando ait Auicenna,* (Incipiemus ergo, &c.) *sed quoniam alia multa iam sunt declarata, ideo circa hanc partem oportet uidere nonnulla certe notanda, sine quorum habito prius intellectu non possetis intelligere ea, quæ dicuntur hic ab Auicenna, & si bene animaduertetis, ac recte intelligetis ea quæ sum dicturus, scietis soluere omnia illa uana dubia, quæ quærunt hic isti moderni Gentilis, Iacobus de Forliuio, Iacobus de partibus, etiam ille Conciliator hic, debetis ergo primo scire, circa hoc, quòd in corpore humano fiunt operationes, & actiones multæ*

multæ à facultatibus; oportet ergo quod in corpore humano sint instrumenta ad obeundas illas actiones, quoniam actiones ipsæ sunt fines istorum corporum, sed quoniam nõ possunt fieri tales actiones sine instrumentis, ideo oportet quod sint instrumenta data a natura, sed si ista instrumenta debent esse apta ad istas perficiendas, oportet quod sint composita quoniam sunt corpora. opus ergo est uidere eorum compositionem, si uolumus uidere, ac recte cognoscere omnes species ægritudinum, quæ contingunt circa ista instrumenta. ista ergo instrumenta sunt composita ex quibusdam partibus similaribus, quæ quidem sunt similes in toto & partibus, quoniam eorum partes habent eandem definitionem cum totius definitione, ut caro & pars carnis; quælibet enim pars carnis est caro, & definitio cuiuslibet partis carnis eadem est cum definitione totius carnis, & ideo dicuntur partes similares. præterea appellantur etiam primæ partes ipsorum corporum, quoniam sunt illæ, in quas corporũ fit ultima resolutio, ex quibus organica cõponũtur tanquã ex partibus materialibus; et notãter dixi materialibus, quoniã præter illas instrumẽtalia mẽbra aliquid aliud habent, illæ quidem sunt tanquam eorum materia, sed postea aduenit forma illius compositi instrumenti, propter quam sunt postea instrumenta, & per quam differunt ab ipsis similaribus et à se inuicem, totum enim ultra partes aliquid aliud habet, neque hoc amplius est nunc declarandum, quoniã suppono uos in alijs scholis didicisse, sed istæ partes

tes similares ultra hoc quod dicuntur primæ dicũtur etiam simplices apud uidelicet ipsos medicos, quia resolutio compositorum in partes simpliciores est in has partes similares, quia istæ non possunt resolui in priora corpora sensibiliter, quæ sint composita uel humoribus, uel ipsis elementis, & tantũmodo apud medicos dicuntur simplices partes corporis humani, quæ sunt compositæ ex humoribus quatuor tanquam ex materia propinqua, & ex quatuor elementis tanquam ex materia remota, sicut uidimus apud Auicennã in prima Fen, quam exposuimus anno elapso, quam diximus etiã hic superius ordinari ad hanc secundam Fen. & quod hoc sit uerum patet iam, quoniam ad quid Auicenna enumerasset elementa simplicia corpora, ex quibus istæ partes similares componuntur ? ad quid numerasset quatuor humores, et eorũ naturas? nisi uidelicet ad hoc ut sciremus, quod ex illis istæ partes construuntur, ex quibus consistit ægritudo ipsa, & quoniam aliquid aliud habere diximus totum quàm ipsam materiam, ideo Auicenna in illa Fen prima numerauit complexiones ipsas, quæ oriuntur ex mistione istorum elementorum, quæ est ipsa forma ipsaq; ratio formalis partium similarium, & ipsa eorum essentia, per quam distinguuntur non solum ab organicis, sed etiam à se inuicem. Sed quoniam ægritudo ipsa nihil aliud est nisi uitium, & mala dispositio in essentia membrorum, in quibus membris est subiectiue, sed ut diximus essentia simplicium est ipsa complexio, igitur si in illis membris similaribus

bus debet esse ægritudo oportet quòd ipsa complexio uitiata sit, ratione ergo suæ propriæ complexionis uitiatæ uitiabuntur etiam ipsa membra similaria com plexionata. complexio autem ista resultat ab actione quatuor primarum qualitatum ipsorum elementorũ, & quotiescunque una illarum excedit, complexio ip sa uitiatur, in qua uitiata ipsa ægritudo consistit subie ctiue, tamen non formaliter, sicut etiam diximus su= pra, unde bene dicunt illi unum morbum calidum, a= lium frigidum, alium humidum, aliumq; siccum, quo= niam uidelicet illa qualitas excedens est subiectum ip sius ægritudinis, sed quod complexio ipsa non sit for ma ipsorum corporum simplicium similarium, non est nunc locus disputandi. quoniam ad annum elapsum me remitto, in quo recte disputaui, exquisiteq; de hoc, neque oportet amplius hæc repetere. cum ergo mem bra similaria sint composita ex humoribus elemẽtisq; tam quàm materia & complexione, tam quam forma & sua essentia. Cum ergo ægritudo in istis erit, opor tebit, quòd sit primo in ipsa complexione, & ita ista ægritudo dicetur morbus in complexione, siue in par tibus similaribus præter modo ista similaria sunt ipsa instrumentalia membra, quæ diximus componi ex il lis partibus similaribus tanquam ex materia; sed quo niam istum aliquid aliud addit supra istas partes mate riales, per quod distinguitur essentialiter ab istis par tibus, per quod etiam constituitur tale totum, ideo ul tra partes materiales ista instrumentalia membra ha bebunt formam atque essentiam ipsam, si ergo ut su-

pra

pra diximus instrumentum ipsum ordinatur ad ipsam operationem tanquam ad suum finem, neque operatio ipsa obiri potest sine instrumento, oportet quòd tale instrumentum habeat formam aptam ad hoc ut facultas eo mediante posit operari. quæ ergo erunt suæ rationes formales? scilicet si talia instrumenta composita ex partibus similaribus tanquam ex materia, oportet quod istæ partes conueniant in unum & ex illis unitis resultet quædam forma siue figura, quæ sit apta ad exequendas actiones: secundo oportet quod tale instrumentum habeat debitam quãtitatem, quod neque sit maius neq; minus quàm oporteat ad operandum: tertio oportet quod habeat debitum situm in corpore humano: quarto oportet quod habeat debitum numerum partium, ne una uel superet, uel deficiat, & nisi unum quodq; habuerit illud organum, operationes suas obire non poterit, & semper opus suum impedietur. nam si habu rit mancam figuram, neque aptam, opus suum non poterit perficere: similiter de alijs. uidetis ergo quòd ista organica mẽbra habent aliquid aliud præter ipsas partes similares, per quod sunt instrumentalia, & agunt suas operationes. si ergo talia organica sunt in sanitate, cum ista quatuor numerata sint in bona dispositione, ex opposito, sequetur quòd quotiescunque istorum quatuor unum uitiabitur, uitium fiet etiam in ipsis organicis membris, & dicentur ista uitia siue ægritudines instrumentales, & in partibus instrumentalibus siue in compositione, & ita si uitiata erit figura instrumẽ

ti,

ti, dicetur ægritudo in figura, si situs ægritudo in situ, si quantitas, ægritudo in quantitate, si numerus ægritudo in numero, & ita ægritudines in istis membris erunt plures, quàm illæ quæ sunt in similaribus partibus, & iam etiam credo quod sit manifestum totum aliquid aliud habere à partibus similaribus siue materialib. & secundũ illud uitiatur ipsum instrumẽtum secundum, quod est instrumentum, quia illa est sua essentia. neque putetis hæc me gratis dicere, quoniam omnia ista dicta sunt ipsius Galeni in 6. de placitis Hipp. & Platonis *in fine, qui hæc aurea uerba certe ibi habet precise; notetis. Membra organica cõponuntur ex similaribus, tamen habent & substantiã & rationem formalem diũersam à similaribus, ex quibus conficiuntur, unde non inuenitur aliquod instrumentum quod aßimiletur alteri, nam alia est substantia cordis, alia lienis, alia cerebri, & sic de singulis instrumentis, nam ista instrumentalia membra sunt diuersa ab ipsis similaribus quoniam habent aliam formam à forma illorum, imo ipsa instrumenta inter se sunt diuersa essentialiter, quoniam habent etiam distinctas formas ita quod dicemus nunquam inueniri unum instrumentum alij esse idem, sed secundum quod habent diuersas formas, etiam inter se sunt diuersa, non habent autem quod sint diuersa nisi per suas rationes formales, quæ quidem rationes formales sunt illa quatuor numerata iam à me figura, situs, quantitas, numerus. non autem parte materiales quæ sunt eiusmodi subiecta, & hic notetis unum, quod corollarie*

rie sequitur ex dictis superioribus quod non omnis ægritudo quæ est in instrumentis sit instrumentalis quia et si sit sanum quo ad est instrumẽtum, id est, quo ad suam formam, quo ad figuram, quo ad quantitatẽ, quo ad numerum, quo ad situm, tamen potest laborare propter malam dispositionem partium materialiũ, et ita non semper laborat instrumentali ægritudine, quoniam tunc laborat instrumentali ægritudine, quũ est læsum in sua forma, per quam est instrumentum. Quoniam puta uentriculus certum est, quod est instrumentum, uidelicet concoctionis, est compositum ex partibus materialibus, uidelicet humoribus & partibus similaribus, postea etiam sua propria forma; potest ergo esse quòd uentriculus ægrotet propter malam intemperiem suarum partium materialium, quoniam in eis superat frigiditas & humiditas, & ita uẽtriculus propter excedentes illas qualitates suæ materiæ læditur in sua operatione concoquendi nutrimentum; neque tamen dicimus uentriculum ob id laborare ægritudine instrumentali, sed ægritudo est in mala complexione partium similarium componentiũ ipsum uentriculum, sed cum uentriculus læditur, ut est instrumentum concoquendi, est autem instrumentum per suam propriam formam, quotiescunque ergo forma eius male disponitur dicitur ægrotare instrumentali ægritudine. potest autem lædi per formã quadrupliciter, quoniam forma debita eius ad hoc ut concoquat debet consistere in illis quatuor, quæ iam numerabo, quoniam tunc forma dicitur deprauari,

cum

cum uel superficies ipsius uentriculi deprauatur, uel figura ipsius, uel receptacula, uel meatus. in uentriculo ergo forma debita erit, cũ habuerit illa quatuor bene disposita, sed quando uitiatur unum illorum, uitiatur forma, consequenter ipse uentriculus læditur & ægrotat ægritudine instrumentali in forma ipsa, primo quidem cum uitiatur forma eius; Vos enim scitis quæ sit eius figura ex ipsa anatome inspecta, quoniam est cucurbitalis, idest similis cucurbitæ. quoties ergo talis ista forma figuraq; uitiatur, tunc instrumẽtum laborat ægritudine instrumentali: secundo postea cum eius superficies etiam deprauatur, quoniam cum deberet esse aspera & quodam modo dentata ut amplectatur ipsum cibum melius & fiat lenis sicut cõtingit in ipsis lienterijs tunc uitium est in superficie uentriculi, consequenter in forma, & ipsum instrumentum ægrotat postea ægritudine instrumentali: tertio cum uitiatur sua cauitas, forma uitiatur & ipsum instrumentum. quarto cum eius meatus uitiantur, puta ipse æsophagus uel ipsi meatus pertranseuntes, siue uenæ etiam ipsæ, quæ sunt in ipso obstruuntur, et tunc ægrotat quoniam sua forma læsa est, quoniam forma uentriculi consistit in istis quatuor in debita figura, in debita superficie, numero, & situ: & quod dico de uentriculo, intelligatis etiam uos de alijs mẽbris, tamen non propter hoc uolo quod intelligatis omnia alia membra habere hæc quatuor, quoniam forma ipsa consistat in illis simul, sed forma est etiam in uno istorum ita quod uolo etiam membra habentia

unum

unum istorũ siue duo habeat etiam formam uel deprauatam uel debitam, & quotiescunque unum illorum deprauatur, forma etiam ipsa instrumenti deprauatur, uentriculus ergo cum sit instrumentũ potest pati temperaturam malam, non quod ægrotet ut est instrumentum, sed quia eius substãtia, siue materia habet malam complexionem, & inde læditur ipsum instrumentum & non est ægritudo instrumentalis, sed in mala complexione ipsarum similarium partium; sed cum uentriculus ipse deprauatur propter suam formam deprauatã, quæ deprauatur quadrupliciter, uel propter quãtitatem suam, quoniam sit maior uel minor quàm requiratur ad concoctionem perficiendam, uel propter numerum suarum partium, uel propter suum malum situm, tunc uentriculus patitur ægritudinem instrumentalem, quoniam oportet quod situs ipsarum partium sit correspondens sibi, quoniam quotiescunque partes non corresponderent sibi, idest non essent proportionatæ ad operationem. i. ad hoc ut ipsum instrumentum posset commode operari, tũc uitiaretur instrumentum, sed proportionem istarum partium non intelligo proportionem ad põdus sed ad iustitiam, quæ refertur ad operationem, ita quod oportet fieri talem proportionem ad iustitiam partiũ ut operatio poßit perfici, quoniam aliquod instrumẽtum requirit partium suarum connexionem, aliquod uero laxationem ad hoc ut suum opus operetur. Istis sic distinctis credo quod nihil remaneat confusum, sed omnia distincta claraq; relinquuntur, & oportet relinquere

linquere omnia illa quæ isti dubitant hic, quoniam omnia soluentur ex nostra methodo data, siue discursu, sed cum iam data sit ista distinctio ægritudinũ quoniam distinguuntur, uidelicet secundum subiecta ipsa in quibus sunt essentialiter & primo, & quatenus talia, quoniam uidelicet aliæ ægritudines, quæ sunt in similaribus partib. quatenus sunt similares, aliæ quæ sunt in organicis quotiescunq; organica membra læduntur secundum quod sunt organica, idest secundum suam rationem formalem, & his uisis iam credo quod etiam uerba Auicennæ iam clara sunt quando dicit. (Incipiemus igitur &c.) *Quoniam uult loqui primo de ægritudinibus simplicibus, secundo de compositis, cum ergo incipiat de simplicibus tractatum dicit quòd* (earum genera sunt tria, primum genus est ægritudinum quæ membris comparantur quorum partes sunt similes, & sunt malæ complexionis species, & ipsæ quidem non sunt comparatæ membris similaribus, nisi ideo quod in primis & similibus partibus essentialiter accidunt, & per eas membris accidunt compositis &c.) *Videte quod Auic. non negat ægritudines quæ sunt in similaribus non esse in compositis, quoniam sunt omnes ægritudines in compositis, quoniam omnia membra in corpore humano uiuo sunt instrumenta consequenter composita sicut statim postea dicemus, sed dicit quod illæ sunt in similaribus partibus essentialiter per se, sed in compositis organicis per aliud, uidelicet per ipsa mẽbra*

bra similaria, quia aliquis potuisset dubitare, instrumenta ipsa sunt distincta essentialiter, à similaribus, quo modo ergo potest esse quod ægritudines existentes in similaribus sint etiam in instrumentis? ideo dico quod cum similaria membra nihil aliud sint quàm materia ipsorum organicorum, ideo cum in eis est ægritudo est in ipsis organicis compositis, & quia operationes fiunt ab instrumentis ideo lædũtur eorum operationes, quæ tamen ægritudines quoniam sunt in materia non autem in forma, non dicuntur ob id instrumentales ægritudines, & hæc est opinio non solum mea, sed Auic. ut uidetis, & etiam ipsius Galeni. Sed his dictis statim insurgit dubitatio quia diceret quis, tu dicis quod solum instrumentis debetur operatio quæ est illorum finis, tamen nos uidemus manifeste quod multæ operationes perficiuntur per similaria ipsa membra. quod hoc sit uerum patet quia manifestum est quod humor cristallinus est pars similaris, tamen in humore cristallino est ipsa uisio & actio uidendi essentialiter ac principaliter; secũdo uenæ & arteriæ sunt similares partes, tamẽ etiam istæ edunt operationes, quoniam ducunt ipsum sanguinẽ; tertio etiam dicit Galenus quod unaquæque similaris pars habet quatuor facultates quarum singulæ habẽt diuersas operationes, quoniam inter se sunt diuersæ attractio, immutatio & retentio, expulsioq́;. certũ autem est quod operatio attractiuæ uirtutis alia est ab operatione aliarum uirtutum, cum ergo uenæ sint similares habebunt omnes istas quatuor facultates,

ergo etiam habebit etiam quatuor operationes ab illis prouenientes. cum ergo hoc sit, cur ergo dicis tu quod solum instrumentis debetur operatio? non autem similari? Ad *hæc obiecta ego faciliter respondeo stando in opinione mea clara & Galen. Auicennæq́;, quòd quando dicitur cristallinus humor est similaris pars: hoc esse uerum fateor. postea quando dicitur quod actio est in ipso, dico quòd in cristallinum humorem lumen quidem ipsum recipitur & species ipsæ uisibiles, sed non est ille in quo fit actio uidendi, imò totum est illud quod uidet ita quod oculus est ille qui uidet, non autem ipse humor, quoniam non solum est humor concurrens ad uisionem, sed etiam aliæ partes, puta alij humores aliæq́; tunicæ, ideo totum instrumentum est illud quod uidet non humor cristallinus, cuius rei illud est signum, quod si uitietur cornea tunica uel uuea, oculus non potest uidere secundum quòd uitiatur uel magis uel minus, ideo & si in ipsum cristallinum recipiantur species uisibiles, & sit ille qui principaliter uidet concurretq́; ad uidendum, non propter hoc sequitur quod solum humor cristallinus concurrat ad uisionem, quoniam sine auxilio aliarum partium oculi non potest fieri actio uidendi, sicut dicimus etiam in crure quod chordæ ipsæ sunt illæ quæ principaliter concurrunt ad ambulationem, tamen non propter hoc dicimus chordas ambulare, quoniam ambulatio ipsa est totius cruris; dicimusq́; crus esse illud quod ambulat, & si à chordis immediate proueniat operatio*

ratio ambulationis, & est fallacia à secundum quid ad simpliciter, siue malæ dispositionis. Ad secundum dico quod uenæ, arteriæ, nerui & cæteræ partes quæ dicuntur similares non sunt similares in corpore uiuo, sed tantummodo appellantur denominanturq; similares à medicis, quoniam sunt minus compositæ quàm partes dissimilares. quoniam neruus ipse à nobis denominatur similaris, tamen nequaquam similaris est, quoniam est compositus ex tribus rebus uidelicet membrana, carne & medulla, quoniam est carnosus, membranosus & medullosus, secundum quod dicebat Galenus in septimo de placitis Hippocratis & *Platonis, ubi quærit an in neruo sit motus ipse, propter medullam uel membranam ipsam, & facit hanc rationem. principiata assimilantur suis principijs, sed medulla nerui nascitur à medulla cerebri, ergo assimilabitur medullæ cerebri. sed illa est alba, ergo &c. ideo & si neruus dicatur esse similaris, tamen non est in corpore uiuo similaris, quoniam organicum est, est enim instrumentum motus, sic caro nullibi inuenitur similaris neque simplex, quoniam in ea sunt nerui admisti uenæ, arteriæ, ut possit nutriri, sic in unaquaque parte est diuersitas partium, neq; omnino sunt similares in rei ueritate, & si secundum denominationem dicantur similares, quoniam oportet eas habere diuersas partes, si debent etiam operari diuersas operationes illas quatuor numeratas; bene uerum est, quod compositio istorum non est ita manifesta, sicut compositio membro-*

membrorum quæ uere sunt organica, & secundum denominationem, tamen sunt cõposita ex diuersis partibus, quoniam sunt aliquæ partes magis organicæ, quàm aliæ, id est magis dissimilares, quoniam componuntur ex pluribus partibus, & etiam ex alijs partibus organicis, sicut est ipsa manus quæ composita est ex uenis, arterijs, neruis, & ossibus, quæ omnes partes sunt organicæ, sed similares secundum denominationem, & quia compositio talium partium, non est ita manifesta, ideo nos denominamus illas similares, quoniam si essent similares, secundum rei ueritatem, tunc non possent perficere illas actiones, & consequenter non nutrirentur, quoniam non attraherent, neque minus expellerent. si enim caro incidatur ad minimum ita quod sola remaneat, certum est, quod non nutrietur, quoniam non poterit, attrahere ad se nutrimentum, ob id necessarium est, quod sint partes non similares, sed instrumentales & compositæ, tamen in anatome, si diligens quis fuerit inquisitor, inueniet incidendo partes similares, quoniam poterit demonstrare, hæc est caro simplex, hic est neruus in corpore mortuo, tamen in corpore uiuo nusquam inueniuntur, quoniam oportet eas operari si debent uiuere, quare sunt similares secundum denominationē, sed organicæ secundum rei ueritatem, & ideo uerissima fuit etiam sententia ipsius Galeni *quando dixit, quod unaquæque pars habet illas quatuor facultates quoniam sunt organicæ secundum ueritatem, & ob id remanet etiam uerissima sententia* Auic. *hic quando*

do dixit operationes sunt membrorum organicorũ, non autem partium similarium, quoniam si inueniretur caro omnino simplex non posset operari neq; nutriri, neque consequenter uiuere.

LECTIO DECIMA.

CVM *hæc materia sit admodum difficilis, neque intellecta ab his nostris auditoribus, dico pluribus, ita quod non possunt eam comprehendere ob id coguntur dubitare, uel quoniam sunt rudes, uel quoniã sunt iam imbuti in opinionibus aliorum, ideo studens ego uestræ omnium utilitati, quoniam heri feci quendam discursum in diuisione ipsorum morborum, & ex natura ipsius rei sicut solet semper Galenus, ob id uolui repetere illum, sed alio diuersoq; modo quo melius illum intelligeretis, quoniam quocunque modo discurram semper ijdem sermones erunt, eademq; sententia permanebit, & hoc est experimentum sermonum uerorum, quoniam ego doceo ueritatem, & ueritas sequitur me, neq; uolo implicare intellectus uestros. sciatis ergo circa hoc quod Galenus in libro illo quòd animi mores sequuntur temperaturam corporũ cap, quarto, & quinto, dicebat, uitam primo essentialiter & per se esse in partibus similaribus; secundo uero in ipsis organicis, & quod similares partes habent ipsam uitam tanquam formam ipsarum, & per eas est in organicis, dico autem similares partes secundũ denominationem, siue modo illa forma sit ipsa complexio sicut tenuit Galenus, siue sit proximum instrumẽ-*

tum formæ secundum Ar. & alios, uel aliquid aliud nihil curo pro nunc, quoniam de hoc satis disputaui anno elapso cum exponerem primam Fen. in cap. de complexionibus: satis est, quod complexio bona uel mala est ratio formalis ad quam sequitur bona uel mala operatio, quoniam secundum eam facultates bene uel male operantur. modo si est in simi'aribus primo per seq; ipsa uita, & est eorum forma & est una, ab eaq; non potest prouenire nisi una operatio, quæ uita est uiuentibus esse, quoniam unitas est, & quo ad ipsum uiuens est unum illuc usq; est ens uiuum et ens, quia esse prouenit ab essentia, modo essentia una est, ideo quo ad ipsum quod est, est unum illuc usque est, anima enim ipsa est entelechia, uita uero ipsa est secũdus actus, quæ est communis omnibus partibus corporis; tantum ergo habet res de esse, quantum de uno participat, sed cum una sit uita, & debebāt fieri plurimæ uariæq; operationes in corpore uiuenti, ideo oportuit fingere multa instrumenta, per quæ ista forma una perficeret multas uariasq; operationes, quoniam nimium ridiculum fuisset, componere unum totum in quo plures essent formæ animæq; quæ diuersa agerent, sed natura prouida formauit unum totum ex multis instrumentis, & una forma, ex hoc optime instituto habemus quod instrumenta plura oportuit esse, cum una esset forma. uidete ergo necessitatem cur oportuit non solum facere membra similaria, sed etiam instrumentalia, quoniam uidelicet una est forma oportuit plura esse instrumenta, modo instrumenta

operari

operari non poterant nisi fuissent composita, ideo formata fuerunt, & composita ex similaribus partibus, quoniam ipsa quidem anima & uita primo est & per se in ipsis similaribus, tamen particulares operationes sunt in ipsis organicis membris, quoniam per illa ista forma diuersa operatur, ob id uera est, hinc & manifesta sententia Auic. habita quòd (operationes debentur ipsis instrumentalibus per se, quoniam sunt illa quæ operantur,) *stantibus his sequitur corollarie, quòd cum ægritudo ipsa accidit partibus similaribus est etiam in instrumentalibus, quoniam in illis est uita primo & ex illis componuntur ista instrumentalia, primum enim quod totum potest lædi secundum principia sua materialia læsa, & ægritudines tales fiunt in complexione mala ipsius similaris. & dicitur ægritudo in similaribus siue in cõplexione, quoniam instrumentum ægrotat subiectiue .i. sua substantia materiali ægrotante, non autem formaliter, ideo neque illa ægritudo dicitur instrumentalis, non enim læditur instrumentum prout est instrumentum, quoniam uentriculus ipse potest lædi, propter læsionem suarum partium materialium, ex quibus componitur, sicut etiam supra docebamus. quoniam possunt, esse in mala intemperie complexionis, puta frigida, humida, & tunc uentriculus lædetur, neque poterit operationes suas perficere; postea potest lædi uentriculus ut est organum ipsum concoctionis, & ideo non sequitur, quod cum est ægritudo in instrumentis, quoniam est in ipsis similaribus, & propter*

pter hoc ſit ægritudo inſtrumentalis, quoniam tunc dicitur inſtrumentalis, cum læditur inſtrumentum, quo ad ſuas partes formales, per quas eſt inſtrumentum, & per quas eſt aptum factum ad obeundas operationes, non autem quia lædatur in mala complexione ſuarum partium materialium, & dico ut intelligatis ſententiam omnino ueram. in hoc ego credo quòd iam unuſquiſq; etiam mediocris ingenij intelligat, & quòd poßit ſeparare has ægritudines cum ſunt in cõplexione, cumque in compoſitione, & quòd poßit uidere quemadmodum ægritudo quæ eſt in ſimilaribus partibus, eſt omnium peßima, & prima ægritudo & origo omnium. dicuntur autem primæ ægritudines, quoniam etiam membra in quibus ſunt, ſunt prima dicta, ſicut dicebat Galenus imò quod plus eſt, ægritudines illæ quæ ſunt in ſimilaribus, ſunt illæ quæ ducũt membra & corpus ipſum ad mortem, non ſolum autem ad læſionem & amißionem operationum; ſed ægritudines quæ ſunt in inſtrumentalibus, quo ad ſunt inſtrumentalia non ducunt illa ad mortem, ſed bene ad amißionem operationum ſuarum, quoniam & ſi oppilatio in uuea ducat ad amißionem uiſionis ipſum oculum, non tamen propter hoc ducunt eum ad mortem, quoniam et ſi non uideat, tamen uiuit quia nutritur; ſed cum ægritudines ſunt in ſimilaribus ipſis, in quibus eſt uita ſecundum quod dictum, ideo etiam illæ ducunt ad hoc ut uita ipſa destruatur, & ſequatur mors non ſolum ad hoc ut fiat amißio operationum. Sed hic ſtatim dubitaret quis, quoniam nos diximus

operatio-

operationem deberi ipsis instrumentalibus, non autem similaribus, cum ergo à similaribus, non proueniat actio, quo modo ergo potest in eis prouenire læsio & amisio operationum si non habent operationes? si enim nõ habent actiones, quomodo in eis possunt lædi? dico quod hæc dubitatio prouenit ex malo intellectu eorum, quæ à me dicta sunt superius: audiuistis enim quod ista similaria sunt illa in quibus primo est complexio & uita ipsa. quotiescunque ergo uitam in illis esse dicimus, intelligimus in eis similaribus, secundum denominationem, non autem secundum rem ipsam, quoniam non uiuerent, cum uita & complexio læditur, tunc accidit ægritudo, propter quam animal, illud male uiuit, & est illa ægritudo, quæ facit amittere uitam ipsam, & ideo habent operationes, talia similaria, quæ leduntur propter ægritudinem ipsam existentem in eorum mala complexione, sed ægritudines quæ sunt in instrumentis quo ad instrumentum faciunt destructionẽ tantum operationum. Sed hæc relinquamus iam, quoniam puto his satisfactum esse, ueniamus ad rem. Hic *modo insurgunt multæ instantiæ contra ea quæ à nobis dicta sunt, quoniam factæ sunt diuisiones ægritudinum. prima quidem in simplices & compositas, ideo prima etiam dubitatur quia uidetur quod in membris similaribus non posit esse ægritudo simplex quæ oritur ex iam soppositis a nobis, quoniam diximus superius secundum mentem Galeni, compositionẽ morborum tripliciter fieri uel propter pluralitatem causarum,*

sarum,

sarum, uel qualitatum, uel ægritudinum simul iunctarum; quomodocunq; dicatur, dico quod non potest fieri ægritudo simplex in membris similaribus, cum simplicitas ex opposito proueniat, aut a simplicitate causarum, aut qualitatum, aut ægritudinum ipsarum; & probatur hoc, primo quod non poßit esse simplex, à simplicitate causarum; & sic arguitur, omnis materia est causa ægritudinis, si ergo est causa corporea, ipsi humores erunt materia, & causa illa coniuncta faciens morbum ipsum in complexione. sed nullus est humor ex quatuor humoribus qui sunt in complexione ipsa, qui sit humor simplex, ergo non poterit fieri ægritudo ab ipsis causis in similaribus, quæ sit simplex, cum causæ sint multiplices, quód nullus humor sit simplex primum quia omnis humor habet suas qualitates. cur ergo dicis tu in similaribus posse fieri simplicem ægritudinem, cum primo non poßit fieri à simplicitate causarum? quod autem secundo non poßit fieri ægritudo simplex in similaribus a simplicitate qualitatum, sic probatur, quoniam uidelicet qualitates ipsæ non sunt morbus, sicut supra notauimus, sed in eis est morbus subiectiue, ideo ita arguamus, nulla qualitas in ipsa cõplexione simplex potest esse intensa ita ut ex ea fiat ægritudo, sed semper est mista cum alia, ergo à simplicitate qualitatũ non potest fieri simplex ægritudo in similaribus partibus, cum non sit simplicitas talium qualitatum, quod probo sic. quoniam in ipsa complexione caliditas ipsa non potest esse sola intendi, ita ut ex ea fiat ægritudo,

ægritudo, nisi cum eo addatur siccitas, quoniam non potest intendi propter ea quia hebetatur à frigiditate & humiditate, sed si adiungatur siccitas intentio tūc magis intenditur, quoniam siccitas adiuuat eius intentionem, unde bene illi dicunt, quòd siccitas est lima caloris: patet enim hoc: si ergo caliditas sola non intendetur nisi cum siccitate adiuncta, igitur ab ea caliditate simplici non potest fieri ægritudo, quæ quidem sit simplex quoniam non facit eam nisi iuncta siccitati, si autem loquaris de frigiditate, eadem ratio erit, quia nusquam frigiditas sola intendetur, quia hebetatur à caliditate, nisi ei adiungatur siccitas, quæ eum acuat, uel humiditas non potest excessum habere, ex quo excessu; fiat ægritudo in ipsa complexione, cum ægritudo ipsa sit in excessu, sic dicatur de passiuis qualitatibus, quoniam humiditas sola non intenditur nisi sit cum frigiditate, nec siccitas nisi sit cū frigiditate uel siccitate adiuncta, ergo non fiet ægritudo ab humiditate, neq; a siccitate simplici in ipsa complexione. quare remanet quod non dabitur ægritudo simplex in partibus similaribus. Sed ad primum facile est respondere imò ferè patet solutio, sed ad secundum est difficilis imò difficillima responsio, quo ad ergo primum respondetur primo, cōcedendo quod dicitur morbus ille simplex qui prouenit a simplici causa, & ille compositus qui a multiplici causa. hoc enim concedo, sed quoniam ulterius dicitur materia etiam est causa ægritudinis corporea modo humores sunt materia, ob id sunt causa ægritudinum corporea,

ligere, & ubi poterat illum taxare multum gaudebat, & bene perpendebat eum, ut illum reprehenderet aliquo modo, habuit enim illũ semper odio. sed si uolumus percunctari ab Auerr. dicemus: non ne etiam ista dubitatio fuit antiquorum uirorum ante ipsum Auerr. & non ne mouit eam & recitauit et soluit eam in primo de temperaturis, quòd caliditas sola ne una aliarum trium qualitatum in ipsis complexionibus potest intendi ita ut faciat ægritudinem, sed tamen illa qualitas ita intensa non est permanens, sed cito remittitur, & quodam modo in puncto est, quoniam cum ista caliditas est ita intensa, uincitur uel ab humiditate & frigiditate, uel ipsa uincit humiditatẽ, & adiungitur ipsi siccitati; sed in ægritudinibus dicemus eo modo, quoniam concedemus quòd nulla qualitas simplex potest ita intendi, ut sola faciat morbum, quoniam non permanet, sed cito fluit, sed tamen si adiuncta est ipsi siccitati caliditas, est illa quæ primo agit ad ægritudinem imprimendam corpori, quoniam ponatur quòd caliditas ignea, idest iuncta cum siccitate (dicitur enim ignea quoniã ignis habet illas duas qualitates) ponatur dico quòd ingrediatur corpus, certum est quod inflammauit uel spiritus, uel humores, ex quo fit ut accẽdatur febris, quæ est subiectiue in ipsis membris, modo caliditas est illa quæ primo facit istam impreßionem in ipsis membris, id est quæ complexionem deprauat, & eam calidam reddit, & si iuncta sit cum siccitate. non enim fieret febris nisi membra ipsa prius incalescerent antequam exiccarẽ-

tur,

tur à ſiccitate in hoc tempore certum eſt, quòd eſt ægritudo, tamen caliditas ſimplex fuit illa quæ cauſauit febrem, & in illo toto tempore dicitur ægritudo ſimplex & denominamus illa membra calida fuiſſe reddita, quoniam non eſt ſiccitas apparens ſenſui introducta quoniam læduntur bene operationes ab ipſa caliditate cauſante morbum, ſed non à ſiccitate, ſed poſtea ſi calor permanſerit, ſiccitas incipit etiam ipſa exiccare ipſa mēbra, et ita calida membra exiccãtur & tunc fit compoſitus morbus, tamen in illo toto tempore in quo ſola caliditas cauſauit ægritudo erat ſimplex, quoniam qualitas cauſans erat ſimplex. & quod dico de caliditate intelligatis modo uos etiam de frigiditate, quoniam poteſt eſſe quod frigiditas cum humiditate & ſiccitate etiam intendatur, ita ut cauſet ægritudinem, tamen illa frigiditas faciet impreſſionem primam in ipſis membris, & ex illa impreßione, mala complexio redditur, & fit ægritudo ſimplex dicta, quoniam ſimplex qualitas eam cauſauit; ſed cum iam frigiditas permanſerit, poſtea humiditas incipit humectare, & poſtremo, & ſiccitas ſiccare, quoniam uolunt ſiccitatem ſequi poſtremo, et tunc iſta ægritudo dicetur compoſita, quoniam cauſata à multis qualitatibus, tamen illo toto tempore frigiditas ſola agens cauſauit ſimplicem ægritudinem in cõplexione ipſa, unde dicimus quòd humor primo eſt unus, quia habet unam formam à pluralitate qualitatum non poteſt eſſe multiplex, ergo humor tanquam cauſa non poteſt facere ægritudinem compoſitã, quoniam

niam simplex. qui humor etiam habet unam ex illis qualitatibus duabus quas habet intensissimam in primo, quæ iuncta cum alia qualitate in ipsa complexione primo facit impreßionem illam, propter quam accidit ægritudo simplex, & si postea simplex illa ægritudo in compositam redeat, quoniam alia qualitas incipit agere & imprimere suam impreßionem, tamen non stat quod in illo primo tempore non fuerit simplex morbus; quoniam puta corpus primo infrigeratur, postea humectatur, postremo uero exiccatur, & tunc dicetur ægritudo composita, quoniam a pluralitate qualitatum prouenit. Datur tamen simplex morbus in complexione à qualitate simplici, à caliditate & dicitur calidus, à frigiditate frigidus, ab humiditate humidus, à siccitate siccus, & hoc est unũ dubium quod erat soluendum in hac lectione; restat modo aliud dubium, quoniam iam dictũ est quòd quod in compositis membris, id est in organicis potest esse in quatuor generibus non in pluribus, in forma, quantitate, situ, numero; contra nos dicemus quoniam inueniuntur alia genera ægritudinum, quæ accidunt illis instrumentis quæ non sunt sub aliquo illorum quatuor generum, ergo male data fuit diuisio illa: quòd hoc sit uerum patebit, & ut res sit manifesta accipiamus destructionem uisus propter obscuritatem, atq; opacitatem in humore cristallino; certum est quòd est ægritudo in compositione, quoniam instrumẽtum ægrotat in sua ratione formali, ut est instrumentum, tamen non est sub aliquo illorum quatuor generũ nu-

meratorum. quod sic probatur, primo quod non reducitur ad formam, quoniam non reducitur sub aliquo illorum quatuor in quibus cõsistit ipsa forma, primo non in figura, quoniam figura ipsa est debito modo se habens, non in meatibus, non in receptaculis, non in superficie, ergo neque in forma. secundo quòd non sit sub quantitate patet, quoniam eadem est quãtitas oculi, neq; minor, neq; maior. tertio quod non in numero quoniam idem est numerus partium. non deniq; in situ. ubi est ergo? uidetur ergo quòd illa diuisio non sit sub quantitate patet, quoniam inueniuntur aliæ species ægritudinum quæ non possunt reduci sub illa numerata quatuor genera, formam, quantitatem, numerum, situm, ista sunt quæ possent facere dubium circa hoc, sed non est difficile soluere ista obiecta, si primo illud animaduerteritis quoniam opacitas fit à duabus causis, primo propter priuationem luminis, secundo autem propter densitatem acquisitam. Videmus enim aerem priuatum lumine fieri opacum, sic quoq; uidemus aërem cum sit densus propter uapores crassos fieri obscurum, quoniam non potest suscipere lumen ipsúm cum est densus, & quantò magis densatur, tantò magis etiam fit opacior. Sic dicemus etiam de humore cristallino, quoniam opacus fit a duabus causis istis, quoniam aut priuatur spiritu luminoso, aut ita densatur propter humores occupantes uueam ut fiat opacus, si ergo cristallinus humor priuetur luminoso spiritu, & ob id reddatur opacus, consequenterq; destruatur uisus, tunc est ægritudo in numero,

mero, quoniam non est debitus numerus partium re quisitarum ad uisionem perficiendam, nam ad uisionem ipsam requiritur spiritus luminosus, si uero cristallinus humor ita densetur ut fiat opacitas eius, consequenterq; destruatur uisio, tunc dico quod talis ægritudo est in ipso situ: quid enim aliud est densum, quàm positio situsq; partium? illa enim sunt densa ex 4. *metheororum, & 2.* de Generatione *& corruptione, quæ habent partes adunatas ad centrum, ita ut alia aliam immediate contingat. rarum uero illud esse dicitur, quod habeat partes à centro inter se dilatatas ita, quòd aliquod corpus poßit ingredi inter eas, sicut est spongia, pumex, quid enim aliud est dicere, quàm talis talisq; situs partium? ideo quomodocunq; reddatur opacus humor cristallinus, ex quo sequatur destructio uisus, uel ex densitate, uel ex priuatione luminis, semper erit ægritudo, aut sub situ, aut sub numero, quid autem aliud est quàm ponere illas ægritudines sub aliquo illorum quatuor generum numeratorum in compositione? quare remanet conclusum & clarum, quòd genera defectuum et ægritudinũ in compositione, idest in instrumẽtis ut sunt instrumenta, sunt quatuor, neq; plura, neq; paucio ra, ideo de hoc satis iam sit; non enim oportet amplius implicare animos uestros dubijs, satis soluisse ista cum iam sit manifesta res, ad alia modo procedamus.*

LECTIO XI.

ERAT *sententia Aristot. in tertio metaph. ita se habere dubitationes ad intellectum, sicut uincula ipsa ad membra corporis, quoniam quemadmodum uincula ad crura animalis posita ligant animal ne possit ambulare, sic dubitationes ligant intellectum ne possit amplius progredi; ideo cum essent plurimæ dubitationes circa ea quæ diximus, uolui eas remouere, ne uestros intellectus implicarem; sed quia ego audiui plurimos uestrum inter uos dubitasse circa dicta nostra, quoniam dicebamus animam ipsam esse adequate in ipsis similaribus formam, secundo uerò in instrumentalibus. dicebant enim aliqui uestrum inuicē quo modo hoc potest esse uerum? quum tamen definitio animæ data ab Arist. in secũdo de anima sit, quod anima est actus corporis physici organici, non autem similaris, quare ergo dixit quod est in similaribus, cum dicat actum esse ipsorum instrumentalium membrorũ primo. Præterea secundo instant & dicunt, ipse dixit quod in corpore uiuo non inueniuntur similares partes simplices, quoniam omnes sunt organicæ, hoc enim est contra ipsum, quia sequetur quod in simplicibus partibus ac similaribus ægritudo non poterit esse, quoniam sunt solum similares secundum denominationem, cum tamen supra dixerit, ægritudinum alias esse in ipsis similaribus, alias in instrumentalibus. tertio etiam instant aliqui dubitando, quoniam ego dixi quòd ægritudines, quæ sunt in similaribus,*

sunt

ſunt illæ quæ ducunt animalia ad mortem, non ſolum autem ad amiſsionem operationum, quæ autem ſunt in organicis ducere quidem animalia, ad hoc, ut eorum membra inſtrumentalia amittant ſuas operationes, non tamen ad mortem, quo modo enim hoc poteſt eſſe? Sed omnia iſta dubia proueniunt ex malo certe intellectu eorum, quæ à me ſuperius ſunt dicta, quoniam ſi bene animaduertiſtis ſoluta ſunt iam ex dictis meis, ſed non intellexiſtis rem ipſam; ne tamen uos remaneatis confuſi, uolo iterum clariſsime repetere ſolutiones. Quantum ergo ad primum obiectum iſtorum ego reſpondebo, ſed iſti non debebant dubitare contra me, ſed contra Galenum, quoniam ego ea dixi de mente Galeni ſi recte memoria tenetis, ſed iſti debebant potius petere conciliationem inter tantos uiros, uidelicet inter Ariſt. & Galenum, non autem imputare me, ob id uolo eos conciliare, & dico quod nullo modo ſibi in hoc contradicunt, quod oſtendo; primo dixi ego quòd inſtrumentorum, ſubſtantia, & pars materialis ſunt partes ipſæ ſimilares, ſed tamē ſupra illas partes aliquid aliud habet inſtrumentum, quæ eſt forma ipſa per quam inſtrumentum eſt conſtitutum, ideo quid aliud ſunt ipſa inſtrumenta, quàm partes ſimilares ipſæ, quæ ſunt ipſum corpus? forma uero inſtrumenti nō eſt corpus; modo Ariſt. dicit animam eſſe actum corporis non autem formæ ipſius organi, ſed corpus & materia ipſius organi non eſt aliud niſi ipſæ partes ſimilares, ideo anima eſt actus ipſarum partium ſimilarium, quæ ſunt materia in-

ſtrumentalium & ſubſtantia, inſtrumenta autem ha bẽt formam ſupra ipſam materiam, ideſt partes ſimilares quæ ſunt potentia ipſa inſtrumenta quæ tamen habent ſuum actum, uidelicet ipſam animam, non enim credatis quod tãtus Ariſt. fuerit ita fatuus, ut uoluerit dicere animam eſſe actum formæ ipſius inſtrumenti, ſed dixit ſubſtantiæ ipſius inſtrumenti eße actum, uidelicet corporis, quod eſt ipſum organicũ potentiæ; & dico quod ipſa ſimilaria membra ſunt inſtrumenta in corpore uiuo, neque uiuere poßẽt niſi eſſent organica; ſed ſunt ſimilaria ſecundum denominationem, imò aliud addo quod ſi eſt aliquod ſimilare membrum, quod non ſit inſtrumentum non uiuit, neque habet ipſam uitam pro ſua forma: quod probo per ipſum doctißimum Themiſt. in ſecundo de anima inquirẽtem cum Ariſt. definitionem ipſius animæ ferè in principio credo quod ſit tex. ſexto, uel ſeptimo; dicit enim quod uiuit neceßario nutritur, niſi enim nutriatur nullo pacto uiuere poterit; ſed nihil nutriri poteſt niſi ſit inſtrumentale, quoniam in nutritione requirũtur multæ diuerſæq; operationes, puta attractio, immutatio, nutritio, concoctio, quæ omnino ſunt diuerſæ; ſed quia ab uno non prouenit niſi unum inquantum unum, ideo cum una ſit forma non poteſt peragere tot operationes uno inſtrumento; oportet ergo quod ſint multa inſtrumenta; ſed nullũ ſimilare habet partem aliquam quam unam, ergo per illam non poteſt tot munera fungi. oportet ergo quod omne quod nutritur ſit organicum, ideo primo in corpore

pore humano sunt aliqua similaria membra reperta simplicia abiunctaq; ab alijs non possunt nutriri, consequenterq; neq; uiuere, si modo uerum est quod scilicet dicitur, quod illuc usq; uiuimus, quoad nutrimur: Vultis uidere quod hoc sit uerum, aspicite hoc quia sanguis qui est pure similaris secundum ipsum Arist. loquendo de eo. Adeps etiam secundum Galenū est similare, pili, unguesq; sunt similares omnino, ideo neq; sanguis nutritur, neq; adeps, neque pili, neq; ungues consequenter, neq; sanguis uiuit, neq; consequentia. dico etiam quod non augmentatur quoniā non nutriuntur, bene additur pars sanguinis illi reliquo, & est potius additio quam uera augmentatio: sicq; satisfactum sit primæ dubitationi. ad secundā patet ergo solutio ex dictis a me in superioribus lectionibus, quoniam ego certe solui hanc dubitationē, quoniā si recte memoria tenetis, dixi similaria duplicia esse, sicq; instrumentalia; primo quidem instrumentorum, alia sunt simpliciora, alia compositiora; neque hoc ex me dico sed ex Galeno in primo libro de elementis ferè in fine illius libri, ita etiam similariū, alia sunt secundum ueritatem, alia uero sunt secundum denominationem, puta os, caro, uena, neruus, & cætera talia, quæ quidem à nobis dicuntur similaria atq; denominantur, quoniam uidelicet quælibet pars eorum habet eandem denominationem cum denominatione totius, & hæc est conditio requisita ad hoc ut similare sit aliquod membrum, ut uidelicet pars suscipiat eandem prædicationem in recto cum suo toto. dici-

mus enim quælibet pars carnis caro est, quælibet pars nerui est neruus, sed similaria membra secundũ ueritatem rei sunt quidem ista si separentur, quia sunt similaria, sed tamen huiusmodi partes sunt compositæ in corpore uiuo, neq; separatæ inueniuntur, quoniam ut dictum est si separatæ simplicesq; essent, non possent nutriri, neq; uiuere, & tamen possunt se parari ita quod uideamus clarißime talem esse carnem, talemq; neruum, sed in ipso corpore mortuo in quibus tales partes non operantur; si ergo debent operari in corpore uiuo oportet esse composita, ideo non sibi contradicunt isti magni uiri, neque ego mihi met. Quoad secũdam quæstionem istorum, in qua dicunt quòd mihi ipsi contradico, dico quòd hoc prouenit ex uestro malo intellectu, dicunt enim si per te nõ inueniuntur similares partes simplices in corpore uiuo, quo modo ergo in eis poterit esse ægritudo, sicut dixisti tu cum Auic. hoc enim prouenit ex mala intelligentia sicut dixi, non autem quod mihi ipsi contradicam. Quoniam soluimus eam etiam superius, nam in mala complexione istorum membrorum similarium secundum denominationem, potest esse ægritudo, quæ diximus reperiri in corpore uiuo, non autem in similaribus secundum rem ipsam. Ad tertium obiectum quando dicunt ipse dixit (ægritudines quæ sunt in similaribus, ducunt ad mortem animalia, quę uerò sunt in instrumẽtis solum ad amissionem operationum ipsorum mẽbrorum.) *Si meministis dixi ego quòd uita ipsa est primo in ipsis*

ſis ſimilaribus & ipſa complexio, ſed inſtrumentalia ipſa habent aliquid plus, uidelicet formam, quantitatem, ſitum, numerum, & cum hæc ſunt bene diſpoſita, eſt ſanitas naturalisq; diſpoſitio . ſi ergo uitientur iſta quatuor, uel forma quæ eſt in ſuperficie, meatibus receptaculis & figura, uel quantitas, uel ſitus, uel numerus ipſorum inſtrumentorum, cum per iſta fiat aptum ad ſuas operationes obeundas, certum eſt quòd ipſum inſtrumentum non poteſt obire illas operationes, & ſic fit, amiſſio & deſtructio operationũ propter ægritudinem ipſam in inſtrumentis, quoad ſunt inſtrumenta, non tamen propter hoc uita ipſa deſtruitur, quoniam uita in ſua forma non conſiſtit, ſed in materia, uidelicet in partibus ſimilaribus, ſed cum eſt ægritudo in ipſis ſimilaribus, in quibus eſt uita, ex illa poteſt deduci in mortem etiam ipſum inſtrumentum, quoniam in eodem eſt uita, niſi quia eſt in ſua materia, uidelicet in partibus ſimilaribus, & conſequenter ad ægritudines quæ ſunt in ſimilaribus, conſequi poteſt mors & deſtructio operationum, ſed ad ægritudines inſtrumentales non conſequitur, niſi deſtructio operationum, niſi communicentur ipſis ſimilaribus, ideo uidete quòd omnia iſta proueniant à malo intellectu rei, non autem à mala doctrina mea, quoniam ego doceo ueritatem, & certe iſti domini Veneti deberent ſoluere me duplo pretio, quoniam duplicem laborem ſuſtineo, primo quidem ad remouendas falſas opiniones, quas acquiritis ab iſtis doctoribus, & etiam authoribus modernis, ſecundo uerò ad introducendas

troducendas ueras sententias, in animos uestros. intelligite, intelligite rem, nihilq; confusi remanebit. sed cum hæc extra lectionem ipsam uagantes dixerimus, ad rem ipsam accedamus. (Et tertium genus est, ægritudinum cõmunium, quæ membris accidunt, quorum partes similantur & accidunt &c.) *Debetis meminisse quod Auic. hic non proposuit nisi tria genera simplicium ægritudinum, uidelicet earum quæ sunt in complexione, earum quæ in compositione, & quæ in solutione continui. de duobus generibus diximus de complexione uidelicet, & compositione, accedamus modo ad tertiũ genus, uidelicet solutionem continui.* Et dicit Auic. (& tertium genus est ægritudinum &c.) *sed primo debetis scire quod unitas in essentia animalis est quoddam principium essentiale, non autem accidentale, quoniam unitas procedit ab essentia, & unũ ab unitate, ideò quo ad animal unum est, eo est etiam, quantum enim unumquodque habet de uno tantum habet de ipso ente, quoniam forma ipsa est à qua procedit unitas ipsa, quo ad manet unitas manet forma, quo ad manet forma, manet esse, quoniam esse à forma ipsa procedit, si ergo formæ ipsæ perfectæ fuerint & soluatur unitas ipsa corporis in quo sunt illæ formæ, tunc totius perit operatio, & penitus ipsum totum destruitur; sed si formæ & potentiæ ipsæ fuerint imperfectæ, tunc si unitas ipsa dissoluatur totũ illud non destruitur penitus neq; eius operatio, sed tantum illud instrumẽtum ægrotat, sed si tollitur unitas instrumenti*

menti nobilis formæ operatio illius omnino cessat, unde solutio unitatis semper facit ægritudinem, sed maiorem in illis instrumentis, quæ sunt nobilis formæ, minorem uero in illis qui sunt formæ ignobilioris, & semper est contra naturam. Et ista ægritudo est cõmunis tam instrumentalibus membris quàm etiam ipsis similaribus, dico autem instrumentalibus quatenus instrumentalia, & similaribus quatenus similaria, ita quòd cũ est in organicis non est ratione ea, quia uidelicet sit in ipsis similaribus, sed est in eis primo essẽtialiterq;. Sed quomodo quatenus organica ? dico, sicut scitis, quod instrumentum ipsum debet habere debitã formam, debitam quantitatem, debitum numerum, & debitum situm, quotiescunq; autem unum ex istis soluitur, tunc instrumentum, ut est instrumentum patitur solutionem continui, non autem propter similaria ipsa. ideo hoc tertium genus dicitur cõmune partibus similaribus & organicis, quoniam potest esse in istis ambabus uel simul uel separate, quoniam potest esse solutio continui in eis simul, potest etiam esse in similaribus separate, & in organicis per se separate; & quando dico nunc membra similaria, intelligatis semper similaria per denominationem, ne postea iterum quæratis dubitando, & hoc est quod dicit Auicenna in litera (Et tertium genus ægritudinum, &c.) Solutio enim continuitatis plerunq; accidit iuncturæ; ita quod simplicibus membris ex quibus iunctura fuit cõposita nullo modo accidit, & aliquando quidem etiam accidit uenis, ossibus, so-

lũ quæ ſunt ſimilaria, ita quod non accidit inſtrumentalibus. Ex quibus dictis a nobis ſequitur unum corollarium quod eſſentia ipſa eſt in complexione & unitate, quoniam complexio ipſa uel eſt tota eſſentia formaq; animalis ſecundum quod tenet Galenus, uel proximum quid eſſentiæ. Et dico hoc quia eſſentia & perfectio ipſa animati membri permanet in complexione bona, & unitate ipſa. Sed dicatis uos modo per oppoſitum: exiſtentibus læſis bis duabus rebus & complexione & unitate ipſa, ſequitur contrariũ eſſentiæ, ſed quid uis dicere propter hoc? dico quod hoc dixi quia cum animal habeat ſuam perfectionem & eſſentiam exiſtente bona complexione & unitate continui, ut ſeruaretur in hac perfectione, & eſſentia natura ſagaciſſima muniuit illud, & dedit ei ſenſus ipſos per quos quidẽ ſentiret quid nociuũ, quidue conſeruatiuum talis perfectionis, ut nociuum & offenſiuum refutaret, ſumeretq; conſeruatiuum, & acceptaret, ideo uidemus, quòd quotieſcunq; accedit aliquid conſeruatiuum complexionis, & uitæ, tunc animal illud acceptando ſentit & ex ſenſatione ſumit delectationem, unde delectatio nihil aliud eſt quàm ſenſatio cum lætitia, ſicut ſupra quoq; tetigimus, ſed cũ quid accedit nociuũ iſti cõplexioni illud animal ſentiendo triſtatur, quoniam ſentit deſtruere eſſentiam ipſam uel unitatem, & ex hac triſtatione prouenit dolor, unde dolor nihil aliud eſt quàm ſenſatio triſtis, quoniam deſtruitur eſſentia ipſa & complexio, uel etiam unitas continui & tactus eſt ille qui ſentit

dolorẽ

dolorem & delectationem, unde propter hoc recte Arist. in secundo de anima, & in libello de sensu & sensili dicebat tactus sensuum non esse unum sed plures, quia ille est unus sensus qui habet unum obiectũ, qui habet plura obiecta est plures uno, sed tactus habet plura obiecta uno, ideo conclusit illum esse plura non unum. Ecce ergo quomodo ex natura rei inuenimus dolorem ipsum fieri in animali; quoniam sentit nociuum uel ipsius complexionis, uel unitatis, & ex illa tristi sensatione fit dolor, & non solum à solutione continui, sed simul & à complexione. Exeant modo nunc illi, qui se tenent imitari Galenum & appellant se Galenistas, dicentes opinionem Galeni fuisse quod doloris causa sit solummodo solutio unitatis, & tenent hoc uerum esse, cum tamen non uideant Gal. neq; illum intelligant. Videtis uos iam ex natura rei quomodo fit à complexionis alteratione, & à solutione ipsius unitatis, hincq; apparet quomodo Auerr. male damnauit Galenũ, cũ uel nõ intelligeret eũ (quod mihi non datur credendum) uel saltem fingeret se illum non intelligere, ut eum damnaret. in quocunq; enim poterat inuehi in Galenum maximum studium ponebat ut in eum inueheretur, nescio cur tantum odisset Galenum, quem sæpißime falsò, temereq; damnat, præsertim in hac re, cum Gal. in hac re suo modo interpretetur, & ideo Auerr. non solum damnauit Gal. quia poneret dolorem fieri à solutione unitatis solum, sed & contrariam posuit sententiam sustẽtandam, dolorem fieri solum ab alteratione ipsa in cõplexione

plexione facta, neq; propter hoc damno Auer. quia fuit maximus philoſophus & certe magnus uir fuit ſemper apud me, & utiq; philoſophi noſtro tempore ita inuenirentur, ſed poſtea Auicenna ille diuinus uir medius inter quæſtiones & nobilis moribusq; integer nulli inuidus, neq; aliquem odio habens, qui certe fuit nobilis modeſtusq; in omnibus, ſicut etiam magnus uir erat, erat enim in Aegypto princeps, unde etiã apud nos dicitur princeps, non quod fuerit princeps in medicina, qui eſt Hippocr. ſuntq; alij, ſed quia in rei ueritate fuit princeps, ſicut declarauimus aliàs in principio primæ Fen, tetigit ambas cauſas, uidelicet & alterationem in complexione, & unitatis ſolutionem, neq; contendere uult iſte magnus, ſed hæc obiter tangere uolui, nolo enim ingredi hanc materiã, quia ſuo loco de hoc diſputabimus, hæc ſint dicta extra propoſitum, ueniamus modo ad expoſitionẽ textus, & primo notetis magnam Auic. doctrinam, quoniam dicit (Iſtud tertium genus ægritudinum ſimplicium eſſe commune tam ſimilaribus partibus quàm organicis, ratio autem eſt (*inquit ipſe*) quoniam accidit tam ſimilaribus quo ad ſunt ſimilaria, & organicis quo ad ſunt organica, & etiam ſimul in illis poteſt eſſe,) *Ecce quo modo declarat id quod ſæpe dixi in hac lectione, & optime intellexit hanc rẽ. iſte uir optimus certe, dicit autem declarando ſe, quo modo iſta ægritudo accidit organicis per ſe, & ait quod accidit organicis, ita quod non accidit eis quia*

accidat

accidat ſimilaribus, quæ ſunt eorum ſubiecta, atq; materia, ſed accidit eis primo ut ſunt organica, id eſt in ſua forma, per quam ſunt organa. Et poſtquam Auicenna diuiſit ægritudines ſimplices in tria genera eaq; declarauit quæ ſint accidentia propria ſimilaribus, quæue propria organicis, quæ etiam communia ambobus membris, nunc concludendo epilogat breuiter & ait (Et ad ultimum quidem ægritudinum tria ſunt genera, uidelicet ægritudinum ſimplicium,) *poſtea inquit* (ægritudines quæ ſequuntur malitiam complexionis, & compoſitionis, & ægritudines quæ continuitatis ſolutionem ſequuntur, & omnis ęgritudo, &c.) *His pertractatis in * & potius proponendo nunc Auic. tractans de ſimplicibus ægritudinibus primo, poſtea de compoſitis quas diuiſit in tria genera, incipit modo tractare de eis in particulari ſingulatimq; primo de ægritudinibus accidentibus in mala complexione; ſecundo de accidentibus in cõpoſitione; tertio de accidentibus in ſolutio[ne] conti nui, cum ergo tractat primo de illis quæ accidunt in complexione inquit*, (Aegritudines autẽ complexionum poſſunt eſſe xvi, quas nominauimus.) *Et hoc dictum fuit ab Auicenna in prima Fen huius primi, quam antea expoſuimus in cap. de complexionibus, ubi exponendo Auic. dicebam quòd neſciebam cur hoc feciſſet Auic. uidelicet numerare iſtas complexiones intemperatas in illa prima Fen, dicebamq; quòd melius feciſſet Auicenna, ſi ſeparaſſet*

earum

carum numerationem & tractatũ ab illa prima Fen, posuissetq́; in hac secunda Fen in loco presenti ubi agit de his quæ sunt præter naturam ægritudinibus; in hoc enim non poteramus neque possumus in rei ueritate soluere Auic. Sed quomodocunq; sit, quoniam facit illud potius ad bonitatem doctrinæ quàm ad finẽ nostrum intentum in hac arte, ideo de hoc non est curandum modo hoc dixerit ibi, modo dixerit hic, satis est quod complexionum ægritudines sunt xvi, *quas cum numerauerit in illa prima* Fen Auic. *eas gratia breuitatis non uult repetere, sed transmittit nos ad illum tractatum. Sed hic statim insurgit difficultas non dissimulanda, quoniam hic* Auic. *tractans de ægritudinibus simplicibus dicit* (earum species esse xvi. in primo genere videlicet in complexione) *tamen oppositum huius totum habet* Galenus *in primo de differentijs morborum, quoniam Galenus ponit ibi solum esse quatuor species ægritudinum in complexione simplices, uidelicet, calidam, frigidã, humidam, siccam, alias uero complicatas ex duabus qualitatibus non enumerat inter species simplices ægritudinũ, et est magna differentia certe inter hos homines. quomodo ergo* Auic. *dixit esse* xvi. *species pro huius rei intelligentia, notetis unum in quo consistit fundamentum utriusq;, postea uidebitis differentiam eorum; dico ergo quod* Galenus *(sicut supra quoq; notatum est a nobis) ponit compositionẽ morborum fieri tripliciter, uel propter pluralitatẽ causarum, uel propter pluralitatẽ qualitatum, uel propter*

pter multitudinem morborum simul iunctorũ. Auic. uerò quoniam considerat essentias ægritudinum appellat illas ægritudines compositas solum, quæ sunt complicatæ ex pluribus ægritudinibus una, non curat autem de pluralitate qualitatum, uel causarum, quoniam quotiescunq; morbus unus est in se, dicit Auic. illum esse simplicem, siue modo proueniat ab una uel pluribus qualitatibus, uel ab una aut pluribus causis, ideo diuersa respicientes in fundamentis suis etiam diuersi fuerunt in numerando simplices ægritudines in complexione, quoniam Auic. posuit eas esse XVI. quæ omnes sunt simplices, quoniam sunt unæ in se, non autem complicatæ cum aliqua alia ægritudine. Sed Galenus ipse respiciens indicationes, quæ sumuntur, & curationes ipsas dixit quatuor simplices esse, quoniam quotiescunq; uariant curationem, & indicationes ab indicationibus simpliciũ ægritudinum, tunc appellant illas compositas, ideo quoniam ægritudines 12. præter illas quatuor uariant indicationes & curationem, ab indicationibus illarum quatuor appellat ob id eas compositas, quoniam aliter curatur ægritudo calida, aliter calida sicca, ideo sunt compositæ siue modo sit unus morbus in se, siue multiplicati, satis est quod prouenit uel à pluribus causis, uel à pluribus qualitatibus; quare rectè dicebat Galenus, sicut dicebamus in quarto methodi in principio lib. oportet te rectè inquirere & inuestigare ut scias qui sint simplices, quiúe compositi morbi, quoniam compositis composita, simplicibus sim-

plex conuenit medicina & indicatio, unde quoniam à morbis prouenientibus à pluralitate qualitatũ, uel à pluralitate causarum indicationes compositæ et curatio composita adhibetur, ob id Galenus non solum appellat eos morbos compositos, qui sunt complicati ex multis morbis, sed etiam eos qui quidem proueniunt uel à pluralitate causarum, uel à pluralitate qualitatum; sed Auic. considerans ægritudinum essentiã appellauit eas simplices quæ essent in se unæ, siue modo sint à pluralitate qualitatum, uel à pluralitate causarum causatæ, & pro rei declaratione accipiamus exemplum, & dicamus quod tertiana notha, quæ prouenit ab humore bilioso, & pituitoso est simplex ægritudo apud Auic. quoniam ista ægritudo habet solum unam rationem formalem ægritudinis uidelicet febris. est enim sola febris, & si proueniat a pluralitate causarum coniunctarum, Galenus tamen appellaret eam, & connumeraret inter morbos compositos, quoniam ab ea sumuntur compositæ indicationes, eiq; adhibetur curatio composita; Vtra autem harum opinionum sit magis utilis medico uel illa, uel illa, quoniam tenemus ambas esse ueras, nunc non est disquirendum, quoniam inferius de hoc mentionẽ absolute faciemus ubi loquemur de ægritudinibus cõpositis, & hæc sint dicta pro intelligentia huius secundi cap. Et quoniam nolumus recensere illas sex species ægritudinum in complexione, quoniam anno elapso satis de hoc diximus, ideo qui uoluerint uidere tractationem de ipsis apud Gal. & Auic. ego citabo eis loca,

loca, quoniam nos in sequenti incipiemus tertium caput. uideatis ergo Auic. quidem in prima Fen, primi doct. tertia. cap. primo de complexionibus. Galenũ uerò in primo de differentijs morborum.

LECTIO XII.

IN *materia de simplicibus morbis, de quibus tractatus nobis præ manibus est, uisum fuit heri quemadmodum sunt tria genera, complexio, compositio, continui solutio, & quemadmodum in primo, quoniam uidelicet in complexione sunt sex species secundum Auic. quæ contingunt similaribus membris ut sunt similaria, neq; sunt plures, neq; pauciores; sed dubiũ hoc uidetur esse, quoniam si inspiciamus tertiũ, quartumq; librum Auic. inueniemus ferè innumeras species ægritudinum simplicium in complexione, ergo uidetur quod sint plures* XVI. *imò quod sint species innumeræ, ad hoc ergo dicimus ut ostendamus quòd non sunt plures, neq; pauciores, quòd ille cathalogus potius morborum ferè innumerorum habitus in quarto, tertioq; lib. canonis ab Auic. reducitur in* XVI. *species numeratas, quoniam discurratis uos, & unumquemq; illorum morborum uidebitis reduci sub aliquam istarum* XVI. *specierum neq; sunt plures, & ideo uidete hanc artem medicam non esse ita uastam, ita etiam magnam, longamq; sicut putant aliqui rudes, sed illa est bene longa quæ falsa docet, sed uera breuissima est secundum etiam quod dicebat Galenus in secundo de crisi; ut ergo habeamus rem secundum*

naturam rei, non autem secundum historiæ modum, secundũ quod heri docuimus, primo sciatis hic, quòd complexio est æqualitas quatuor qualitatum primarum ipsorum humorum sicut audiuistis a me iam anno elapso in prima Fen. cap. de complexionibus, sed æqualitates sunt octo, sicut ibi dicebat Auic. Sed eas dimittamus, accipiamusq; solum duas qualitates corporum humanorum, & dicamus quod una earum qualitas est complexionis speciei ipsius humanæ totius distinctæ ab alijs speciebus, alia autem est in ipso indiuiduo, idest in homine isto uel illo. Sed illa habet magnã latitudinem, ista uero non reperitur, quoniam existit in puncto, neq; permanet, si inueniatur aliquando, sed statim immutatur, quoniam cum est ista æqualitas cum semper qualitates primæ inter se agant, fit ex illa actione & non permaneat, sed statim cadat. de qua complexione dicendum est. quæ quidem & si non reperiatur permanere tamen inuenitur aliqua illi propinqua, ista ergo æqualitas proculdubio est in ipsis membris similaribus uidelicet in complexione ipsa quæ quidem est in similaribus, quæ complexio resultat ex actione uaria & continua quatuor qualitatum primarum. secundum ergo uariam earum qualitatum proportionem inter se etiam uariæ fiunt complexiones & æqualitates in quibus consistit ipsa sanitas, ita quod omnes complexiones indiuiduorũ inter se sint uariæ neq; inueniatur una quæ alij sit eadem, proportionem autem & æqualitatem intelligo nunc cum Auic. non ponderis sed iustitiæ, ideo in eis

æqua-

æqualitatibus consistit sanitas ipsa & secundum magis & minus quoniam non est absoluta sanitas, est tamen sanitas quoniam propinqua absolute sanitati, ista ergo æqualitas est in magna latitudine, tamen summum eius est in puncto sicut audiuistis etiam ex Galeno; ex hoc autem relinquitur quod si debet fieri aliqua inæqualitas quod oportet ut fiat per excessum aliquarum quatuor qualitatum, uel caliditatis, uel frigiditatis, uel humiditatis, uel siccitatis, & sic ægritudo erit in æqualitate facta propter aliquam istarum qualitatum excedentem quoniam sunt opposita sub eodem genere æqualitas & inæqualitas, sanitas & ægritudo, modo sanitas consistit in æqualitate quæ habet multos gradus, sic etiam ægritudo ipsa erit in inæqualitate per contrarium. quot ergo gradus sunt in æqualitate tot sunt sanitates. quot etiam excessus fieri possunt in ista æqualitate, tot sunt species ægritudinum in ipsa complexione, sed excessus isti non sunt plures x v i. *ergo bene diximus cum Auicenna in hoc secundo cap. huius secundæ* Fen; *quod ægritudinum species in complexione sunt sexdecim. quòd hoc sit uerum patebit nunc, qui isti excessus uel fiunt ab una qualitate solum illarũ quatuor uel à pluribus una, si fiant excessus per unã uel plures qualitates, aut per solas qualitates, aut per qualitates iunctas ipsi materiæ: quando ergo fiunt excessus ab una qualitate sola sine materia iuncta fiũt quadrupliciter isti excessus, uel enim caliditas sola excedit, & sic erit unus excessus calidus, uel sua opposita*

sita frigiditas excedit, & erit secundus excessus frigidus. Idem dicemus de paßiuis qualitatibus quod dictum est de actiuis, quoniam excedente humiditate fit excessus tertius humidus; excedente uero siccitate fit quartus excessus siccus, & sic solum sunt quatuor excessus per qualitates solas sine materia etiam ut rem absoluamus, & ita erunt etiam quatuor excessus etiam secundum quatuor combinationes poßibiles, quoniam uel fiet excessus à caliditate iuncta cum siccitate, & sic unus erit excessus, uel caliditate iuncta humiditati, & sic erit tertius excessus, uel fiet a frigiditate iuncta cum siccitate sicq; erit quartus excessus, & ita erunt quatuor excessus ex qualitatibus pluribus facti sine iuncta materia ipsa & erunt quatuor species ægritudinum ex istis quatuor exceßibus. sunt ergo huc usq; octo species ægritudinum simplicium secundum Auic. à pluralitate et unitate qualitatum primarum sine materia, neq; possunt esse plures, quoniam excessus non sunt plures nisi addatis materiam ipsam. quod autem non poßint esse plures sic patebit, quoniam manifestum est primo quód qualitates primæ sunt nisi quatuor caliditas, frigiditas, humiditas, siccitas, ab his ergo fiunt quatuor excessus, quatuor etiam ægritudines consequenter. sed combinationes harum qualitatum quatuor, non sunt nisi quatuor, ideo à qualitatibus pluribus non erunt nisi quatuor species ægritudinum: quoniam primo sunt duæ ab utraq; parte incompoßibiles & incõbinabiles: ex parte quidem actiuarum caliditas cũ frigidita-

giditate, ex parte autem paßiuarum humiditas cum ſiccitate, ergo remanent ſolum quatuor combinationes ſimplices, uidelicet caliditas cum humiditate, frigiditas cum humiditate, & utraq; iſtarum cum ſiccitate & ſic erunt ſolum octo, exceſſus à qualitatibus ſolis ſine materia & complicatis ſine materia conſequenter octo, ſpecies ægritudinum in complexione ſimplices ſecundum Auic. ſunt modo octo, aliæ ſpecies morborum à qualitatibus iunctis cum materia ipſa ſecundum medicos ipſos, in complexione ſimplices ſecundum Auic. quia uidelicet humor qui eſt materia cum ipſa qualitate uel ſola, uel multis inducit in membrum ipſum ſimilare temperaturam malam, quoniã per exceſſum qualitatum cum materia fiunt exceſſus per quos æqualitas & cõplexio bona deſtruitur, neque iſta complexio mala & temperatura eſt ſicut illa quæ introducitur ab ipſis qualitatibus ſolis ſine materia, ſed eſt inducta in ipſum membrum ſimilare per influxum materiæ, & fiunt octo exceſſus ſecundum qualitates numeratas, tamen adiungendo ſingulis ipſam materiam & ita erunt ſedecim ſpecies ſicut dicebamus: remoto autẽ influxu talis materiæ remouetur etiam qualitatum exceſſus conſequenterq; ægritudo niſi admodum fixa ſit, & ita moderni, quid dico de modernis? imò antiqui putauerunt dari octo ſpecies ægritudinum à qualitatum exceſſu cum influxu materiæ, uidelicet ipſorum quatuor humorũ. Sed hic ſtatim magna dubitatio inſurgit neq; pretereũda quoniam difficilis, & uidebitis, uidetur enim quod non

poßint esse sexdecim species ægritudinum simplicium in complexione quoniam per affluxum materiæ non possunt esse nisi quatuor intemperies, ergo erunt solum duodecim, & sic probatur quoniã humores sunt solum quatuor, qui singuli habent duas qualitates, uel enim sunt frigidi, humidi, uel frigidi, sicci, uel calidi, humidi, uel calidi sicci, si ergo habent plures qualitates una, ergo uidetur quod nõ dabuntur nisi quatuor species ægritudinum per excessum qualitatum cum materia, quoniam non dantur aliæ quatuor species, uidelicet qualitatum simplicium cũ affluxu materiæ, si ergo sunt solum quatuor per affluxum ipsius materiæ, & octo sine affluxu humorum, quoniam nunc loquimur de simplicibus ægritudinibus, non autem de cõpositis, ideo dicimus quod solus humor affluit cũ suis qualitatibus, ideo cum dicimus cum affluxu materiæ intelligimus unius humoris, quomodo ergo possunt fieri ægritudinum simplicium species plures XII. *uos tamen posuistis* XVI. *species. ecce quomodo ista dubitatio difficultatem præbet, & est quidem ita ardua difficultas, ut non poßit solui nisi per fugam quandã, sicut docebamus etiam cum exponeremus primã* Fen; *et ego quidem soleo eam soluere, sed tamen ita soluo ut mihi met ipsi non satisfaciam, ego uobis eam dicam quomodocunq; sit, sed cur ò* Galene *me in hoc melius non docuisti, qui huius rei author fuisti? sed audiatis solitam meam solutionem huius dubitationis, quoniam sicut dicunt isti moderni dantur humores qui habent unam qualitatem suarũ quæ manifesta est, altera au-*

tem

tem non ita manifesta, neq; curanda ita, ita quod humor ille qui est cōiunctus qualitati facienti excessum habeat unam solum qualitatem quæ agat sensibiliter & manifeste, & ideo cum sint quatuor humores, habebunt etiā quatuor qualitates manifestas singuli singulis, ex quo sequetur, quod fient quatuor excēssus alij per unam qualitatē cum influxu ipsius materiæ. accipiamus ergo pituitam ipsam dulcem, quæ habet manifestam humiditatem, caliditatem autem non ita manifestam, neq; ita est magna caliditas, ut de ea curandum sit, per cuius defluxum iunctum illi qualitati potest fieri intemperies, tamen apparebit quod solum prouenerit ab ipsa humiditate, cum ipsa materia, & consequenter fiet una species ægritudinis, cum tamē hic nihil fecerit manifesti ipsa caliditas, & si sit in pituita talis caliditas, tamen quia humiditas in eo est magna, ideo potest esse quod humiditas cum pituita dulci (sicut dicunt isti) faciat intemperiem humidam cū defluxu materiæ, nam ista pituita dulcis inducet impreßionem in membro similari, cum ipsa humiditate. Sic dicemus etiam de humore melancholiæ, quæ quidem melancholia adueniens uni membro similari faciet intemperiem cum qualitate sicca, quoniam in ea est sensibilis & manifesta, ita quod faciet ægritudinē siccam cum materia defluente, tamen nihil imprimet ipsa frigiditas, cum tamen in melancholia sit frigiditas, sed quia nō agit ita sensibiliter sicut siccitas, quoniam in ea est maior, ideo non facit intemperiem frigidam, sed siccam solum, sicq; dicent isti de ipsa bile,

quoniam

*guis enim de se non est calidus, secundum quod dicebat etiam Aristot. in secundo libro de partibus animalium, credo quod sit cap. secundo uel tertio, imò est frigidus humidus, ita quod iste humor sanguinis inducit frigiditatem, ex qua fit intemperies & ægritudo ipsa consequens frigida, & ita erunt quatuor species ægritudinum ab una qualitate excedente cum ipsa materia. Hæc est solutio difficultatis quàm soleo dare pro Galeno, & Auicenna, ego nondum inueni responsionem, quæ mihi placeret, tamen hæc est melior, & hucusq; nullus sciuit melius respondere, quoniam certe est difficilis, communicaui cum multis tam authoribus, quàm etiam doctoribus adhuc uiuentibus, nullus respondet melius, si uobis placet accipite eam, nullam habeo meliorem, cum inuenero meliorem uobis communicabo, & si quis meliorem habet dicat mihi, sed ut res fiat clarior repetamus adhuc hanc solutionem. Dico quod potest esse ut inueniantur quidam humores habentes unam duarum qualitatum manifestiorem, quæ agens & inducens cum ipso humore intemperiem in membrum ipsum facit ægritudinem, sed sunt quatuor humores, & habent singuli unã qualitatem manifeste agentem, ex quo fit ut sint quatuor species ægritudinum per qualitates * cum ipsa materia; est enim bilis habens multam serositatem, et ideo etiam multam caliditatem, quæ adueniens membro facit intemperiem calidam, quoniam & si siccitatem habeat, illa tamen minime agit, et ita una erit species; secundo est pituita quædam dulcis habens mul-*

tam

tam humiditatem, quæ & si habeat aliqualem calidi- tatem, tamen illa calid tas non agit in intemperiem, sed ipsa humiditas cum humore. tertio est melancho- lia habens siccitatem multam, quæ adueniens mem- bro inducit intemperiem siccam, cum tamen habeat, etiam frigiditatem, quæ quidem non agit manifeste, sed sola siccitas cũ melancholia; sic dicimus quod est sanguis congelatus extra uenas habens frigiditatem propter absentiam spiritus, qui facit frigidam intem- periem. sunt ergo quatuor species ægritudinum sim plicium in complexione ab una qualitate cum mate- riæ defluxu, sed erant prius etiam duodecim species, ergo erunt species 16. sicut dicebat Auic. *species di- co specialissimas, ita quod non possunt esse neq; plu- res neq; pauciores, sed sunt 16. quatuor à qualitate una sine materia, quatuor à quatuor combinationibus sine materia, & octo species postea cum materiæ de- fluxu, & istis qualitatibus uel una, uel pluribus, neq; inuenietis esse plures.* Sed *quia dictum est in princi- pio, nos uideamus quòd ferè sunt innumeri morbi si di scurramus in tertio libro & quarto* Auic. *quomodo ergo erunt solum, 16. species specialissimæ? dico ad hoc quod sunt nisi 16. species ægritudinum simpliciũ in complexione, confirmando illud quod dixit* Auic. (neque sunt plures) *sed quando dicitur quòd sunt innumeri ferè in lib.* Auic. *dico quòd omnes illi reducuntur in istas species 16. unde pro huius rei in- telligentia notetis unum quod dicebat* Galenus *in se- cundo* Terapent. *quòd morbi accipiunt nomina diuer sa,*

sa, uel ab accidentibus, uel à caußis, uel à locis in quibus sunt, uel ab aliquo alio extrinseco, cum tamen ijdem sint morbi qui sunt in complexione, & unumquodque illorum poßit, & re uera reducatur sub aliquod istarum specierū: neq; enim nomina debent esse illa quæ faciunt nos uariare in differentijs morborum dandis, idem enim erit morbus, qui tamen duobus nominibus appellabitur, quoniam duobus locis accidit, uel quia diuersa habeat symptomata. Et hoc *incipiendo ab ipso capite, nam in mala complexione fit intemperies quam sequitur ægritudo ipsa, & fit dolor capitis etiam, & ista ægritudo appellatur cephalæa ab istis quoniam uidelicet est subiectiue in ipso capite; cephalæa dicitur ab ipsis etiam Græcis, postea est cephalalgia appellata à duobus, uidelicet à loco & symptomate, primo quidem quia est in ipso capite, secundo quia eam consequitur dolor, dicitur cephalalgia, sic epilepsia quæ est morbus in complexione, & compositione mala compositus, tamen dicitur epilepsia ab ipso symptomate consequente ipsam ægritudinē, quoniam uidelicet membra ipsa contrahuntur & nerui; sic etiam apoplexia nominatur ab effectu, quoniā uidelicet motus aufertur & sensus; sic pleuritis nominatur à loco, uidelicet à membrana succingente costas, inter quam fit ista inflammatio, sic deniq; febris ipsa est ægritudo in complexione, & quædam intemperies calida, imò calida & sicca quæ tamen accipit nomina diuersa, & diuersimode denominatur secundum diuersas materias, in quibus consistit ista intemperies,*

peries, tamen ſemper eſt intemperies calida, & ſicca. nominatur autem ſi accidat ſpiritibus ephemera, ſi humoribus putrida, ſi ſolidis membris hectica dicitur, tamen ut dixi eſt ſemper intemperies calida & ſicca, & eſt inter ſpecies ſimplicium ægritudinum in complexione; ſic dyſenteria ipſa, & lienteria, quæ eſt intemperies ipſius uentriculi, quando uidelicet ipſius ſuperficies leuigatur. ita quod diſcurratis uos modo per omnes ægritudines, & inuenietis omnes ægritudines, quæ poſſunt reduci ſub unum illorum triũ generum, poſtea inuenietis ægritudines quaſcunq; in ipſa complexione quæ eſt primum genus reduci ſub aliquam iſtarum 16. ſpecierum enumeratarum, & diſcurrite per totum tertium, & quartum lib. Auic. *certe nõ inuenietis plures, & exercemini in illis particularibus per uos ipſos, ita quod ſciatis reducere unumquemq; ſub ſuum genus, & tandem ſub ſuã ſpeciem ſpecialiſsimam, quia ſicut non ſunt plures ſpecies in complexione 16. ſic inuenietis non eſſe plures ſpecies in compoſitione quàm illæ, quas poſtea numerabimus, ſic etiam de ſolutione continui inuenietis, & uidebitis in rei ueritate non eſſe plura genera tribus.* V*ideatis modo quòd illi morbi qui tractantur ab* Auic. *non ſunt innumeri, ſed ſunt ſolum ſicut diximus. hæc ſufficiant pro præſenti lectione, & certe credite mihi quod* Auic. *recte fecit in exercendo nos in morbis particularibus, quod Galenus ipſe non fecit. ſed & ſi uideatur iſta lectio breuis & nullius momenti, forte quòd eſt maioris utilitatis quàm ſint*

illæ

illæ plenæ quæstionibus dialecticis; est enim lectio familiaris & utilißima.

LECTIO XIII.

IN *hac materia debetis uobis proponere & cogitare quo tenditis; sumus enim in hac materia ut ueniamus ad inuentionem differentiarum morborũ simplicium omnium, tractamus enim nunc de simplicibus morbis & usq; ad differentias specialißimas, ut postea poßimus uenire ad inuentionem omnium differentiarum morborum compositorum, de quibus post præsentem tractatum agemus, qui est totus progressus in hac tota secunda Fen, & uolumus inuenire differentias usq; immediatas & ultimas, sicut modo nunc fecimus in uno genere simplicium, uidelicet in complexione, ubi ostendimus esse 16. species ægritudinum, neq; pauciores, neq; plures, exercẽdo uos parumper in particularibus, ut sciretis omnes reducere ad illas species ultimas. cum ergo dixerimus de ipsa complexione, quotq; in eo genere sint differentiæ ultimæ, ueniamus modo ad secundum genus, & exponamus Auic. tractantem de ipsa compositione, quot sint eius differentiæ ultimæ, quæ quidem ægritudines dicebantur superius à nobis cum Auic. esse ægritudines instrumentorum, ut sunt instrumenta, quæ quidem instrumenta dicebamus esse composita ex similaribus partibus tanquam ex sua substantia & materiali parte, supra quas quidem partes diximus instrumenta ipsa adiungere aliquid aliud, uidelicet ipsam formam*

per

dens, tamen securis constat ex una tantum parte similari, uidelicet ferro, est enim tota ferrea; & supra hanc partem similarem, quæ est eius substantia, & materia, habet ipsam formam per quam est securis. qua formali ratione remota, etiam ipsum instrumentum securis destruitur, neq; amplius est instrumentũ, sicut dicebat Arist. in secundo de anima, tamen est ex una parte similari ferrea, ergo etiam in naturalibus .i. corpore humano hoc erit, sed ad probationem maioris non possumus respondere, neq; debemus, sicut quidam inepte certe respondent, quod securis non cõstat solum ex una parte similari, uidelicet ferrea, quoniam ultra illud ferreum habet ipsum capulum, constat ergo ex duabus partibus similaribus uidelicet ferro & ligno, est enim ineptissima responsio, quia dimittamus securim, & accipiamus cultellos ferreos omnino, sicut sunt illi qui adducuntur ex Brixia, certum est quod sunt instrumenta, tamen cõstant ex una tantum parte similari, uidelicet ferrea, ideo ualet argumentum, sed dimittamus artificialia, & accipiamus parumper aliquid in ipsis naturalibus, imò in corpore humano: in corpore ergo humano est humor cristallinus qui est nobilissimum instrumentum, quoniam in eo est uisio principaliter facta, certũ est quod est impermistus purissimus, sed qui quidem habet figuram rotundam, & partem illam exteriorem depressam, ergo uidetur quod dentur instrumenta, ex una parte tantum similari constantia, præterea ultra hoc accipiamus alia instrumenta edentia nobilissimã

ribus partibus uel ex una, cum sint multa quæ sunt composita ex una tantum, sicut in instrumentalibus dictum est. sint præterea multa quæ sunt composita ex multis sicut manus ipsa, sed postea hoc habet, uidelicet ut sit compositũ ex pluribus partibus similaribus in quantum est instrumentum animatum, quia necessitas inuenitur in instrumento animato, ut sit ex multis similaribus partibus, quoniam in corpore animato non inuenitur aliquod instrumentum quod sit instrumentum, quod non habeat plures actiones una, nullum enim instrumentum animatum inuenitur, quod habeat solum unam actionem, & quotiescunq; est aliquod in corpore uiuo, quod uiuit est instrumentũ, necessario si est uiuũ oportet quòd nutriatur, modo non potest nutriri, nisi habeat multas operationes. Ad hoc autem quòd faciat multas operationes oportet, quòd sit compositum ex multis partibus similaribus, quia sic etiam simplex non potest agere, & ideo sunt aliqua instrumenta quæ habent unam tantum operationem, illa sunt composita, ex sola tantum parte similari & sua forma, ob id securis & cultelli habent unam tantum partem similarem, uidelicet ferream, quia habent unam solam actionem, uidelicet secandi, supra quam materiam adiungunt suam formam, per quam hæc quidem est securis, ille uerò culter, & habent propriam figuram, habent quantitatem, situm, & numerum debitum, ad hoc quòd posint esse apta ad secandi actionem, sed postea in humano corpore, non eo modo se habet, quia cum unumquodque uiuat,

instrumentum oportet ut habeat plures operationes una, ergo & plures partes similares. Et primo accedamus ad humorem cristallinum, quem dicebamus esse partem, in quo primo principaliterq; species uisibiles lumenq; recipiuntur, tanquam in speculo, & postea fit uisio, cum species acceptæ sunt in illo lucido tersoq; humore, & si enim principaliter uisio fiat ab humore cristallino, tamen non sequitur propter hoc quód humor cristallinus sit ille qui uidet, sed est totũ instrumentum illud quod uidet, quoniam præter humorem illum concurrunt ad uisionem aliæ partes etiam, sicut in anatome oculi uidistis, ob id dico quod humor cristallinus non est ille qui uidet, sed tamen principaliter concurrit ad uisionem, non fieret tamẽ uisio nisi aliæ partes concurrerent, sic dicamus quod sanguificatione facta ab ipsa carne hepatis, quod caro quidem hepatis concurrit tanquam pars principalis ad sanguificandum, non tamen sanguificatio fieret nisi etiam aliæ partes concurrerent, sic dicimus oculum uidere, cum pupilla ipsa principalis pars concurrat ad uisionem, non autem dicimus pupillam esse illã quæ uidet, quoniam etiam aliæ partes concurrunt, cuius rei illud signum est, quia uidemus quód offensa una ex illis partibus uisio fieri non potest, est tamen principalis pars ad uisionem faciens, quia lumen & species uisibiles in eo recipiuntur, sic quod de oculo dico & de hepate, dicamus in omnibus partibus instrumentalibus corporis, sicut in ipsis cruribus dicimus quód uincula sunt illa, quæ principaliter faciunt

ambula-

ambulationem, tamen nō propter hoc dicemus chordas esse illas quæ ambulant, sed crura ipsa sunt, illa quæ ambulant, quoniam ad ambulationem concurrūt etiam aliæ partes, præter chordas, & si illæ sint principaliter concurrentes, & ideo est fallacia compositionis & diuisionis, quia sic quoq; dicimus Socrates, & Plato trahunt nauim, non tamen dicimus Plato trahit nauim, neq; Socrates trahit nauim, sed bene dicimus Plato, & Socrates trahunt nauim & si etiam unus eorum magis trahat quàm alius, tamen tractio est amborum simul, non autem huius, uel huius separatim, sic dicimus omnes partes oculi concurrere ad uisionem ipsam, & totum oculū compositum ex istis partibus uidere, non tamen dicemus illam partem uidere, uel illam, sed omnes simul operantur, tamen operatio non est earum alicuius separatim & si una principaliter agat, tamen non fieri posset operatio talis nisi etiam coadiuuantibus alijs partibus, sicut dicimus exercitum Imperatoris uicisse Lutheranos, & scimus quod Socrates, Plato, Antonius & singulares homines sunt illi qui pugnarunt, tamen dicimus exercitum ipsum totum simul pugnasse & uicisse Lutheranos, sic etiam dictum est de oculo. Quantum autē ad carnem iecinoris dico quòd est quidem pars & ipsa principalis concurrens ad sanguificationem, non tamen est illa quæ sanguificat sola, sed coadiuuantibus alijs partibus existentibus in hepate, quoniā sanguificatio fieri non posset, nisi fieret attractio humoris, qui debet uerti in ipsum sanguinem; sed certū est

quòd non attrahitur ille humor à carne ipsius hepatis, sed attrahitur per uenas quasdam & sunt in ipso hepate, quæ ita paruæ sunt ut ferè sint inuisibiles, & ex illis propter caliditatem resudat ille humor, sunt enim conspirabiles uenæ, postea in ipsa carne uertitur in ipsum sanguinem rubeum, cuiusmodi est substātia ipsius carnis, & unaquæq; partium similariũ ibi existentium conspirat ad sanguificationem, & si ipsa caro hepatis sit illa, quæ principaliter concurrit ad sanguificandum; ideo cum hinc sint multæ operationes, etiam oportet quòd in tali instrumento, uidelicet in hepate sint multæ partes similares, ideo si est aliquod instrumentum, quod habeat unam solam operationem, illud erit simplex ex una parte similari constitutum, sed in corpore animato non inuenitur aliqua operatio instrumentorũ quorumlibet simplex, ob id sequitur quod neq; inuenietur unum instrumentum ex una tantum similari parte constitutum, sed omnia sunt constituta ex pluribus una parte, non quia hoc instrumentum, ut instrumentum requirat, sed quia est animatum. bene uerum est quòd sunt aliqua instrumentalia membra, quæ secundum se tota componuntur & inseruntur similaribus partibus, sicut uenæ ipsæ sunt, in quibus est pars carnosa per totam uenam, ita quod uideri non potest separatim, sed uidetur esse una substantia, & ideo dicitur uena à medicis similaris, & caro illa separari quidem potest, sed in corpore mortuo artificialiter ab anatomicis sicut ipsi sciũt secare, ita quod monstrant substantiam solam ipsius

uenæ

uenæ & carnis, sic etiam dicimus neruos esse compositos ita ex partibus similaribus, ut uideatur esse una substantia, tamen est compositus ex parte medullosa, carnosa, & neruosa, et hæ partes incidi separariq́; possunt artificialiter, ita quòd neruus solus remaneat, unde uidemus etiam istos qui conficiunt & condunt neruos, curant eos optime exiccari ita quòd pars medullosa & carnosa exiccata separatur etiam per se, & remanet nisi solus ipse neruus, & uidemus etiam istos condentes pelles separare ipsam carnem, ne putrescant pelles, & illi curant exiccari ne nerui corrumpantur propter humiditatem ipsius carnis, et tamen atteritur tandē caro & medulla, solusq́; neruus siccus remanet, habet enim in se siccitatem neruus. Alia uero sunt instrumenta quæ componuntur ex partibus similaribus, ita quod illæ partes non sunt ita insertæ, sed solum sunt adhærentes ita ut separari faciliter poßint, uideaturq́; quomodo componuntur manifeste, sicut est manus composita ex neruis, carne, osse, istæ enim partes sunt ita adhærentes, ut facile poßint à se inuicem separari. ut diuidebat compositionem membrorum instrumentalium Galenus in primo lib. de natura humana. sed cū hæc dixerimus, accedamus modo ad rem ipsam, quam tractandam habemus, dicit ergo Auicenna.

De ægritudinibus compositionis.
Cap. III.

COMPOSITIONIS ægritudines sunt quatuor generibus comprehensæ, &c.) *dicit Auic. quòd illæ ægritudines quæ accidunt instrumento sunt quatuor, uidelicet aut quia forma in se uitiatur instrumenti, aut quia magnitudo, aut quia situs, aut quia numerus, sed ut sit clarius uobis omnibus ostendamus ex nostra methodo ista omnia, & quot ægritudines accidunt instrumento & quo modo: dicamusq; quòd instrumentum est compositum, ex materia & forma, est enim corpus; cum ergo instrumentum uitiatur, uel uitiatur quo ad materiam suam, uel quo ad formam, si ergo ratione materiæ uitiatæ uitiatur ipsum instrumentum uitiabitur ratione ipsius magnitudinis.i. quantitatis, quoniam uidelicet quantitas ipsa uel est maior quàm conueniat ipsi instrumento, uel est minor, quantitas enim sequitur immediate ipsam materiam, & illi est adhærens ut uix separari queat, hoc enim audiuistis iam in alijs scholis, oportet præsupponere uos hoc scire, non est enim locus iste docendi uos hanc rem, sed cum læditur ratione formæ.i.quia forma ipsa læditur dico quòd læditur ex ornatu et pulchritudine læsa,cũ ergo ornatus et pulchritudo læduntur, forma ipsa læditur, cõsequenterq; instrumentum; sed unum sciatis quòd ornatus & pulchritudo non consistit in mollitie & albedine carnis.*

sicut

ficut opinantur temere istæ mulierculæ, sed consistũt in debita confirmatione partium, & situ debito, ad hoc ut operationem suam cõmode apteq; edere possint, quoniam pulchritudo & ornatus tendunt ad operationem partium secundum quod dicebat Galenus, cum ergo ipsa figura sit in pulchritudine & ornatu, quæ consistunt in conformatione partium debitoq; situ, læsa pulchritudine & ornatu forma ipsa læditur, & ipsum instrumentum ex parte formæ ipsius læsum esse dicitur, sicq; erunt quatuor differentiæ morborũ in instrumento, uel enim tenet se ex parte materiæ illa ægritudo quæ est in membro instrumentali, uel ex parte formæ, si ex parte materiæ quantitate ipsa læsa, quæ immediate est in ipsa materia læditur instrumentum, sed cum qualitas duplex sit, alia continua, alia uerò discreta, discreta ut numerus, continua ut magnitudo, ideo ex parte materiæ erunt duæ ægritudines, uidelicet numeri & quantitatis.i. magnitudinis, ex parte uero formæ læditur ipsum instrumentũ, cum uidelicet læditur, aut conformatio partium, aut situs earum, ex parte ergo formæ etiam erunt duæ differentiæ ægritudinum, uidelicet in situ & in conformatione siue figura, sicq; erunt solum quatuor species specialissimæ ipsarum ægritudinũ in compositione ex natura rei inuentæ, neq; plures, neq; paucio res, quarum una uitiata instrumentum ipsum læditur, sed hic quando dicimus figuram, intelligimus conformationem ipsam, non autem formam substantialem, ne decipiamini in traductionibus malis istorũ, sed intelligimus

telligimus cōformationem partium, quæ quidem apte dicitur latinæ plasmatio, & bene dicunt illi appellantes plasmationem curantes rei naturam, & si uelint potius barbare loqui, dicit enim Græce Galenus σύμμορφον, non autem εἶδος speciem uel formam substantialem, sed conformationem, quæ quidem conformatio consistit in proprio membro instrumentali debito modo cum figura ipsa, receptacula, meatus, & superficies etiam non sunt deprauata: non autem intelligimus formam substantialem, quæ est in ipsa materia formans illam & dans ei esse in actu, conformatio etiam ista uitiatur cum unum eorum uitiatur, quibus bene se habentibus diximus eam etiam bene se habere, & consequenter ipsum instrumentum esse sanum; uel enim uitiatur ipsa figura, uel ipsi meatus, uel ipsa receptacula, uel ipsa superficies instrumenti, & discurratis uos per totam hanc artem, & non inuenietis esse plures differentias quàm illas quatuor in hoc genere compositionis; bene uerum est quòd sæpe caremus nominibus, ideo plures morbos dicere deberemus, sed tamen iidem sunt morbi, qui accipiunt nomina sua uel à locis, uel à materia, uel ab aliquo alio, neq; tamen uos debetis perturbari propter ipsa nomina, sed rei naturas semper inspicere. prima ergo differentia est cū forma ipsa idest conformatio uitiatur, quæ uitiatur quatuor de causis. primo quia figura ipsius instrumenti deprauatur, neq; debito modo est, ut qñ debet esse recta, fit obtorta, cū debet esse obtorta, est recta, cū debet esse rotunda est quadrata, sic

quomo-

quomodocunq; figura debita uitiatur, tũc forma ipsius instrumenti uitiatur: ad hunc sensum dicimus simitatem nasi esse ægritudinem, quia figura debita uitiata est, sed tamen simitas ipsa non est ægritudo, sed ægritudo illa caret nomine, & nominatur postea nomine symptomatis. habet autem læsionem operationũ ista ægritudo, alio pacto ægritudo non esset, sed potius deformitas quædam, ideo ægritudo ipsa est quia obstruitur ipse nasus, & ipsa obstructio est ægritudo, ad quam sequitur operationum læsio, quoniam isti omnes loquuntur ita ut uix intelligantur, & dicuntur loqui in naribus, sed quia ista ægritudo caret nomine, nominatur nominæ causæ, quæ est ipsa simitas; simitas ergo causa est non autem ægritudo, & est ægritudo in mala figura, quoniam quod debet esse non depressum, fit depressum; sic dicimus etiam in tibijs ipsis, quoniam uidemus aliquos ambiguos in ipso motu, quia uidelicet habent ossa crurum obtorta, quæ deberent esse recta, & ista est ægritudo in figura mala, quoniam impeditur operatio uidelicet ipse motus, & isti uel habent illa ossa obtorta ad partem quam isti moderni appellant siluestrem partẽ, et dicuntur tales homines Lori; si autem à contraria parte fuerint ossa obtorta dicũtur uari, Et ita istæ sunt ægritudines in figura mala, & habent nomina, sed in brachijs ipsis potest etiam fieri ut ossa fiant obtorta, uel ab una parte, uel ab alia, ex qua ægritudine aliquæ operationes impediuntur, sed carent nominibus, uerum etiam de nominibus nobis non debet esse cura, modo

rem

rem ipsam intelligamus. sit enim quomodocunq; uel careant nominibus, uel quód ea habeant, semper erit eadem differentia morbi in mala figura, & habet unam uniuersalem indicationem & curationem, sed aliquando etiam ipsa superficies uitiatur, quando uidelicet superficies asperatur, quæ lenis esse debet, & quæ debet esse aspera læuigatur, ex qua ægritudine sequitur læsio in ipsis operationibus, & dat exemplũ Auicenna in textu quando dicit (Vt os stomachi quod debet esse asperum leuigatur,) *Vos enim scitis ex ipsa anatome quod ipse uentriculus habet superiorem partem asperam multũ & quodammodo dentatam, ut poßit complecti constringereq́; ipsum cibum, modo cum ista pars superior sit lenis, ita ut non poßit ita bene amplecti cibum, ex quo sequitur læsio in operationibus, quia uidelicet concoctio cibi non fit & fit lienteria ipsa & defluxus alui, quoniam cibus incoctus propter lenitatem uentriculi defluit, sic etiam intestina ipsa lenia fiunt in superficie, cum tamen aspera esse deberent & fit fluxus ille alui, sic etiam uidistis uteri partem interiorem esse asperam modo quotiescunq; illa pars leuigatur fit abortus, sic & in gula cum pars quæ debet esse aspera fiat lenis, sic in quibuscunq;, & si tales ægritudines carent nomine, non curetis de nominibus, modo sciatis, quód ipsa superficies aliquando uitiatur, quia quæ debet esse aspera fit lenis, quæ uero debet esse lenis asperatur, & ista ægritudo est in forma ipsa, quoniam quotiescunq; superficies ipsa læditur, conforma-*

tio

tio quoque uitiatur, ſic etiam eo modo dicimus tracheam arteriam uitiari in ſuperficie, quoniam uidelicet aſpera eſſe debet, tamen fiat lenis, ex qua lenitate ſequitur læſio in operationibus, ideſt in prolatione uocis; tertio autem habemus differentias morborum in forma, quando uidelicet receptacula inſtrumentorum læduntur, quæ quidem uitiantur quadrupliciter etiam, nam aliquando receptacula fiunt nimium ampla quàm deberent eſſe, ex quo ſequitur læſio in operationibus, quoniam eſt inutilis tanta magnitudo receptaculorum, ſicut quando cauitas uentriculi eſt magna, ita ut illi homines comedant ſatis, ſequitur enim læſio in operationibus, quoniam primo comedunt nimium quàm oporteat, ex qua comeſtione cibi tanti, ſequitur quòd uentriculus non poteſt concoquere illum cibum, & illa mala concoctio eſt operatio læſa, neq; poſtea bene nutriuntur, & iſti tales habentes magnam cauitatem uentriculi ſunt tanquam boues nũquam ſaturi, ſed ſemper aliquid comedere uolunt; ſecundo aut quia receptacula ſunt paruiora quàm oporteat, ſicut quando cauitas uentriculi eſt nimium parua, & ita eſt parua, ut non poßit capere tantam copiam cibi ipſius, quantum opus erat ad corpus illud nutriendum, & etiam conſtringuntur ſicut ſunt uentriculi ipſius cerebri quãdo minores ſunt quam oporteat, ex quo ſequitur ipſa epilepſia, ſi uidelicet non ſint ex toto obturati, ſed ſint paruiores, minoresq́; quàm debitum ſit, & propterea qui habent paruos illos uentriculos ſunt mali ingenij neq; poſſunt intelligere,

gere, quapropter si hoc fiat ab ortu ipso uel remanent penitus sine aliquo iudicio, uel penitus sani, & ideo caueant illi qui habent caput paruum, quoniam spiritus non possunt pertransire propter paruitatem ipsorum uentriculorum cerebri, & ideo fiunt sine iudicio, & iccirco diximus aliâs magnitudinem capitis meliorem esse, quia illi homines habent magnos uentriculos cerebri, ex quo fit ut poßint pertransire commode, & illi habent iudicium; aut fit uitium in receptaculis, quoniam in eis fit aliqua oppilatio, sicut fit in uentriculis cerebri; cum enim oppilantur ex toto fit apoplexia, cum uero ex parte epilepsia; quarto modo cum receptacula deseruntur & euacuantur ab eo quo pleni esse debent, sicut sunt uentriculi ipsius cordis, cum deseruntur à sanguine propter aliquem timorem, & magnum metum; tertio ægritudines in compositione fiunt propter meatus ipsos deprauatos, sunt autem meatus sicut pori, uenæ, arteriæ, & talia foramina quæ non sunt receptacula, qui quidem meatus uitiantur quadrupliciter, aut enim isti meatus sicut sunt uenæ, exempli gratia coalescunt, sed felicius longeq; commodius dicemus græco uocabulo, quando uidelicet meatus aliquis συμφύει magis enim proprie loqui possunt ipsi Græci in hoc quàm nos, tamen nos possumus interpretari coalescunt, sicut quando ita coalescunt uenæ, ut in eas non poßit recipi quod debet, secundo autem cum illud quod aliquid recipere debet, sicut sunt uenæ, in eo tamen fiat oppilatio aliqua, sicut contingit in uenis

hepatis,

hepatis, & in uueæ foraminibus. per illas enim uenas non potest transire sanguis; tertio quando uidelicet meatus ita arescit, ut partes inter se concidunt ut se contangant, sicut sunt meatus quando macrescunt, uasa enim ipsa propter inanitionem factam sanguinis habent suas partes concidentes inter se, non enim poßunt remanere uacuæ, ideo concidunt suæ partes; quarto autem meatus uitiantur quotiescunq; aposte-ma aliquod fit extrinsecus, ex cuius compreßione ip si meatus obstruuntur, ita quod illud quod per eos permeare debet non potest permeare, sicut exempli gratia sunt ipsæ uenæ, cum aliquod fieret apostema exterius supra ipsas, & illud apostema ita comprimeret illas uenas, ut sanguis permeare non posset, ista est sufficiens diuisio ipsorum morborum contin-gentium in unaquaq; differentia illarum quatuor posi tarum sub illa specie, uidelicet formæ, siue conforma tionis: unum ergo genus sit istud; ueniamus modo ad aliud, sed cum nolitis me amplius legere, sinatis me dicere unum uerbum saltem; admoneo uos, ut studea tis recte diligenterq; Auic. quoniam certe ista litera sequens est partim falsa, partim defectuosa, tamen non credo ego quòd Auic. ipse fuerit, sed fuerunt in-terpretes qui errauerunt peccato manifesto, & non est certe Auic. quoniam est magnus uir in alijs rebus & diuinus, ita quòd non dixisset istam fatuitatem, quam imponunt sibi isti traditores. Sunt traditores certe.

Lectio

LECTIO XIII.

ENVMERABAMVS *in superiori lectione ægritudines quæ contingunt in ipsa compositione.& intelligatis simplices, quoniam sum in hoc tractatu de simplicibus ægritudinibus, sicut supra proposueramus, de eis enim inquirimus; dicebamus autem tria genera esse simplicium ægritudinum, unum expediuimus, aggreßi sumus secundum genus, in quo quidem genere dicebamus esse quatuor species differentiarũ morborum, quoniam sunt uel in forma, siue conformatione, ut recte dicamus, uel in quantitate, uel in situ, uel in ipso numero, diximusq́; formam ipsam habere etiam quatuor differentias, quarum una læsa læditur ipsa partium conformatio, & consequenter ipsum instrumentum, numerauimusq́; eas, uidelicet superficiem, figura, receptacula,& meatus. reliquæ erant modo tres aliæ differentiæ genericæ, uidelicet quæ sunt diuidendæ, uidelicet quantitatem, situm, & numerum, sed quoniam unum dixeramus in superiori lectione, quod uidetur contrarium omne omnino ipsi* Auic. *ideo ut uideatis,quod* Auic. *non contradico audiatis, diximus enim in exordio differentiæ ab ipsa superficie quod aspera arteria debet esse aspera, quotiescunq; autem fit lenis, tunc est ægritudo in superficie, ideo dico iterum quod oportet asperam arteriam esse asperam, ut uidelicet aer ipse impediatur per asperitatem ipsius tracheæ arteriæ, ut ex illo impedimento fieri poßit sonus, ut tandem edatur uox*

ipsa

ipsa propter quam operationem natura fabricauit ipsam arteriam asperam, neq; enim posset fieri impetus aeris nisi esset aspera, neq; edi sonus, ideo cũ sit lenis est ægritudo in superficie, & læditur ipsa operatio, quoniam uox ipsa redditur magna sicut est uox anserum, cuius rei signum est illud, quòd qui habent eam arteriam humidiorem habent etiam uocem magnam, & quia lenis est arteria sicut gruum, anserumq;, & talium animalium, ideo siccitas arteriæ, & asperitas facit ad uocem commodiorem edendam, ideo signum etiam est illa cartilago quæ dicitur epiglotis, quoniam magna est in illis qui arteriam eam habent lenem humidamq;, ideo dicebamus asperitatẽ arteriæ iuuare ad ipsam uocem edendam, tamẽ Auic. hic in textu uidetur dicere contrarium totius huius rei, quando dicit, aut exasperatur quod debet esse lene, sicut trachea arteria quando exasperatur, Ecce oppositum totum, dico quod non est oppositum dicto meo, imò dico quod est uerißimum asperitatem arteriæ facere ad edendam uocem, & raucedinem fieri propter lenitatem ipsius arteriæ, unde est ægritudo in superficie, ratio est quia operatio ipsa læditur, est autem maxima lenitas in laringe facta, & in ipsis cartilaginibus, præcipue ad raucedinem faciendam, & signum huius rei est, quia quotiescunq; catarrhus humidus frigidus descendit ab ipso capite in laringem fit quædam mucedo, quoniam illa materia uiscida humida illinit ipsas cartilagines, & ipsam arteriam, & ideo editur rauca uox: unde Galenus in secundo aph.

L aph.

aph. 48. ubi dicebat Hippo. *branchi & corizæ in ualde senibus non maturantur. branchi enim apud* Græcos *dicuntur* Βράγχοι *raucedines, ubi Galenus in com. dicebat quòd isti branchi non solum in senibus non admittunt concoctionem, sed nec in iuuenibus aliquando, & alij quicunq; morbi frigidiores, illos enim usq; ad ipsam mortem comitantur, cuius rei signum est illud etiam, quoniam qui curant eam raucedinem cum ipsis rectificantibus, puta ipso saccaro candificato, ut uocant isti, & talibus. uidete ergo quomodo ex natura rei, ex authoritate* Galeni, *& ex ipso signo ab experimentis curationũ raucedo ipsa fiat propter humiditatem & consequenter lenitatem ipsius tracheæ arteriæ; sed ut scitis ex ipsa anatome, trachea ista arteria habet multos anulos, & ideo etiam est aspera, sed ut facilius ipse aer posset ingredi in interiore parte fabricauit eam natura ipsa leniorem, non tamen in substantia propria, quia oportet sicut diximus eam esse asperam, sed est quædam membrana eam regens intus per totam suam longitudinem, in qua est quædam unctuositas & humiditas, & hoc natura prouidit quoniam repente expirantur fuliginosi uapores calidi, & sicci, ideo ne ipsa arteria pateretur aliquem dolorem, uel aliquam ægritudinem propterea quia nimium siccaretur, ideo membrana illa facta est unctuosa, non ipsi anuli arteriæ qui sunt de eius substantia, & hoc ne operationes læderentur, & illa unctuositas in hac membrana est quemadmodum pinguedo fabricata fuit in ipsis in-*

testinis

testinis, ne uidelicet eroderentur ab ipsa bile flaua, quæ immittitur ad excitandum ipsa, ut expellat fæces, sic ne illi fumosi uapores eam tracheam læderent, dedit natura unctuositatem non quidem arteriæ, quoniam oportebat eam esse asperam ad edendum sonum præcipue in ipsis cartilaginibus, sed ipsi membranæ quæ eam tegit; sic ergo nec ego falsum dixi, neq; Auic. mihi contradicit in textu, quoniam quando dixit, (vt trachea arteria quando exasperatur cum tamen lenis esse deberet) *non intellexit ipsam arteriam, sed iste diuinißimus uir & eloquentißimus intellexit ipsam membranam tegentem ipsam arteriam quæ debet esse lenis, & habere quandam unctuositatem; quotiescunq; ergo ista membrana, exiccatur & consequenter exasperatur, fit læsio in operationibus propter ægritudinem accidentem in superficie ipsius tracheæ arteriæ, sed ipsa trachea arteria debet esse aspera, & quotiescunq; fit lenis tunc est ægritudo in superficie deprauata, quoniam illud quod debet esse asperum læuigatur; cum uero membrana exasperatur, tunc illud quod debet esse lene exasperatur, sicut optime dixit* Auicenna *in textu. hæc sint satis quantum ad hanc contradictionis apparentis solutionem. & quantum etiam sit ad illas quatuor differentias primæ genericæ differētiæ, uidelicet conformationis. aggrediamur modo secundam differentiam genericam eamq; subdiuidamus, demum duas alias reliquas, ut poßimus in sequenti lectione uenire ad tertium genus diuidendum.* Dicit er

go Auic. (Aegritudinum autem quantitatis duæ sunt species, quia aut sunt ex genere augmenti, &c.) *Cum corpus quantum sit, ideo potest lædi ista quantitas, & ista erit secunda differẽtia generica ægritudinũ in compositione, ipsa quãtitas dupliciter potest deprauari, uel qñ sit maior, uel qñ minor quam oporteat, quando uidelicet pars una corporis, uel totum excrescit ita, ut operationes ipsæ lædantur, uel etiam ita decrescit totum uel una pars, ut fungi actionibus non poßit; quoniam ut sæpius dixi, & ut definitum est superius, non esset ægritudo, & dat exempla utriusq; differentiæ Auic. sed iã expeditum est hoc membrum diuisionis.* Hic modo quidam *ingeniosi uiri dubitationem mouent, quæ certe neq; est prætereunda, quia uidetur quod non poßit esse ægritudo in magnitudine quia dicunt isti:* Accipiatur *una pars ipsius corporis cui addita sit tanta materia ut exereuerit ita, ut non poßit suas operationes edere, illa magnitudo non est ægritudo ex qua proueniat læsio operationum, sed est causa uel accidens ipsi ægritudini, quod probant ita, ex ista magnitudine operationes non læduntur, ergo non est ægritudo per definitionem supra datam ab* Auic. *quòd autem magnitudo sit causa, non autem ægritudo, sic probant, quia sit magnitudo in aliqua parte maior quàm debeat esse, tunc arteriæ ita constringuntur, ita ut non poßint spiritus pertransire, fit tunc refrigeratio carnis & partium illarum, ita ut ægrarum fiat mortificatio, ex qua mortificatione sequitur Gan*

græna

græna; hic magnitudo non est ægritudo, sed est causa ægritudinis, ægritudo uero ipsa est in constrictione illa & mala complexione, uel etiam magnitudo est accidens, non autem ægritudo; exempli gratia, sit aliquis humor præter naturam supra cutim solũ, ita quod non impediat operationes illius membri, tũc magnitudo est solum accidens, non autem ægritudo, ideo non uidemus (dicunt isti) quomodo magnitudo posit esse ægritudo. Sed isti non uident illud quod est uidendum, decipiuntur enim per paralogismũ, quia sumunt unum falsum, sumunt enim quod magnitudo non est illa quæ impedit operationes, bene etiam ego scio quòd si magnitudo non est illa quæ impedit operationes, quòd non est ægritudo; sed oportet quod probent illud quod magnitudo non impediat actiones, sit enim exempli gratia facultas manus motiua, quæ debet mouere duas libras ponderis, tunc magnitudo ipsius manus ita excrescat ut facultas amplius non possit mouere illas duas libras ponderis, tunc ægritudo in manu est, quia operationes eius sunt uitiatæ, sed ista ægritudo est formaliter in ipsa facultate motiua, quia ipsa uitiatur propter nimiam sui subiecti magnitudinem, ita quod ab ea actiones debitæ non possunt prouenire, sed ægritudo est in ipsa magnitudine manus subiectiue tamen, ita quod magnitudo est ægritudo subiectiue, quoniam magnitudo est illa quæ immediate lædit actiones manus, ita quod manus non potest mouere amplius illas duas libras ponderis, ideo materialiter est ægritudo, non formaliter sicut su-

pra dicebamus, quoniã formaliter est in facultate motiua læsa, semp.n. ægritudo est dispositio in primo genere qualitatis, nõ aũt in gñe quãtitatis, quoniam in facultate ipsa est formaliter, sed subiectiue magnitudo ẽ ægritudo nõ causa sicut illi dicebant, impedit.n. immediate actiones ipsas, unde magnitudo potest fieri tãta, ut pars illa in qua est magnitudo, uel ẽt totũ nõ poßit exercere suas operationes, ecce quomodo est ægritudo. Sicut Galenus in primo lib. de differentijs morborũ narrabat de quodam homine qui dicebatur Nicomachus, qui quidem excreuerat tantum in toto corpore ut moueri non posset, & talem ægritudinẽ dicebat Galenum curasse Asclepiadem, ideo non uult quod dicunt isti sicut supra notabamus, morbus est in magnitudine ergo est, in quãtitatis genere, dico quòd & si magnitudo sit ægritudo, tamen est materialiter, sed est in ipsa facultate formaliter modo denominate fit à forma, non autem ab ipsa materia. oportet enim manere etiam in fundamentis philosophiæ, nõ aũt sicut faciunt isti quamprimum se dedunt medicinæ obliuiscuntur philosophiæ, ægritudo ideo semper est dispositio in primo genere qualitatis, & pro hac quæstione uidistis quo modo magnitudo esse potest ægritudo, ita quod sit secunda differentia ægritudinum simplicium in compositione: & hoc pro solutione huius sufficiat. Est modo alia quæstiuncula propter uerba Galeni sibi contradicere apparentia, quæ talis est, an detur ægritudo in magnitudine non solum propter materiam aliquam naturalem, sed etiam propter

pter aliquam materiam præter naturã, ita quod corpus ita fiat magnum in aliqua sui parte, ut illa pars non poßit operari. Sed si diceret quis, ego te non intelligo; iterum repeto, & quæro utrum poßit esse ægritudo non solum propterea quia temperatura talis corporis est, ut ita magnum fit etiam an poßit fieri ut aliqua materia adiungatur alicui parti præter naturam, sicut si fiat apostema aliquod quod quidem impediat (puta) manum ipsam ne poßit moueri; & primo uidetur quòd hoc non sit poßibile, quia est authoritas Galeni, in primo de diffirentijs morborum, quando dicebat quòd rarò contingit ut fiat tanta magnitudo corporis, quòd illud corpus moueri non poßit, nisi cõtingat hoc ab ipso ortu; uidetur enim quòd dicat Galenus ibi non posse esse ægritudinem propter aliquam magnitudinem nisi hoc sit ab ortu, idest nisi temperatura talis corporis fuerit ita ut corpus illud fiat aptum ad excrescendum, sed oppositum huius uidetur dicere postea Galenus in fine illius libri de morborum differentijs, ubi loquitur de apostematibus, dicit enim ibi Galenus, si tumor ipse facit læsionem & impedimentum operationum, tunc est ægritudo, si uero non impediuntur operationes, tunc est accidens, docet enim ibi Galenus cognoscere quando tumores sunt ægritudines, quando, etiam accidentia. si ergo tumor est præter naturam tamen à tumore impediuntur operationes, ergo in magnitudine potest esse ægritudo, quoniam uidelicet materia præter naturam adiuncta est, quod totum est oppositum illius quod di-

cebamus superius: ideo ne in ambiguo maneatis, dico, quòd illi qui sic dubitant debent melius perspicere uerba Galeni omnia, neq; inuenient quæstiones, sed quia uolunt inuenire quæstiones, & intricare se ita faciunt, non enim perlegunt omnia uerba ipsorum doctorum, sed tantum illa quæ possint facere dubium, ideo uos aduertite omnia uerba, & ea bene perpendite, postea siquid dubium facere uidetur dubitate. dico igitur quoniam Galenus ibi loquebatur de magnitudine totius corporis, quando dixit raro contingere quòd fiat tanta magnitudo corporis, ut moueri non possit, & operationes ipsæ lædantur, sicut acciderat Nicomacho, & ideo adiungebat illa uerba bene & sanctissime nisi hoc contingat ab ipso ortu, raro inquit fit ut aliquod corpus ita excrescat in magnitudine ut impediatur in suis operationibus nisi fiat ab ipso ortu, idest nisi habuerit talem temperaturam ab exitu uentris. credo enim quod si tenerent me, sicut tenent capones, ut pinguescerē non possem excrescere magis quàm sum, ratio est quia ab ipso ortu nō sum natus talē temperaturā; imò sunt aliqui, qui ab ortu suo nacti sunt tēperaturā corporis ita ut semper sint graciles, & uolunt comedere deuorareq; tantā copiā alimentorum ut excrescant, tñ potius suffocantur quàm excrescant, quia calor naturalis non est tantus ut possit sustinere tantam concoctionem, neq; membra indigent tanta copia cibi. Sunt postea aliqui, qui ab ipso ortu habuerunt temperaturam aptam ad excrescendum, & sunt sicut boues uasto corpore, ita quod

non possunt suas exercere actiones, & hoc uerificatur quoad totum corpus; quod raro contingit, nisi hoc fiat ab ipso ortu, sed non est uerum quoad partes, idest quòd non contingat ut partes ita excrescāt, ut non poßint exercere suas operationes, nisi hoc cōtingat ab ortu, quia hoc fit post ipsum ortum sæpißime: potest enim esse aliquod apostema in aliqua parte propter quod illa pars læditur in actionibus suis, tamen apostematis materia est præter naturam, non ab ortu, sed post ortum, sed hic statim quæritur de ipsa anasarca, idest ἀνασαρκὴς, quæ quidem contingit toto corpori, tamen post ipsum ortum. credo autem uos scire quid sit anasarca, tamen propter iuniores dico quod anasarca est una species hydropis, qua inflatur totum corpus, illa materia non est naturalis, ut manifestum est, quia non est aliqua pars corporis, neq; pro ipso nutrimento est, sed est quædam pituita in toto corpore incocta, & totum corpus album redditur, dicitur autem alio modo talis ægritudo λευκοφλεγματία, quapropter uos aduertite uerba Galeni quando dicit, rarò contingit tanta magnitudo corporis, ut corpus non poßit moueri, nisi hoc fiat ab ortu, dicit enim raro contingit, qui autem dicit, raro contingit, non tollit omnino poßibilitatem, quapropter non negat, ipse quod non contingat talis magnitudo, puta anasarca, quæ fit post ortum in toto corpore, sed hoc raro contingit, & ideo uidemus etiam istas ægritudines rarißime contingere, & aliquando totum corpus inflatur, aliquando pedes, &

uenter,

uenter, aliquando etiam solum uenter, tamen contingit & ego uidi, fuiq; in curatione eius, tamen non sanaui eam, quia omnes patientes talem moriuntur, neque possunt omnino curari, ob id dico quod in hac materia nihil ambiguum remanet, sed iam credo omnia soluta esse quæ dubium facere uidebantur: primo quod datur ægritudo in ipsa magnitudine; secundo quòd datur magnitudo ipsius corporis totius, ita quòd corpus non potest moueri, sed hoc raro contingere diximus cum ipso Galeno, nisi hoc fiat ab ortu ipso, contingit tamen in anasarca, sed etiam partes ipsæ corporis, aliqui ita excrescunt etiam post ortum, ut impediantur suæ operationes, & est ægritudo puta quãdo esset aliquod apostema in brachio, tunc brachium ipsum non posset moueri essetq; ægritudo illa magnitudo, sed cum accideret aliquis tuberculus in cuti, ita quod operationes brachij non læderentur, tunc non esset ægritudo, sed quoddam accidens. Postquam autem numerauimus duas differentias generis secundi ægritudinum simplicium, uidelicet compositionis, quarum prima fuit conformatio; secunda uero quantitas ipsa, ueniamus modo ad tertiam differentiam eiusdem generis. Dicebamus enim esse quatuor differentias huius generis, dicit ergo Auic. in textu (numeri quoque ægritudines aut sunt ex genere augmenti &c.) *potest esse (inquit) ægritudo in ipsis instrumentis, quoniam uidelicet numerus partium ex quibus compositum est ipsum instrumentum, non est debitus, uitiatur autem numerus partium cum uideli-*

cet

cet partes aliquæ aut excreſcũt ita quod plures ſunt quam opus ſit, uel quia aliquæ partes deficiunt, quæ quidem ad compoſitionem talis inſtrumenti requirun tur, debetis enim præſupponere illud ueriſſimnm di=ctum quod didiciſtis in philoſophia, quód uidelicet na tura ipſa neq; abundat in ſuperfluis, neq; deficit in ne ceſſarijs, nihil enim fruſtra agit, nihil diminutum creat, niſi impediatur ab aliquo, puta à materia; cũ ergo ipſi inſtrumento additur aliqua particulà, uel aliqua diminuatur, tunc læditur in ſuis operationi=bus inſtrumentum, & eſt ægritudo dicta in numero, quoniam numerus partium requiſitarum ad compoſi=tionem talis inſtrumenti eſt deprauatus, ſiue modo per minorationem, ſiue per maiorationem; ſed quia iſta particula quæ additur uel diminuitur poteſt eſſe quid naturale, uel quid non naturale, ideo dicimus quód quomodocunq; ſit, eſt ægritudo in numero, cũ autem eſt ægritudo in numero, ita quod aliqua parti cula naturalis addatur eſt quando illa pars eſt de ſub=ſtantia corporis, & de numero partium eius; ſed ta men eſt uel ſuperflua, uel diminuta: ſuperflua quidẽ ſicut ſextus digitus in manu, qui eſt de numero partiũ corporis, uiuit enim tamen eſt ſuperfluus, & eſt æ=gritudo in eo quoniam læduntur operationes, uideli=cet comprehenſio ipſa quam debet facere manus, ta=men non ita commode poteſt facere, ſic etiam aliqui nerui ſuperabundant in corpore aliquo, uenæ quoq; inueniunt enim iſti anatomici ſicut ipſi teſtantur ali=qui uenas in uno corpore ſuperabundare; ſi uero eſt

iſta

ista particula redundans non naturalis tunc non est pars ipsius corporis, sed est quid extrinsecum additum ipsi corpori. sicut est lapis in uesica, lapis enim est non naturalis pars adiuncta ipsi uesicæ, ex qua sequitur læsio in operationibus mingendi, & est ægritudo in numero, & lapis ipsa est substantia, estq; ægritudo subiectiue, sed formaliter est in ipsa facultate dispositio mala, ratione cuius malæ dispositionis in facultate operationes prouenientes ab ipsa facultate læduntur, in ipso quidem membro consistit subiectiue, sed in facultate ipsa est semper dispositio formaliter, sic in manu ipsa dicimus quod manus est ipsum instrumentum in quo recipitur ægritudo ipsa, sed digitus ipse est numerus additus manui, qui est ipsa ægritudo materialiter, sed uirtus comprehensiua læditur & male disponitur, quæ quidem mala dispositio est ægritudo ipsa formaliter, a tali enim digito causatur læsio operationum ipsarum, est ergo ægritudo in ipso subiecto uidelicet instrumento manus, siue addatur manui digitus, siue minuatur ab ea, & hoc dico propter aliquos ineptos, qui facientes quasdam quæstiones duxerunt homines in tantum stuporem ut nesciant quid dicant, nam sic loquuntur; si defecit digitus pars requisita ad compositionem manus, quomodo ergo est ægritudo in manu, si uidelicet ægritudo ipsa est in digito, tamen digitus deficit, neq; adest, quomodo potest ergo esse ægritudo, & digitum non habet manus? dico enim ad hos homines quòd ægritudo ipsa est in instrumento manus, cuius operationes

læduntur

læduntur, quia non habet numerum debitum. digitus autem est causa immediata cur ipsæ operationes læduntur, et ægritudo ipsa est in manu non in digito ablato, sicut dicimus etiam nauim periclitari gubernatore absente, non enim ægritudo ipsa est in Gubernatore, idest periclitatio, sed est in naui, quia nauis est illa quæ periclitatur, gubernator uero est causa immediata, cur uidelicet ipsa nauis periclitatur, sic propemodum non est ægritudo in digito absente, sed in ipsa manu, cuius operationes læduntur, uidelicet ipsa comprehensio, iste autem digitus uel est naturaliter deficiens, uel non naturaliter; naturaliter quidē cum est diminutus propter aliquam causam intrinsecam, ut in ipsa generatione propter defectum ipsius materiæ, uel propter qualitatem materiæ, digitus enim non creatur a natura quoniam semper de possibilibus facta facit, & melius semper facit quod potest, non naturaliter autem diminuitur iste digitus si incidatur ab aliqua extrinseca causa; quotiescunq; enim pars addita & diminuta est ab aliqua causa intrinseca, tunc est naturalis illa pars, licet quotiescunque ab aliqua causa extrinseca est, tunc est etiam non naturalis, sicut materia in apostematibus, sicut lapis in uesica, sicut digitus incisus. Postquam autem iam diuisimus tertiam genericam differenitam huius genericæ compositionis, ueniamus ad quartam genericam differentiam & ultimam, quæ est situs ipse; unde dicit Auicenna. (Aegritudines uero situs, & cætera.) *Volui autem uenire ad hanc partem,*

partem quoniam certe multum est attendendum. in hac enim parte Auic. habet multa primo superflua, secundo multa diminuta, & multa falsa etiam habet, sed non credo quod Auic. fuerit peccatum, quoniam uidemus nos quod est doctißimus uir in alijs rebus, tamen in hoc non potest eße quòd tam uile, tamq; magnum peccatum commiserit, quoniam primo etiam uidemus nos quòd Auic. transcribit à Galeno totum quod dicit, & imitatur eum, modo nos uidemus quod Gal. non habet ea quæ dicit ipse hic, & ego legi Auic. translatum a lingua Arabica, in quo nõ continentur talia dicta, ob id neq; poßibile est quòd propter librum Gal. Auic. errauerit, sed ipse non errauit transcribens ab ipso Galeno, sed fuerunt isti mali homines interpretantes & transferentes eum qui illa ei iniungunt temere falsoq;, neq; aliter mihi persuadeo certe, quoniam Auic. fuit diuinißimus sequẽs Galenum, & rectißime commodißimeq; transcribẽs ab eo, ita quòd certe est omnibus præferendus qui transcripserunt ab ipso Galeno, est enim primus certe post ipsum Galenum. habetis quidem Græcos illos transcribentes à Galeno, sed certe nihil sunt apud Auic. hic est diuinißimus, habetis Aetium, habetis Paulum Aeginetam, habetis Oribasium, sed non sunt cõparandi Auic. Aetius, Paulusq; sunt pædagogi certe nihil aliud sunt, Oribasius modo melior, est enim uir non contemnendus, licet Auic. melius transcripserit à Galeno, illi enim sciunt furari; sed nesciunt ordinare, & abscondere sicut optime, diuineq; facit Auic.

ita

ita quod non credo Auic. hæc fatua dixisse, sed isti traditores illi iniunxerunt. Gal. enim optime dicit quem legimus propria lingua, sequamur ergo eius diuisionem, dicit ergo Gal. quòd ægritudines in situ fiũt dupliciter, primo quidem quoniam pars à parte separatur, & dat duo exempla de hoc, primo quidem sicut quando fit luxatio, tunc enim os separatur ab alio oße, ita quod unum deserit concauitatem alterius, & suum proprium locum, & dicitur luxatio ista ægritudo, quæ est in prima differentia huius differentiæ genericæ; secundo dat exemplum de intestinis, quando uidelicet ipsa intestina quæ debent esse intra communem eorum membranam, uidelicet peritoneũ dictam, tamen ea disrupta ipsa intestina descendunt per illam rupturam in ipsum scrotum dictum à Latinis, quæ quidem ægritudo dicitur à Latinis ramex, à Græcis κήλη, et est ægritudo in situ, quoniã intestina proprium mutarunt locum, & est in ipsa differẽtia genericæ differentiæ situs, quando uidelicet regiones ipsæ mutantur. prima enim differentia est quando regiones à membris mutantur, ita quod una pars ab una alia separatur mutando regiones suas. Secunda differẽtia est quã pars est nimiũ propinqua, uel longinqua à suo socio, ita ut per illam propinquitatem nimiam uel longinquitatem læsio fit in ipsis operationibus, quoniam membrum non potest solito modo operari exempli gratia, ut res sit manifestior quando quintus digitus est in suo proprio situ, sed tamen alius est nimium ab eo longinquus, ita quod ex illa longinquitate

te læditur operatio manus, quia non comprehendit debito modo, uel quando istæ digitus sit nimium propinquus alii socio, ita quod iterum impediatur operatio comprehensionis; & est ægritudo in secunda differentia situs, sic etiam uidemus aliquos ambulantes sicut ambulant boues laxi sine fortitudine in motu ipso, est enim aliquando laxatio nimia ipsorum ligamẽtorum, ita quod ex illa laxatione causatur talis ambulationis modus, tamen non est mutata regio, sed est mutatus habitus quem inter se habebant, quia sunt nimium inter se laxa & longinqua, non dicam quòd non sit mutatus situs, quia non esset ægritudo facta in situ nisi aliquo modo esset mutatus situs, manent quidem in proprijs locis, sed tamen non habent inter se ita ut deberent se habere ad edendas operationes, sic etiam si nimium constringantur ista ligamenta, tunc fit læsio in operationibus, quia est difficultas in ipso motu ambulationis. Ad hanc differentiam secundam reducitur ægritudo illa qua laborat lingua ipsa, q̃n uidelicet ligamenta ipsa linguæ nimium constringantur, ita q̃ uitiant ipsam linguam, & lingua tunc non potest moueri in omnes differentias, & fit læsio in operationibus, quia tales homines non loquuntur libere expediteq́;, sed impedite, unde uidemus quod isti curant incidenda talia uincula, ut melius loqui possint mouendo linguam ipsam in omnes differentias, ad hãc etiam differentiam reducit Galenus ipsa labia, quãdo uidelicet inciduntur & iterum consolidantur, tamen non possunt continuari, sed faciunt quandam consolidationem

dationem ita quòd coniunguntur sed non possunt moueri ita commodè, itaq; etiam apte ad hanc etiam differentiam reducitur & ita sunt duæ differentiæ solum ipsius situs qui est quarta & ultima differentia generica ipsius compositionis; legatis modo uos Auic. quoniam multa inutilia dicit diminuteq; incedit et falsa pronunciat, sed non est eius error ut dixi, sed traditorum, qui ei falsa iniungunt, dicit enim multas differẽtias inutiles postea quod falsum habet, quoniam dicit (unã differentiã esse situs, sicut quãdo membra tremunt, & mouentur motu inuoluntario) *ita quod uult Auic. quod quando brachium ipsum exempli gratia tremit sit illa ægritudo in situ, quod tamen stare non potest, quia quomodo poßibile est quod tremor sit morbus in situ, non enim mutat aliquem situm, sed tremor membri fit alia de causa, & est alia ægritudo non autem in ipso situ, tremor enim fit secundum quòd dicebat Galenus in quinto de differentijs symptomatum, & in suo illo libro de tremore & iectigatione, quoniam sunt duo motus contrarij facti à uirtute ferente ipsum brachiũ puta ꝗ tremit, & ab ipsò mẽbro quoniam facultas illa mouet ad sursum, sed brachium ipsum mouetur ad deorsum propter suam grauedinem, ex quibus motibus sequitur tremor.* Postquam autem *perturbastis me, ego cras si quid in hoc prætermisi repetam, & uos legatis illud Auic. & uidebitis omnia male se habere in hoc.*

LECTIO XV.

De solutione continui. *Cap. IIII.*

EXPEDITIS *duobus generibus ægritudinũ simplicium, uidelicet in complexione & compositione, reliquum est uidere tertium genus quod superest, quod est solutio continui, quando Auic. dicit* (solutionis uero continuitatis, &c.) *Sed quoniam Auic. est talis in hoc cap. ut sit confusissimus in dando differentias huius generis; potius enim lacerat illas differentias quàm diuidit, & ponit multa quæ hic non erant ponenda, sed potius debebat transmittere nos ad partem illam practicam, in qua tractantur particularia illa quæ ipse hic enumerat, nec dicenda erant ista in parte theorica, ideo autem puto non esse Auic. hoc caput certe, sed potius est immissum ab istis traditoribus, neq; istud caput sentit Auic. quoniã certe est uir doctissimus in alijs, ideo non dixisset ista, nec est farina Auic. credite mihi, ideo ego constitui artificio tradere completam diuisionem huius tertij generis imitando ipsum Galenum, sed tamen colligendo simul ea quæ ipse dixit sparsim & in locis diuersis, & non solum imitari uolo in hoc, sed in omnibus alijs rebus etiam. debemus enim colligare Galenum cum ipso Auic. postea uobis tradere methodo cõpletiua doctrinam ipsarum rerum, & certe deberetis non perlegere illum librum de differentijs morborum*

rum, & de causis morborum symptomatumq́;, sed de heretis memoriæ tradere, alij enim libri sunt perlegendi, sed isti memoriæ mandandi, quoniam in eis consistit ars medica, sed ut aggrediamur rē nostram circa hoc, primo scire debetis quòd oportet primo uidere terminos ipsos eosq́; distinguere, nc in equiuocationibus laboremus, sed distincte procedamus in danda ista diuisione, debetis ergo primo scire quòd unitas alio modo accipitur ab ipsis medicis, alio modo à philosophis et methaphisicis, quoniam philosophi ipsi intelligunt per unitatem quoddam simplex & impermistum purumq́; quod se tenet ex parte formæ, sed medici ipsi uersantes circa humanum corpus, non accipiunt unitatem pro quadā re simplici ex parte formæ sicut philosophi, sed unionem ipsam partium materialium uniuscuiusq; corporis humani, quæ quidem unio partium fit ab ipsa forma, quæ quidem est illa quæ terminat istas partes materiales, quantitas enim ex parte materiæ se tenet, quæ sequitur immediate materiam, quæ quidem quantitas de se est interminata, sicut in alijs scholis audistis, ideo partes quantitatiuæ ex parte materiæ se tenent, licet superueniens ipsa forma terminat talem quantitatem, & partes ipsas quantitatiuas simul unit continuatq́;. unitas enim partium istarum est à forma, quæ est in ipsis partibus materialibus, ista enim forma est in materia, idest corpore quanto, & istud corpus quantum compositum ex multis partibus quantitatiuis unit, ideo quot sunt compositiones corporis huius quanti,

tot erunt ipsæ unitates, sed sunt duæ compositiones corporum istorum in corpore humano; scimus enim primo esse compositionem ipsam ex partibus similari bus, ex quibus componuntur instrumentalia mēbra, quæ quidē similaria prius cōposita fuerunt ex humori bus quatuor, et ex remota materia, uidelicet quatuor elementis, quæ sunt materia uniuersalis omnibus cor poribus mistis. Secunda autem compositio est totius corporis ex ipsis instrumentalibus simul, sicut ratio- nes audiuistis ante & uidistis à Galeno: erunt ergo e- tiam duæ unitates huius corporis: prima erit in ipsis similaribus, ex quibus diximus componi instrumenta lia: secunda uero erit in instrumentalibus ipsis, ex quibus dictum est componi totum, si enim forma est illa quæ unit partes quantitatiuas ubi erunt partes quantitatiuæ, oportebit inuenire formam ipsam uniē tem tales partes, sed in istis ambobus membris sunt partes quantitatiuæ ex quibus componuntur, opor- tet ergo quòd sit forma dans eis unionem, in ambobus erit unitas, ecce ergo quomodo unitas est passio quæ dam communis ex causa intrinseca, quoniam ab ipsa forma procedit ista unitas, ideo cum separatim dixe- rimus de duobus generibus ægritudinum simplicium, uidelicet compositione quæ accidit solum ipsis instru- mentalibus, & complexione quæ solum ipsis simila- ribus primo & per se, ideo reliquum est quod dica- mus de tertio genere communi ambobus, uidelicet tā similaribus quam organicis. istud autem tertium ge- nus est solutio unitatis huius quam diximus proueni-

re

re ab ipsa forma; sed primo circa hoc unum scire debetis ne in ambiguo ambuletis, quòd unio ista in similaribus est alia ab unione in ipsis instrumẽtalibus existente, quoniam continuitas est proprie similarium ipsorum, ita quod continuantur proprie ipsa similaria, modo continua sunt, illa quorum extrema fiunt unum sicut definitum est ab Arist.*in* v.*phys.modo illa non possunt continuari quæ non sunt eiusdem materiæ, & eiusdẽ materiæ, eiusdemq; denominationis in partibus & toto, sed quæ sunt habentia eandẽ naturam, eãdemq; denominationẽ sunt similaria dicta à* Græcis ὁμογένεα, *siue* ὁμωγενῆ *quarũ habent partes idem nomen cũ nomine potius, sed quæ sunt diuersæ materiæ neq; eiusdem generis sed diuersorũ generum, illa bene possunt se contangere, sed non cõtinuari, cũ illa sint cõtinua quorũ ultima fiunt unũ,* v. *phy. declarata definitio est modo illorum ultima, non possunt fieri unum quæ non sint eiusdẽ generis, eiusdemq; naturæ, sed bene ut dixi possunt se contingere modo illa sunt contigua secundum dicta* Arist. *loco citato, quorum, ultima sunt simul, sed tamen non sunt facta unum, sed remanent duo actu, ideo illa quæ sunt generum diuersorum bene possunt contiguari, sed continuari minime, quoniam eorum ultima non possunt fieri unum, sed remanent duo actu demonstrata.* His *ita stantibus medici illi doctiores, & seruantes proprietates rerum uoluerunt cum tractant de isto* v. *genere ægritudinum simplicium, inscribere tractatum de solutione unitatis, quia ista solutio est communis tam*

similaribus, quam dissimilaribus, sed quia unitas est communis etiam ambobus membris, ideo etiam dicunt de solutione unitatis, sed quia continuitas est solum similarium, ideo nolunt inscribendum de solutione continuitatis, & certe rem ipsam aduertere & optime, quoniam unitas est communis ad continuitatē, & contiguitatem, ideo longe commodius inscribimus de solutione unitatis, quam de solutione continuitatis. His *sic recte perspectis ulterius procedamus: sed circa hoc primo sciatis quòd contactus in partibus organicis est duplex, primo quidem est contactus non manifestus sensui, sed ipsi rationi tantum sicut, est contactus in ipso neruo, obscurus enim in neruo est contactus partis carnosæ, cum medullosa & neruosa ita quod sensu ipso percipi non potest, sed tantum secundum rationem, & si debet perspici talis contiguitas opus est magno artificio, tamen possibile est sicut supra dicebamus, & ideo medici artifices sensati appellarunt talia membra similaria, quoniam etiam secundum se tota sunt composita ex suis partibus, alia est contiguitas nō solum manifesta rationi, sed etiam ipsi sensui, ita quod sensu possumus perspicere hanc partem contangere illam & illam; sicut in magno instrumento, exempli gratia, in pede uel in ipsa manu. partes enim unæquæq; ipsius pedis uel manus discernuntur sensu ipso se contangere, quando ergo medici loquuntur de continuitate & contiguitate, loquuntur de continuitate, & contiguitate manifesta sensui non solum rationi ipsi, quoniam ut sæpius dictum est sunt*

artifices

artifices sensati. sed istis stantibus iã patet quòd unio ipsa est sanitas. i. quod quando debita unio est, tunc etiam sanitas ipsa est, secundum unionem loquemur, sed cum ista unio soluitur, tunc fit ægritudo ipsa contrario modo se habens ipsi sanitati, & dicitur solutio unitatis communiter, sed nos hic non loquemur de unione, quoniam præsupponimus dictum fuisse, ubi agebatur de ipsis membris in prima Fen, ubi de hoc tractatum est, ideo solum de solutione continuitatis agemus, quoniam etiam oppositorum eadem est scientia, ideo postquam cognouerimus de solutione unitatis, sciemus etiam per oppositum quando erit unitas ipsa. Incipiamus ergo loqui de hac solutione unitatis. dicimus ergo quòd ista solutio unitatis est communis tam similaribus quàm organicis partibus, sed est duplex secundum quòd dicebat Galenus in primo lib. de differentijs morborum, alia quidem quæ fit tum in instrumentalibus, tum in similaribus simul & semel, ita quod fit duplex ægritudo, uidelicet in solutione unitatis similarium, & in solutione unitatis organicorum membrorum, aut fit separatim in uno istorum per indifferentiam, ita quòd fit in similaribas absque eo quòd fit in instrumentalibus, aut è contrario, quando exempli gratia, fit solutio unitatis nerui ipsius ita quod etiam brachij (puta) soluitur unitas, tunc enim ægritudo est in similari & organico membro, sed cum est solũ solutio unitatis ipsius nerui non existente solutione ipsius brachij, tunc est ægritudo separatim ipsius nerui, non autem insimul & brachij, sicut erat in superiori

casu, quoniam tunc lædebatur brachium etiam in suis operationibus, & neruus, sed cum est solum excoriatio ipsius nerui tunc brachium ipsum non læditur in suis operationibus, sed est solum ægritudo in similari membro, uidelicet in ipso neruo; sed cum totus neruus est abscissus tūc simul læditur ipsum brachiū, sed potest etiam fieri quòd fiat solutio unitatis, absq; hoc quòd fiat in similaribus, sed solum in ipsis instrumentalibus, puta quando est solutio unitatis, in iunctura ipsa sine aliqua intemperie similarium partium, saltē in aliquo tempore, uidelicet per paruum tempus in principio, quoniam potest fieri, post talem solutionem aliqua intemperies, & aliquis dolor, ideo diximus in aliquo tempore, puta in principio, tunc enim est ægritudo in ipsis instrumentalibus absq; hoc quod sit in ipsis similaribus. Videte ergo quo modo est duplex communitas ipsius unitatis, alia enim est communitas, quando uidelicet unitas utrorumq; membrorū soluitur, aut quādo unitas utriusq; soluitur per indifferentiam ita quòd sit in uno eorum absq; eo quòd sit in altero sicut diximus. sed his iam sic declaratis ueniamus modo ad rem nostram, uidelicet ad diuisionem huius tertij generis ægritudinum simplicium per suas differentias, dico ergo quòd ista solutio unitatis uel est in similaribus membris, uel in instrumentalibus: si ista solutio unitatis est in ipso instrūmento tunc fœlicissime dicitur ab ipsis Græcis à quibus proprijssime omnia proferuntur ἀπόσπασμα, latine possumus dicere separationes, diuulsiones, auulsiones. quotiescunque

cunque enim ista solutio unitatis, fit in ipso instrumento dicitur ἀπόσπασμα generali nomine, neq; habet nomen latinum propriũ, sed utamur nomine Graeco. Fœlicißime enim Antiqui etiam ipsi medici perseuerauerunt in isto nomine Graeco, ita quòd omnem solutionem continui generaliter communiterq; uocarunt ἀπόσπασμα, sed postea indita sunt nomina diuersa, secundum quod accidit particulari isti membro instrumentali uel illi, uel illi, secundum enim loca in quibus fiunt, habent etiam nomina quae postea omnia doceri debent in particulari medicina .i. in practica, si aliquid dicemus in hac diuisione, dicemus loco exempli non quod ea particularia docere nunc profiteamur ne extra limites nostros progrediamur, ideo gratia exercitationis dicimus quod si ista solutio unitatis existens in instrumẽtis communiter dicta ἀπόσπασμα accidat ipsis iuncturis, tunc secundum proprium nomen dicitur à latinis luxatio, tamen est ἀπόσπασμα quoniam accidit, instrumento à Graecis dicitur luxatio σρέμμα, si uero hoc ἀπόσπασμα accidat ipsis intestinis dicitur à latinis proprie ramex, siue hernia, cum uidelicet ipsa intestina propter membranam dictam περιτόνιον, descendunt in ipsum scrotum, sed tamen ista nomina nihil curetis, modo habeatis rem ipsam, quia quoticscunque ista auulsio, siue ἀπόσπασμα accidit instrumentis tali nomine nuncupatur, siue modo intestinis, siue iuncturis, siue illi, siue illi, satis est quòd semper est auulsio, sed mutat nomina secundum singularia membra, quibus accidit.

Si

Si autem ſolutio unitatis eſt in ipſis ſimilaribus partibus, quam proprie debemus appellare ſolutionem cõtinui, ſicut ſupra diximus, uel ſit ab extrinſeca cauſa, uel ab intrinſeca, uel ſimul per indifferentia, ita quod uel illa, uel illa faciat talem ſolutionem continuitatis; ſi ergo fiat ab extrinſeca cauſa, tunc illud extrinſecum ſoluens hanc continuitatem oportet quod ſit aut acutum, ſicut eſt acumen cultelli & ipſius pugionis, & hæc ſolutio dicitur à latinis proprie punctura ϛιγμη, uel iſtud extrinſecum eſt incidens ſicut eſt acies ipſius enſis, & dicitur talis ſolutio continuitatis inciſio; uel iſta ſolutio fit ab aliqua re extrinſeca obtundente & graui, & dicitur obtuſio proprie. Et iſta ſunt tria genera quædam ſubalterna, imò ſpecies dicimus ſpecialiſſimæ in rei ueritate, neq; plures, neq; pauciores, ſed poſtea mutant nomina ipſa ſecundum ſimilaria membra, quibus quidem accidunt, nam ſi ſit in ipſo oſſe talis ſolutio continui dicitur fractura, ſiue modo ſit ab incidente, ſiue à pungente, ſiue ab obtundente, quæ quidem fractura ipſa poſtea ſumit nomina diuerſa ſecundum loca particularia, ſicut ſi accidat caluitio, uel alij particulari oſſi, & omnino iſtius ſunt octo differentiæ, quæ poſtea debent doceri in particularia tractante medicina, uidelicet in practica; ſed quomodocunq; ſit ſemper erit ſub una illarum trium ſpecierum numeratarum: ſed poſtea nomina accipiunt à membris quibus accidunt, quoniã ſicut diximus, ſi accidat oſſi talis ſolutio dicitur κάταγμα fractura, ſed illa hic non ſunt docenda, ſatis

eſt

est quòd doceamus uniuersalia, quoniam nunc docemus fundamenta artis, sed illa postea debetis addiscere in particularibus, uidelicet ubi tractantur curationes morborum ipsorũ, quomodocunq; sit, tamen semper habemus unam uniuersalem indicationem & curationem solutionis continui, & uel si est ab extrinseco aliquo incisionis, uel puncturæ, uel obtusionis, neq; ista curatio quantum sit ad ipsum morbum uariatur, sed postea si uariatur, uariatur propter locum ipsum in quo est, quoniam aliquando accidit loco magis sensibili quàm alius sit, & secũdũ quod est sensibilior etiam magis timemus, & curationem diligentiorem facimus; sic etiam si est in aliquo membro nobiliori, uel minus nobili, tamẽ quantum sit ad ipsam solutionẽ semper tenemus eandem curam, semperq; eandem si est incisio, uel si est punctura, uel obtusio, si modo ista solutio continuitatis facta in similaribus membris sit à causa intrinseca. sed notetis quòd illa causa intrinseca (sed unum sciatis quod oblitus erã, quòd illæ tres species postea nominatæ habent unum commune nomen, quia unaquæq; earum dicitur uulnus à latinis) cum ergo fit à causa intrinseca, notetis quod illa causa aut corrodens est, uel est extendens ipsa membra similaria, corrodit etiam materia acuta & acris, corrodit enim sicut catarrhus salsus, acutus enim est sicut melancholicus humor, uel biliosus, est enim acris, catarrhus enim salsus descendens à capite corrodit ipsum pulmonem, uel aliquas uenas, & uenæ illæ dissiliunt; sic biliosus humor acris corrodit, facitq; formicas

micas illas, si ergo fiat ab aliquo extrinseco, siue modo fiat ab extendente, siue à corrodente, cum dicitur ulcus, dummodo sit ab aliquo intrinseco, fit autem ab aliquo extendente, cum uidelicet membrum ipsum ita extenditur, ut dissiliat & soluatur ipsa continuitas, & utroq; modo dicitur ulcus: sed ista solutio suscipit diuersa nomina secundum quòd fit extensio, uel secundum longitudinem, uel latitudinem, uel profunditatem quæ omnia ut dixi sunt docenda in practica ipsa, uel modo fit ista solutio continuitatis à causa per indifferentiam uel extrinseca, uel intrinseca, & est sicut ipsa extensio quam iam nominauimus, ista enim potest fieri tam à causa intrinseca, quàm ab extrinseca indifferenter. potest enim non solum fieri illa extensio per causam intrinsecam, sed etiam per extrinsecam, puta per retentionem spiritus & anhelitus, cum aliqua pars similaris rumpitur, retentio enim anhelitus & laxatio est motus uoluntarius, quæ ruptura si fiat in carne, uel in membrana dicitur proprie ruptura, si uero fiat in membris aliquibus fibrosis tunc dicitur σπάσμα cum accidit aliquibus membris filamentosis, & notetis quod dixi σπάσμα, nō autem σπασμόν, quoniam est differentia, & uos potestis decipi in his, sicut ego uidi deceptos fuisse, & uidi quendam prouectum medicum senem, barbæq; canum, qui à me petebat differentiam inter hæc duo, neque sciebat quomodo inter se differrēt, ideo dico quod talis solutio continuitatis in membris filamentosis, sicut chorda dicitur σπάσμα, non σπασμὸς, quoniam

niam inter se multum differunt, spasmus enim est con tractio neruorum ipsorum, & mutant suum sitũ ner= ui, ideo est ægritudo in situ in genere compositionis malæ, sed σπάσμα est species solutionis cõtinui quæ accidit membris, sicut dixi modo filamentosis & fi= brosis sicut ligamentis, chordis, & neruis, & note= tis bene ista nomina, quoniam postea inuenietis apud Gal. & Græcos, & *istos qui transferunt in latinum, & hoc modo distincte procedetis, satis est tenere fun damenta, & ne putetis hanc diuisionem esse contem= nendam, quia curanter solũ nomina, dico uobis quod data est diuisio secundum rem ipsam breuißime quàm fieri potuit, & sufficientißime, & est diuisio in spe= cies etiam specialißimas, sed ut illi qui non scribũt ha beant etiam ipsi fructum ex his lectionibus, nos facie= mus quandam pagellam in qua omnes istas diuisiones simplicium morborum ponemus, quàm sufficientißi= me, & curabimus eam imprimendam in his ferijs no= stris carnis priuij, & uendentur uilißimo prætio, no= mina postea particularia ipsorum morborum addisce tis apud practicos, & hæc pro declaratione & diui= sione omnium morborum simplicium in suas species spe= cialißimas. legatis modo uos istud quartũ caput* Auic. *& uidebitis quantum aberret à scopo, quoniam cer= te non est farina* Auic. *ego nolo eum exponere, quo= niam confusißimus est certe in hac parte* Auicen. *non culpa sua, sed translatorum & debemus facere in le gendo* Auic. *sicut illi qui in pratis ipsis existentes col ligunt flores & dimittunt spinas. In principio* Qua= *dragesimæ*

dragesimæ incipiemus de ægritudinibus compositis.

LECTIO XVI.

ERIT *primo sciendum à uobis ne forte me contumacem esse putetis, quia pollicitus sum me uobis daturum tabulas quasdam, in quibus haberetis differentias omnes morborum simplicium, quos iam enumerauimus in lectionibus nostris, sed quia fui negocijs impeditus non potui perficere eas ut possent imprimi tempore debito. Ne dubitetis, quia quod promisi dabo, etiam fortasse alio modo quo putatis: uidebitis imprimentur. Sed ueniamus modo ad negocium nostrũ. credo uos meminisse secundũ quòd dicebamus in principio huius tractatus intentionem Auic. in hac secunda Fen esse, tractare de tribus illis rebus, uidelicet de causis, de dispositionibus, et symptomatibus, ita quod ista tria sunt subiectum in hac secunda Fen, & circa quæ uersari medicus semper debet, & cum hanc dixissem esse Auic. intentionem, postea Auic. incepit tractatum suum, primoq; de ægritudinibus; secundo de causis; tertio uerò de accidentibus: huius rei rationem, & causam dedimus supra, cum ergo ageret de dispositionibus ipsis incepit diuidere genus ipsum, uidelicet morbum, & aßignare eius differentias, primam autem omnium differentiarum diuisionem dedit cum dixit,* (ægritudinum aliæ simplices, aliæ compositæ,) *postea accepit aliud membrum diuisionis istius generis, dimisitq; reliquum tanquam postea tractandum. dixit ergo quòd ægritudinum simplicium*

plicium sunt plura genera, & inuenit tandem tria genera esse morborum simplicium, uidelicet alios morbos simplices esse in temperatura, alios in compositione, alios in unitatis solutione, dedimus quoq; ultimas differentias talium generum, de eisq; sufficienter tractauimus.

De ægritudinibus compositis. Cap. V.

CVM ergo iam satis pertractauerit de morbis simplicibus tanquam principali membro, nunc modo Auic. uult tractare de morbis compositis, qui componuntur ex simplicibus complicatis atque coniunctis, sed antequam ueniamus ad interpretationem literæ primo quædam præmittamus ad intelligentiam dicendorum, quot uidelicet modis compositio morborum fieri dicatur. Dico ergo quatuor modis fieri compositionem morborum uno quidem modo, quando duo, uel tres morbi ita simul complicantur, quòd ex eis resultat unus quidam tertius morbus qui dicetur morbus compositus, sicut dicimus quatuor ipsa simplicia corpora simul complicari ita quod ex eis resultat unum quoddam tertium, uidelicet mistum; unum dico unitate formæ, ita quòd uidelicet illud mistum habet unã tertiam formam, sic hoc modo dicamus de ipsis morbis. sed dicet quispiam nõ te intelligo; dico ergo quod quotiescunq; sunt plures morbi simplices, qui simul iunguntur, ita quidem ut iungantur per essentiã, quod

resultet

resultet quidam tertius morbus compositus; cũ enim sint simplices morbi, aut calidi, aut frigidi, aut sicci, aut humidi, faciatis modo uos quod duo istorum morborum existentium propter excessum alicuius qualitatis quatuor primarum puta morbus calidus & morbus humidus, qui duo morbi si ita iungantur, ut ex eis resultet unus quidam tertius morbus, dicetur tunc morbus compositus, quoniam hic sunt duo excessus, uidelicet caliditatis, & humiditatis, & exẽpli gratia accipiamus febrim hecticam, quæ est calida & sicca. iste morbus est compositus ex duobus excessibus, tamen una eius est forma & unus dicitur esse morbus, uidelicet febris hectica quoniam ex illis duobus excessibus resultat unus alius tertius excessus, & hoc modo primo dicuntur morbi componi. secundus modus cõpositionis morborũ est quotiescunq; est unus morbus per unam suam formam, tamen propter causam cum causantem, quæ multiplex est, dicitur esse compositus, puta quando duo humores causant unum morbum, exempli gratia accipiamus febrim tertianam notham siue spuriam, quæ quidem in se simplex est, quia simplicem formam habet, sed tamen dicitur morbus compositus propter multiplicitatem causarum uidelicet humorum, nam bilis iuncta ipsi pituitæ excedenti facit tertianam, quam uocamus notham, quæ ob id dicitur spuria, quia tertiana pura prouenit à bile sola, in hac uero humores duo coniunguntur. tertius modus compositionis morborum dicitur secundum denominationem, quotiescunque con-

coniunguntur duo, uel plures morbi etiam realiter distincti, diuersiq; secundum diuersas intentiones, tamen secundum denominationem dicitur morbus talis compositus, cum naturaliter sint multi distincti morbi; exempli gratia accipiamus apostema; dico quòd apostema est morbus compositus hoc modo, uidelicet secundum denominationē, in eo enim sunt plures morbi realiter distincti diuersiq; inter se, tamen secūdum denominationem dicitur apostema, hic enim sunt tria genera morborum simplicium, est enim hic morbus in complexione, quia non fieret apostema aliquo modo, nisi qualitates aliquæ excedentes cum materia affluēte, & facerent morbum in complexione; præterea in apostemate est mala compositio, quoniam quomodo potest fieri ut compositio ipsa non lædat, cum materia ipsa defluat ad membrum, ex quo intumescit illud membrum & acquirit maiorem magnitudinem et indebitam, ita quod ex illa impediuntur operationes eius, præterea meatus ipsi aperiuntur, & ita est ægritudo in meatibus quoq; adhuc hic adest solutio unitatis, quod est genus commune, nam si debet intumescere huiusmodi membrum, oportet partes inter se longinquari, & à se ipsis dissolui, quare in apostemate sunt tria genera morborum simplicium, tamen dicitur unus morbus secundum denominationem, quia appellatur apostema, secundū rem tamen ipsam sunt multi morbi realiter distincti, & communi nomine dicitur inflammatio, apostema. quartus modus componendi morbos est quotiescunq; multi morbi uniuntur

N *unitate*

unitate loci, uidelicet membri, quia sunt in uno & eodem membro simul: exempli gratia, quando oculus patitur simul ophthalmiam, ulcus, & oppilationem, dicitur enim esse unus morbus compositus ratione unitatis membri, in quo sunt isti plures morbi, & iste quartus modus tripliciter adhuc contingere potest, uel quia uidelicet sint plures morbi, qui sibi inuicem subsequuntur in uno & eodem membro diuersis temporibus, puta in duabus febribus tertianis; uel etiam accipiatis duas febres diuersorum generum, se ipsas inuicem subsequentes sicut in hemitriteo in quo est quotidiana febris, cui succedit tertiana, nam cum est augumentum paroxysmi illius incipit paroxysmus huius; secundo autem morbo cum uidelicet per coalternationem componuntur plures morbi, exempli gratia accipiamus duas tertianas, uidelicet tertianam puram & notham seu spuriam, quæ quidem per coalternationem inuadant, nam paroxysmus puræ inuadit tempore suo, deinde paroxysmus spuriæ inuadit etiã tempore suo, ita quod sequitur paroxysmum puræ, ita quod per coalternationem inuadunt, puta quod hodie inuadat paroxysmus puræ, cras autẽ paroxysmus nothæ, post cras iterum paroxysmus puræ, & ita coalternentur paroxysmi harum febrium, hoc enim modo unus compositus morbus dicitur. tertio modo quotiescunq; illi morbi sunt simul in eodem tempore, quemadmodum diximus de morbis illis qui sunt simul in oculo ophthalmia & oppilatio, & dicuntur per communicantiam coniuncti atq; compositi, sicut

ipse

ipse quoq; Auic. declarat in quarta Fen huius primi tractatu secundo cap. 8. Cum ergo dictum sit esse quatuor modos compositionis ipsorum morborum, in primo modo, declarando Gal. fuit copiosißimus, uidelicet modo componendi multos morbos per essentiam in suo illo libro de differentijs morborum. Aui. autē uel cognouerit talem modum uel non cognouerit, ipse prætermisit, non possum enim mentem eius comprehendere in hoc, unum est quod prætermisit eum. secundum modum autem hic Auic. non posuit, neque Galenus in illo suo libro allegato de differentijs morborum, sed uterq; eum posuit alibi, Gal. quidem posuit multis in locis, sed præcipue in illo libro ad Glauconem, Auic. autem posuit hunc modū in prima Fen libri quarti, hic uero nihil dixit de eo, tertium quoq; modum refert Galenus in libro allegato, & Auic. refert eum hic in hoc capite, quod sumus exposituri, & de tali modo ita facit mentionem, quod in hoc capite nihil aliud commemorat, nullum ergo alium modum expectabitis ab Auic. præter istum tertium in hoc capite, de quarto modo habetur copiosius tractatus à Galeno in libro de differentijs morborum. Hic statim aliquis dubitaret, an uidelicet multi illi morbi appellari debeant an unus morbus, & hanc dubitationem ibi mouit quoq; Galenus, & tandem uidetur inclinare ad hoc ut dicatur unus morbus potius quàm plures, tamen subdit quòd quomodocunq; sit non facit nos aberrare à proposito, ita quod non attinet ad rem, modo appelletis unum, siue modo plures, tamen

excitauit ingenia; oportet enim scire ista talia. sed cum sint declarati quatuor modi compositionis morborum, accedamus ita paulatim ad Auic. quoniam eius interpretes sumus nunc, dicamus tamen quòd potissima ueraq́; compositio, est compositio dicta per essentiam; alij autem modi non sunt secundum naturā, sed secundum nostrum conceptum, neq; sunt uere cōpositiones, nos tamen ita imaginamur componi quoque morbos ipsos. Ratio huius est quia compositiones oportet esse in complexionibus, aliter non erunt ueræ compositiones, quoniam in unientibus oportet esse actionem, & paßionem, sed actio & paßio sunt inter quatuor primas qualitates. Quare cum qualitates primæ excedentes faciant morbos quotiescunq; duo morbi uel plures componentur qui proueniāt ab exceßibus qualitatum tunc fit unus tertius morbus cōpositus uere quoniam ex actione et paßione ipsarum qualitatum excedentium fit una tertia forma, & tertius morbus compositus, agendo enim inter se qualitates resultat tertia forma per refractionem earum sicut in mistione quoq; dicunt philosophi, modo in differentijs alijs in morborum diuersorum compositione, non enim est actio & paßio, ideo non potest fieri unus tertius morbus, bene poßunt esse in eodem loco & dici eo modo unus morbus compositus, tamen non est uere compositus unus morbus nisi quotiescunque duo aut plures morbi coniungentur, qui quidem sint in temperatura, quoniam ex actione qualitatum & paßione resultat una tertia forma, per quam constituitur

tuitur tertius morbus, & hoc modo uere fit compositio morborum, alijs autem modis non uere fit, hac ratione Galenus quoq; copiosus fuit in declarãdo pertractandoq; talem modum primum, quem appellamus per essentiam, eo quia est omnibus principalior, & tractans de tali modo dixit esse tot species huius morbi compositi, quot sunt species morborum simplicium in complexione; quemadmodum enim ibi erant morbi quatuor per excessum qualitatum quatuor primarum singularum simpliciumq;, & quatuor per excessum combinationum quatuor illarum qualitatum primarum, quoniam alius est calidus siccus, alius calidus humidus, alius frigidus humidus, alius frigidus siccus, & octo alij adiuncta uidelicet materia ipsa istis superioribus excessibus, ita quoq; dicit Galenus in morbis compositis hoc modo sunt octo species sine materia, et octo alij cum materia, quoniam etiam morbi compositi possunt esse per excessum illos sine materia, & aliquando cum ipsa materia affluente; potest enim fieri morbus compositus ut tertiana ex caliditate solis alterante; sed hic dubitandũ esse uidetur, quæ quidẽ dubitatio non est dissimulanda, imò est ita difficilis quòd solui ea non possit, nisi fugiendo, nam uidetur quòd Galenus ab errore non sit longinquus, nam non uidetur rei naturam in hoc perspexisse, quoniam uidetur quòd tam in simplicibus quàm in compositis utrinque sint solum species octo morborum, quoniã morbi constituuntur in esse per sua intrinseca, non per extrinseca. hoc enim concessum est ab omnibus unũ quodq;

 constitui

constitui in esse proprio per suam rationem formalē intrinsecam. uideamus ergo parumper naturam morbi in quo consistat; morbus iste est in temperatura, siue complexione dicatis, & est mala dispositio semper ipsius facultatis formalis, sed subiectiue est ipsa complexio, quæ quidem complexio fit mala propter excessum quatuor qualitatum primarum: quotiescunq; enim excedit caliditas, uel frigiditas, uel siccitas, uel humiditas uel istæ combinatæ modo poßibili, tunc mala complexio fit ex eorum actione & denominat hoc corpus calidum, hoc frigidum, hoc humidum, hoc siccum, uel calidum siccum &c. siue modo hoc proueniat ex aere alterātē. i. sine affluxu materiæ, siue per affluxum quoq; ipsius materiæ quid refert ad essentiā ipsius morbi? quoniam qualitates sunt illæ quæ faciūt istam complexionem & semper est eadem mala complexio facta à caliditate, & siccitate siue modo affluēte materia, siue non, nam cum febris est, certum est quòd est morbus calidus siccusq;, ergo febris est subiectiue mala complexio, quæ facta est propter excessum caliditatis cum ipsa siccitate, siue modo facta fuerit hæc febris quia steterit ægrotans in aqua calida, siue in aere calido, siue propter humores affluentes calidos & siccos, quid ad febrim? quomodocunq; enim sit semper idem morbus est calidus & siccus. Sed adhuc hic aliquis instabit huic opinioni, & dicet hoc non est uerum, quia uidemus quòd febris ephemera diuersa est à febre putrida, nam alia est forma febris ephemeræ, alia uero ipsius putridæ, sed non nisi propter

pter materiam diuersam, eo quia illa in spiritibus, hæc uero in humoribus; ergo materia ipsa uariat, ergo erunt octo species quoq; distinctæ cum materia ab illis octo sine materia. Sed ad hanc instantiam respondere facile est, nam bene hoc uerum est quòd calor in ephemera febre & putrida, quia in ephemera calor non est mordax sed mitis, quietus, dulcis; in putrida uerò est mordax, immitis, inquietus, acris, & hoc quidem prouenit ratione subiecti in quo fundatur hæc et illa, nam quoniam ephemera fundatur in spiritibus, spiritus uero sunt humidi uaporosi, ideo in ephemera calor est mitis dulcisq́;, sed cum putrida febris sit in humoribus, sed humores sunt solidiores ipsis spiritibus, ideo calor in putrida febre est mordax, & ideo istæ differentiæ sumptæ sunt ratione subiecti non autem ratione causæ tanquam efficientis, ideo semper quanto materia crassior fuerit in quo est febris tanto calor mordacior fit, tamen febris semper est calor et idem morbus, imo accipiamus aliquam febrim hecticam quæ non pendeat ex affluxu materiæ, in hac tamen est calor mordax, & mordax quidem ratione ea quam diximus, uidelicet quia subiectum in quo est febris hectica est solidum, nam febris hectica fit in membris solidis, præterea argumento ipsius met Gal. utamur contra Gal. nam Gal. in suo libro de differentijs morborum ait frigiditatem inducere frigiditatem in membris ita quod commoriantur, sicut & cum frigiditas inducitur per intrinseca, ergo non uariatur forma morborum propter affluxum ipsius materiæ, sed

semper est idem. Morbus factus à qualitatibus, siue modo affluat materia, siue non, sunt enim gradus in eadem specie isti. praeterea quo modo hoc aufugere possumus cum ratio ipsa id indicet, dicit enim ipsemet Galenus in libro de differentijs morborum quòd considerамus quoq; compositiones ipsorum morborum & simplicitates secundum simplicitates compositionesq́; ipsarum indicationum, & secundum indicationes uarias & easdem iudicamus eosdem uariosq́; morbos, sed semper eaedem sunt indicationes morborum, siue eorundem, siue modo sint per affluxum materiae, siue non, nam semper febris indicat de sui curatione, siue modo sit per affluxum materiae, siue non, indicat enim semper de alteratione quoniam calida est, ideo alterandum esse suo contrario uidelicet frigido, & * *est ideo humectandum esse, semper ergo febris indicat de alteratione per contraria, siue modo affluxerit materia, siue non, nam postea materia ipsa indicat de sui euacuatione, ideo potius indicatio causae alia est ab indicatione ipsius morbi, quoniam causae est potius indicatio praeseruatiua, sed morbi est curatiua, ideo semper febris & quicunq; morbus habet unā indicationem alio modo unus esse non poterit à quacunque causa prouenerit. Praeterea accipiatis morbum compositum ex duabus qualitatibus, hic habebimus duplicem indicationem, quoniam duae qualitates, nam in hectica non solum habemus indicationem uidelicet infrigidandi, quoniā calida est, sed & humectandi, quoniam sicca est, ideo cum est una qualitas excedens*

dens habemus quoque unam ſimplicem indicationem, ſed cum duæ ſunt qualitates eſt quoq; duplex indicatio, ſiue modo ſit per affluxus materiæ, ſiue non, nihil attinet ad eſſentiam morbi, quoniam indicatio poſtea ſumpta à cauſa alia eſt ab iſta ſumpta ab ipſo morbo. hæc eſt dubitatio contra ipſum Galenum ualde difficilis, & ita difficilis ut non poßim ego perſpicere quo modò ſolui poßit, poſſum quidem fugiendo intricare ita quod apparebit ſoluta, ut defendamus Galenum ſed quòd in rei ueritate poſtea ſoluta ſit fieri non poſſe mihi perſuadeo. poſſumus enim ita dicere, quòd Galenus conſiderauit morbos illos ratione materiæ, quando uidelicet dependent ab ipſa materia quæ iam affluxit, quoniam ab ea principaliter dependent, ſed quid mihi appareat de hac ſolutione, dicam quod nulla eſt, neq; quomodocunq; ſit mihi placere aut ſatisfacere poteſt. Meliorem tamen nõ habeo neq; eſt excuſatio quæ afferri poßit pro Gal. & ego dicam illud quod dixit Auer. multis in locis cũ arguit contra Galenum & homines defendentes eum.i.medicos; dicit enim ſæpe poſtquam argumentatus eſt contra, prouideant illi de reſponſione, ſic propemodum ego dicam uobis prouideatis de reſponſione. Ego autem non laudo neq; uitupero in hoc Gal. ſatis eſt me excitaſſe ingenia hominum, & admonuiſſe uos de hac difficultate, quoniam omnes poſt Gal. qui huius ſententiæ author fuit ſecuti tanquam * dixerunt omnes eodem modo, cùm non uideant talem difficultatem non ſomniandam quoniam eſt ipſius met Gal. contradictio,

tradictio, ut patuit per argumentum, quod contra se ipsum retorsi, ego expectabo responsionem aliquorum, si habebunt mihi quoq; communicent, sed credo non inuenient; forte quod sum craßioris ingenij, ideo non possum percipere rem, unum tamen credo, quod nunquam mihi satisfaciam in hac re.

LECTIO XVII.

PROPONEBATVR *dubitatio in superioris lectionis calce difficillima contra Gal. de differentijs morborum in temperatura, quoniam ille ponit differentias eorum per affluxum materiæ, cum tamen hoc falsum esse sit demonstratum; nam affluxus ille non est de essentia ipsius morbi, & adduximus rationes ad hoc, inter quas illa est potißima, quia uidelicet natura uniuscuiusq; rei est à causis intrinsecis, non autem extrinsecis; intrinsecis, idest à forma ipsius morbi, ideo natura morbi non debet sumi ab affluxu ipsius materiæ: præterea probabamus id ex ipsa curatione, & indicatione, accipiendo ea quæ ipsemet Gal. docuit, quoniam semper eadem est indicatio morbi, ergo semper idē morbus a quacunq; causa modo fiat. Sed quoniam ista opinio noua est, & neminem huc usq; quē ego uiderim tractasse manifestum est de hac dubitatione, ideo prima fronte patietur plurimas instantias, sed si intelligetis mea fundamenta uobis facillimū erit soluere omnia in contrarium; bene scio (ut dixi) multas instantias fieri posse, sed nullæ erunt. Quoniam ergo posset aliquis primo instare,*

ideo ut sciatis soluere tales instantias, dico quod si quis hoc modo instet distinguendo de affluxu ipsius materiæ, quoniam uel materia quæ affluxit iam fecit impreßionem, ita quod amplius morbus non pendet ab ea, uel materia nondum fecit impreßionem, ita quod affluxit materia, & ab ea essentialiter dependet ipse morbus, ut materia ipsa remota morbus quoq; remoueatur: tunc enim dicitur essentialiter depende ab ipsa materia, sicut uidemus in quibusdam febribus putridis quæ dependent a materia putrida secundum quod dicebat Galenus de synocho in IX. *illo* Therapent. *nam ipse facta phlebotomia, & consequenter per phlebotomiam remota materia morbum quoq; remouit, idest synochum, quapropter distinctione habita dicet iste instans, uera est ista tua opinio de affluxu materiæ, quæ quidem materia iam fecit impreßionem, & ab ea non dependet morbus, sed falsa erit, neq; ualebit de materia a qua dependet morbus, quoniam accipiunt differentiæ morborum ab ea quoq;, sed hæc responsio non satisfacit, quoniam ego dicam quod Galenus in primo lib. de differentijs morborum dicit paßionem differre à morbo, paßionem dico, siue alterationem, quoniam quando fit morbus non est morbus, sed est paßio & alteratio, terminus uero huius alterationis est morbus, quoniam unumquodq; tale est cum suam ultimam formam acceperit, nam sanguis menstruus non est animal, sed bene est aptum fieri animal ita quod cum acceperit ultimam formam, idest animalis, dicetur animal, quapropter*

dicam

*dicam ego uel ista ægritudo est facta uel non, sed fit & pendet à materia affluente, si ergo tu loqueris de morbo qui fit, & pendet iam à materia tunc ego loquor de morbo facto qui iam morbus est, iste autē qui fit non est morbus, sed alteratio, si autem loqueris de morbo facto qui non amplius a materia pendet, tūc ego dicam quod cùm nòn dependeat a materia amplius, ideo non sumendæ sunt differentiæ a materia, quoniam materia iam fecit impreßionem, sed sumetur indicatio eadem a morbo, ergo idem morbus. indicatio autem sumpta a causa ipsa & materia alia erit ab indicatione quæ sumitur a morbo facto, semper enim ut diximus morbus, ut morbus habet eandem, unamq; indicationem. hæc pauca ergo uolui dicere, ut circa hanc opinionem paralogismos contingentes soluere poßitis, & cogitare sciatis syllogismos demonstratiuos; ne decipiamini sed inquiratis ueritatē ipsam; uidete ergo quantum sit utilis dialectica medicinæ, cum Galenus ubiq; fieri nihil aliud exclamet quàm de ipsa dialectica, tamen propter dialecticam nesciuit distinctam tradere nobis hanc rem. Quare quantum scietis de dialectica, tantum quoq; scietis de medicina, non dicam solum de medicina theorica, quam nos nunc profitemur, imò magis de practica, quoniam in illa opus est nos uti diuisione si uolumus diuidere ipsos per suas ultimas differentias, ut sciamus curare talem, & talem morbum, secundum eorum naturas, sed diuisio ipsa est maxima pars ipsius dialecticæ, imò qui scit bene diuidere est in * dialecticæ*

cticæ quoniã eũ quoq; qui diuidere scit res ipsas usq; in differentias earum ultimas laudabat, & usque ad cœlum extollebat diuinum hominem eum appellans Plato in Philebo. Sed dicet aliquis, Auerr. ille magnus philosophus uidetur multum uituperare diuisionem, cur ergo ista dicis? o bone Deus creditis uos domini quod ille diuinus uir fuerit tam stupidus ut ista dicere ausus sit, o non est dicendum, sed quid? bene iste magnus philosophus intellexit rem ipsam; nam non uituperauit diuisionem illam lib. uidelicet diuisionem in libros ipsius scientiæ librorum in capita, capita uero in textus, quoniam dicebat hoc prouenire ab imbecillitate nostri ingenij. uidete ergo quàm diuinus fuerit hic homo, quoniam damnat illud quod damnandum est, erat enim perspicacißimi ingenij Auer. Sed non uituperat diuisionem illam de qua nos sumus locuti, neq; propter hoc quando dico ego quòd debeatis addiscere dialecticam, loquor de dialectica istorũ uulgarium, quæ nunc usitatur, qui reputant se eße dialecticos cum sciunt componere unum syllogismũ, aut unam inductionem, aut unum enthimema, neque sciunt quid sit resolutio, quid diuisio, quid definitio, quidue ipsa demonstratio, sed de hac dubitatione nihil ad huc determino contra ipsum Galenum, sed dubito, & excito animos uestros & aliorum ad solutionem huius dubitationis, non enim adhuc uideo aliquid, quod pro eius solutione mihi satisfaciat; sequitur ergo ut ueniamus iam ad expositionem literæ Auic. dicit ergo (In ægritudinibus autem, &c.) *cum*

cum Auic. iam absoluerit tractatum de morbis simplicibus; nunc modo uult agere de morborum compositorum differentijs, dum autem hoc sit facturus proponit primo modū quo est usurus in tractando de ipsis et qua uia; secundo postea proponit de qua cōpositione morborum, siue de quo modo illorum quatuor dictorum sit dicturus, quasi conscius de illis omnibus quatuor: ecce quo modo iste uir erat maximus, non enim illos modos ignorauit, ideo ne forte putaremus eum tractaturum de illis omnibus proposuit de quo modo est mentionem facturus in hoc capite. postquā ista proposuerit Auic. exequitur suum intentum. Quoad ergo primum attinet, dico quòd Auicenna proponit modum & uiam, qua processurus est in hoc tractatu, cum inquit. (In ægritudinibus autem compositis dictionem proferemus uniuersalem.) *quasi dicat Auic. ego non inueniam differentias morborum particularium, quoniam hoc non est meum negocium, nunc, sed tantum modo uniuersalium. s. non tractabo particulariter sed quadam uia uniuersali, quoniam ego nolo recedere a proposito, neq; ab intento meo, in hoc enim meo primo lib. canonum, siue canonis quomodo uultis appellare, intendo tradere medicinam in uniuersali tam theoricam in duabus primis Fen, quàm practicam in duabus ultimis, sed in alijs libris postea tradam illàm in particulari. Ecce ergo quomodo memor fuit sui propositi in hoc primo lib. quando dixit se secuturum quandam uiam uniuersalem in tractatu de morbis compositis, tunc*

tunc autem dicimus tractare rem in uniuersali, quando uidelicet ita eam tractamus, ut dicamus eius essentiam omnino in se non quatenus contra habito ab ali quo exempli gratia, nos uolumus tractare in uniuersali de albedine, tunc dicemur de ea uniuersaliter tractare, cum uidelicet considerauerimus eius essentiam omnimodam secundum se abstractam ab omni subiecto, non autem secundum quod est in cerusa aut in niue, quoniam illæ differentiæ postea sunt contractæ a subiecto sed consideramus albedinem, ut albedinem; sic Auic, tractat de ægritudinibus compositis uniuersaliter quoniam uidelicet considerat morbos compositos in se & eorum essentiam in se, non autem ut sunt contracti, hæc potest esse una ratio cur Auic. tractare dicatur uniuersaliter de morbis compositis. secundo etiam potest dici quod Auic. dicitur de morbis compositis tractare in uniuersali, eo quoniam illa compositio de qua tractat est de differentijs uniuersalibus composita, & ut rem hanc intelligatis, notate quod compositio morborum aliquando fit morborum particularium, ut quando coniungitur febris phlegmatica cum biliosa, alia autem compositio est quæ fit ex morbis uniuersalibus, idest ex differentijs generi cis ipsius morbi, quæ erant complexionales, alij sunt morbi, alij compositiones malæ, alij unitatis solutionis. quotiescunq; ergo fit compositio una istarum trium differentiarum, ita quòd sit unus morbus in quo inueniantur istæ tres differentiæ, dicetur compositio uniuersalis. de hac compositione Auic. tractauit in

hoc

hoc capite, de illa autem ex morbis particularibus non pertractat nunc, sed remittit uos ad suum lib. quartum, & tertium, in quibus de hac compositione tractat, quapropter agens de tali compositione uniuersalium, & genericarum differentiarum meritò Auic. dixit quod uult in ægritudinibus ipsis compositis dictionem proferre uniuersalem, idest loquemur de tali compositione ex genericis differentijs morborũ, non autem de compositione morborum particularũ. propter has ergo causas aßignatas Auic. tractare dicitur in uniuersali de morbis compositis. Postquam ergo Auic. proposuerit quem modum secuturus est in hoc tractatu, nunc modo sequitur secunda pars huius cap. in qua Auic. diximus proponere de quo morborum compositione sit locuturus tanquam conscius aliorum quoq; modorum, sed ne eum taxemus, & ne expectaremus omnes istos modos, proposuit se dicturum de compositione morborum secundum denominationem quando ait in text. (Dico ergo cũ ægritudines dicimus compositas non quaslibet ægritudines coniunctas intelligi uolumus sed ægritudines, &c.) *Sed hic notetis unum, quod diligenter est notandum à uobis, dicebamus enim quod Auic. hic solum tractat de compositione illa secundum denominationem, & dabamus exemplum de apostemate, sed quoniam huius rei tractatũ prolixum & exquisitum prætermisimus, ideo nunc dicamus declaraturi rem ipsam, quòd cum denominationis unitas semper referat aliquam unitatem rei.*

nomen

nomen enim est positum ut per illud nobis declaretur res cuius rei hoc nomen esse dicitur, cum ergo hic dicamus esse compositionem secundum denominationem, de qua tractat Auic. *oportet denominationem istam factam fuisse ab aliqua unitate ipsius compositi, quoniam unitas denominationis repræsentat unitatem ipsius denominati, quæ ergo unitas est ista in apostematibus quæ apostemata sunt morbi dicti secundũ denominationem quia in eis sunt tres differentiæ genericæ morborum, tamen dicuntur isti morbi omnes simul apostema, hic non est unitas essentiæ, quoniam unitas essentiæ est per actionem & paßionem, sed istæ tres differentiæ genericæ non agunt, neq; patiuntur inter se, ideo ex eis non fit compositio morborum secundum essentiam, sed ista unitas erit unitas illa, quæ est maior omnibus alijs unitatibus compositionis præter unitatem ipsius essentiæ, quam modo diximus: est autem unitas ista secundum locum, quoniam isti plures morbi sunt in uno loco & per communicantiam unius loci sunt unus morbus, quomodo autem sunt in uno loco declaremus, quia uidelicet nõ est aßignari aliqua pars membri apostemati ut utamur nomine istorum quæ non participet istis tribus morbis iunctis, quoniam unaquæq; pars membri patitur malam complexionem, malam compositionem, quinetiam & solutionem unitatis, sed quis dicet quo modo est poßibile hoc ut sint tot morbi simul in uno, eodemq; subiecto, tamen eodem tempore?* Ad hoc di*co quòd non inconuenit, sicut non conuenit quòd mul*

ta accidentia inueniantur in uno eodemq; ſubiecto ſimul, dummodo uidelicet accidentia non ſint contraria, alioquin poſſunt multa accidentia reperiri in uno eodemq; ſubiecto, eodemq; tempore ſimul, ſicut uidemus in eodem pomo eſſe rotunditatem dulcedinem & albedinem, quoniam iſta accidentia non ſunt contraria, ſed tantummodo ſunt diuerſa, ſic propemodum dicamus de iſtis tribus morbis iunctis, quoniam ſunt in eodem ſubiecto uno tempore non enim ſunt ſibi inuicem contrarij: quapropter illi qui dicunt apoſtema unum ab unitate cauſæ propterea quia unus et idem defluxus materiæ facit iſtos tres morbos, non bene dicunt, quoniam una cauſa non eſt ut ſumamus ab ea unitatem morbi, quoniam una eademq; cauſa exiſtens efficiens ſimul, & ſemel poteſt facere morbos multos diuerſos, ſicut heri dicebamus. Dico ergo *quod & ſi iſti aliquid ueri dicant tamen hoc eſt per accidens, quia quod non eſt ſimpliciter eſt per accidens, ideo quia non ſemper eadem cauſa efficit unum morbum, ſed aliquando multos, ob id dicendum eſt quod non ſemper ſumimus unitatem morbi ab unitate cauſæ, ſed ſi hoc factum fuerit, eſt per accidens, neq; eſt uniuerſaliter uerum, quoniam idem catarrhus deſcendens à capite in pectus facit aſthma, deſcendens in uentriculum facit inappetentiam, deſcendens uero in iuncturas facit podagram, tamen non ſunt unus morbus, ſed multi uno exiſtente catarrho, ſic etiam ad unum morbum concurrere poſſunt multæ cauſæ, tamen ſemper unus, idemq; erit morbus ut eryſipe-*
las,

*las, ad hoc enim aliquando concurrunt multi humores, tamen idem semper est unusq́;. Videatis ergo quomodo unitas causæ non est sufficiens ad unitatem ipsius morbi compositionis, quapropter unitas apostematis non erit, eo quia eius causa sit una sed propter unitatem loci, quia uidelicet illi tres morbi sunt in uno eodemq́; subiecto, ubi enim est mala complexio, ibi mala compositio, ubi mala compositio ibi solutio unitatis & è conuerso, ita quod sunt simul complicati in unaquaq; sensibili parte, qui cum sint tres morbi diuersi tamen secundum denominationem est unus morbus qui dicitur apostema, non est autem unitas secundum essentiam, quoniam unitas per essentiã tunc est, cum uidelicet componentia inter se agunt & patiuntur, neq; stant sub eadem forma qua * sed refracta in suis formis faciunt unam quandam tertiam formam aliam ab illis, sicut dicimus quoq; elementa quatuor agendo inter se patiendoq́; refracta tandem suis formis constituere ipsum mistum, quod aliud est ab ipsis elementis; ex illis enim resultat una quædam tertia forma per quam unam formam compositũ siue mistum unum est, ideo oportet ibi esse actionem & paßionem, alioquin non fieret mistio, mistio enim est miscibilium alteratorum unio secundum Arist. primo de Generatione & corruptione in fine, sed alteratio fit per actionem & paßionem: quapropter uidetis quomodo fiat compositio per essentiam. Sed quod talis compositio non sit in apostematibus probat, quoniam hic non est actio, neq; minus paßio, nã*

O 2 neq;

neq; complexio mala agit compositionem, neq; compositio mala in solutionem unitatis, neq; solutio unitatis in alios priores morbos, ergo hic non potest esse mistio, neq; compositio quam uocamus per essentiam compositionem, sed isti tres modi sunt separati, atq; distincti inter se, seruantq; propriam naturam, idest formam, neq; refranguntur, ideo apostema non est unum per essentiam compositionis, sed per unitatem loci in quo simul inueniuntur sicut recte declarauimus superius, & isti tres morbi postea propter talem unitatem denominantur apostema. propterea inquit Auic. *quòd quando dixit se dicturum de compositis morbis, non debemus intelligere eum tractaturum de quacunq; compositione morborum, sed tantummodo de compositione dicta secundum denominationem, idest quando sunt ægritudines, ex quibus omnibus cum coniungẽtur prouenit ex eis res quæ est una ægritudo, & ut hoc melius poßitis intelligere, affert exemplum & inquit.* (Et hæc quidem est sicut apostema, & eminentia in cute est ex genere apostematis,) *Et quoniam in hac compositione inuenitur solum unum genus, siue una species morbi quod dicitur apostema, ideo* Auic. *uult tractare de apostematibus & de eminentijs, quæ sunt idem, differentia tamen inter se secundum magis & minus, quoniam eminentiæ sunt parua apostemata, sicut apostemata sunt eminentiæ magnæ, sed antequam deueniamus ad huius rei tractatum, primo oportet uidere de hoc nomine apostema, ut conueniamus primo in nomi-*

nomine ipso, quoniam aliter sumunt Arabes doctores apostema, aliter Græci, nam Græci dicunt apostema illud, quod nos Latini appellamus abscessum, apostema ergo apud Græcos est abscessus, quid autem sit abscessus uidebitis infra, sed Arabes intelligunt per apostema nũ abscessum, sed illud quod apud nos dicitur tumor præter naturã, à Græcis autem dicitur ὄγκος, apostema autem est nomen generalissimum, quotiescunq; enim aliqua pars humani corporis intumescit præter naturam, dicitur apostema cõmuni nomine, accipit postea uaria nomina secundum uarias res ut secundum uaria subiecta in quibus reperiuntur, secundum uarietatem temporis, dicitur autem tumor in principio, quando uidelicet intumescit pars præter naturam propter defluxum materiæ a magnis uenis in paruas, à paruis in minores, & tandem in minimas, & aperiuntur orificia ipsarum, & materia ipsa imbibitur in poris ipsius membri. quapropter repletis poris intumescit manus, puta quod uis aliud membrum, ad quod peruenit illa materia; intumescit autem ita quod fit magnitudo maior in dimensionibusq; grandescit, & tunc dicitur tumor. accipiatis uos exemplum quadragesimale, quoniam nos sumus nunc in quadragesima, accipiatis dico grana ciceris & imponatis in aqua, tunc illa grana imbibent aquam & propter imbibitam aquam grana fiunt maiora in suis dimensionibus, sic quoq; intumescit manus cum materia quæ defluit ex magnis uenis, i. tumores, idest minimas tandem uenas, & ex mi

nimis in partem ipsam.i. manum, repletis autem poris manus tunc intumescit, cum autem intumuerit manus, isti humores poterunt discuti & dissolui per flatum, ita quòd cessabit tumor aut repercußione, ita q̃ materia illa repercutiatur per applicationem frigidorum quæ sunt repercutientia. tertio potest ista materia exire in spatium illud, quod est inter cutim & ipsum membrum; cum ergo humores isti fuerint in illo spatio emißi dicitur tunc apostema à Græcis, idest ἀπόστημα *à latinis abscessus, qui uolunt seruare latinitatem. Videte ergo quo modo differunt apostema & tumor, quoniam apostema apud Græcos, abscessus apud latinos, exitura apud Arabes idem sunt in rei ueritate, quandò enim materia exit in spatium illud, quod quidem est inter cutim & carnem dicitur exitura apud Arabes, sed tumor præter naturam & apostema apud Arabes idem quoq; significant, cum autem materia deuenerit ad pus seu suppurationem dicitur apud Græcos* ἐμπίημα*, ab Arabibus autem aldubelari, non putetis autem me dicere ista propterea quia uidear dicere nomina Arabum, sed ut poßitis intelligere istos arabes, & modernos nostros qui insequentes Arabes utuntur talibus nominibus Arabum: aldubelati enim idem est quod suppuratio. Sunt ergo in summa repetēdo tres gradus apud Arabes quidem apostema exitura aldubelari, apud Græcos autem* ὄγκος*. i. tumor præter naturam apostema* ἐμπίμα*, apud latinos autem sunt isti tres gradus tumor præter naturam, abscessus, & suppuratio,*

tio, ita quod habetis modo quomodo conueniendũ est in ipsis nominibus ne decipiamini, sed sine æquiuocatione intelligatis rem claram; habetis enim iam quid per apostema intelligi debeat apud ipsum Aui. qui de apostematibus tractat in hoc cap. Quapropter etiã Auic. uolens determinare de suis nominibus ut intelligeretur melius distinguit ob id apostema, & quot significata habeat. ecce ergo quod non immerito nos quoq; distinximus nomina ista prius. Dicit enim Auic. (Sicut apostema & eminentiæ, eminentiæ enim sunt de genere ipsius apostematis, quoniam sunt apostemata parua sicut, sicut apostemata sunt eminentiæ magnæ.) *ecce ergo quod Auic. quando dixit se tractaturum de morbis cõpositis secundum denominationem, idest de apostematibus, quoniam in tali modo compositionis est solum morbus dictum apostema, ut autem sciremus quid per apostema intelligat, an uidelicet solum apostemata, an quoq; pustulas, dixit ob id quod quando dicit apostema intelligit uidelicet apostemata & pustulas, quoniam apostema & pustula siue eminentia differunt solum secundum magnum & paruum, sed & si in hoc uerum dicat Auic. quoniam differunt solum secundũ magnum & paruum, tamen sciatis quod differunt etiam in ipsa materia, nam materia quæ subtilior est & transmissa à membro mandante non potest retineri in partibus interioribus, quoniam subtilis est & pori earum partium sunt magni & lati, ob id materia non potest retineri, sed pertransit usq; ad cutim*

expulsa à partibus internis, unde quia pori cutis sunt strictiores, neq; ita ampli sicut pori partium intrinsecarum, ob id materia non potest pertransire cutim et sunt stricti, quoniam aer continens constipat eos & astringit, & materia ibi collecta facit pustulas, nam collecta materia postea recipit figuram rotundã, sed materia crassa transmissa à membro materia dante non potest ita pertransire poros partium intrinsecarum ideo non peruenit materia ad cutim, sed collecta facit apostema in partibus intrinsecis. Neq; aliquis poterit dicere pustulas, seu eminentias fieri propter paucitatem ipsius materiæ, ratio est quoniam quandoque fiunt in toto corpore, ita quòd ne poni quidem posset acus inter eas, sed proueniũt ratione materiæ subtilioris, præterea etiam fiunt pustulæ propter uirtutem expulsiuam fortem ipsius membri mandantis, quoniam & si crassa esset materia, tamen existẽs uirtus fortis expulsiua mitteret eam ad partes exteriores, si autem fuerint hæc ambo congregata ita quòd uirtus expulsiua fortis fuerit, materia quoq; subtilis tanto magis fient pustulæ propterea quia tanto magis transmittetur materia ad cutim, sed si ista ambo defuerint ita quod uirtus debilis sit præterea materia sit crassa tunc retinetur illa materia ad intra & fit apostema, non autem transmittitur ad cutim ita quod generari poßint pustulæ, quæ quidem pustulæ dicuntur ab Auic. quoq; eminentiæ, ut patet in hoc textu; dicuntur quoq; ab eodem bothor, ut uidebitis infra in hoc quoq; cap. à Græcis autem ἐξανθήματα, cuius

quidem

quidem sunt multæ differentiæ, quæ dicendæ sunt in hac parte, ne ponamus capitulum in capitulo, nunc enim uniuersalia docemus, quando autem ad particularia descenderimus tunc omnes istas differentias cū Auic. *exactißime exquiremus. fuit enim in hoc quoq; diligens* Auic. *ut patet in tertio libro & quarto.* Ecce *ergo quomodo apostemata & pustulæ differunt non solum secundum magnum & paruum, sed etiam secundum materiam ipsam.* (Et in apostemate quidem omnia ægritudinū genera reperiuntur, &c.) *Quoniam autem* Auic. *uult tractare de apostemate tāquam quod apostema sit morbus cōpositus secundum denominationem de qua quidem compositione pertractat in hoc capite, ideo ne putetis quod ista gratis dicat, uult ostendere nunc quæ sit ista compositio in apostemate & quomodo quæcunq; eius unitas, & inquit.* Et in apostemate sunt tria genera morborum quæ supra a nobis enumerata sunt, primo quidem in apostemate est malitia complexionis, est malitia compositionis, est quoque commune genus unitatis uidelicet solutio) *deinde ipse incipit demonstrare quomodo in eo sit mala complexio quando dicit in litera,* (In eo namque reperitur ægritudo malitię complexionis) *Et dat huius rei rationem quando ait* (nullum namque apostema accidit nisi ex cōplexionis malitia cū materia) *idest quando in omni apostemate est materia aliqua defluens, ideo materia illa impreßionem facit in ipsa complexione,*

xione, deinde dicit (quomodo in apostemate reperitur quoque mala compositio quod est secundum genus,) *& inquit*. (Et in ipso quoq; inuenitur malitia cópositionis & formæ) *ratio est ista*. (Nullum enim fit apostema quin cum eo proueniat læsio in figura & in dimensione, &c.) *Cum enim materia ipsa defluat & imbibat ab ipso membro apostemato, oportet ergo quòd intumescat & maius fiat membrum, et cum tumor erit magis quàm par sit ad obeundas suas actiones, tunc impeditur, neq; potest operari ea, quæ innatum est operari, nam læditur eius figura, neque seruatur debito modo. diximus autem ita quòd non poßit exequi operationes suas, eo quia si tumesceret membrum, ita quod tamen illud non læderetur in suis operationibus, non diceretur ægritudo sicut dicebat Galenus in primo de differentijs morborũ cap. 13. si bene memini; de ratione enim ipsius ægritudinis est, ut lædat operationes immediate, & essentialiter, uera est definitio ægritudinis quam supra declarauimus cum Auic. ægritudo est dispositio non naturalis in corpore humano, ex qua in operatione nocumentum essentialiter prouentu primo, operatio enim est quæ describit ipsam ægritudinem & sanitatẽ, quapropter cum apostema sit ægritudo, oportet quòd operationes membri apostemati lædat, alioquin non est ægritudo, sed potius accidens in apostemate; ergo est mala figura membrũ non potest exercere suas operationes, præterea fit læsio in dimensionibus, quo-*

niam

niam dimensiones omnes mutantur, & fiunt maiores propter ipsam materiam additam membro, dimensiones autem sunt tres longitudo, latitudo, profunditas, augetur ergo præter naturam membrum apostematum in profundo, quia si trahatur linea per medium ipsum mēbrum erit longior linea quàm fuerit si tracta esset antequam apostemaret. in longitudine quoque fit longius membrum, quoniam longitudo protrahitur, sed in latitudine modo dico quòd non solum non augetur, sed & minuitur, & si augetur in latitudine diminui illud oportet in longitudine: nam in rebus extrinsecis hæc est regula, ut cum una istarū dimensionum augetur alia diminuatur, sed cum fit augmentatio naturalis membrum augetur in omnibus simul, quoniam fit æqualiter augmentum naturale, & per transmutationes antecedentes, in his autem accidentalibus (ut dixi) si latitudo minuitur longitudo augetur, si longitudo minuitur, illa augetur, ideo cum membrum apostematur fit hoc modo, quoniam nō est augmentum naturale sed per accidens.

Lectio XVIII.

In *calce præcedentis lectionis uidebamus primo intentum Auic. in hoc capite, quod qudem erat loqui de morbis compositis secundum denominationem, et ideo quoniam erant multi modi compositionis secū dum quod postea nos ante declarauimus Auic. proposuit de quo modo dicturus esset, idest de illo qui est secundum denominationem, quæ compositio cum solū*

inueniatur

inueniatur in apostematibus, ideo proposuit se dictu-rum de apostematibus. Cum autem proposuisset ista incæpit postea ostendere quomodo apostema compositus morbus est secundum denominationem, & dicebat quod in eo reperiuntur omnia genera morborum simplicium, mala complexio, mala compositio, & solutio unitatis; cum autem ista denominatio sit referens aliquam unitatem, ideo oportebat inuenire quæ esset ista unitas qua unus morbus dicerentur illi tres: dicebamus autem istam unitatem esse unitatem loci, quæ est talis quoniam non datur aliqua pars sensibilis, in qua non reperiantur simul omnes isti tres morbi, pars sensibilis dico membri apostemati; in unaquaque enim est mala complexio, est mala compositio, est quoque solutio unitatis, sed hæc dicta sunt, neque oportet amplius ea repetere prolixius. Nunc *modo uidendum est cur* Auic. *solum meminerit de hoc modo compositionis secundum denominationem, non autem de alijs quoque modis quos nos numerauimus. Dico ergo quod prætermisit modum primum qui est per essentiam, quoniam uiderat* Gal. *de eo pertractasse satis prolixe; cum autem esset declaraturus de compositione secundum denominationem, & cum in ea non reperiatur solum apostema, ideo meritò uoluit agere de apostematibus, cum ergo morbus compositus per essentiam sit uerius compositus quàm morbus secundum denominationem ut apostema, ideo dicendum est cur hunc morbum tetigit illum uero prætermisit, non enim hoc fecit sine magna causa cogen-*

te,

te, dimisit ergo talem modum primum, quoniam etiã erat contemnendus & dimittendus, non enim quemadmodum physici medici quoque considerant, sed medici dicunt illa esse una quæ habent unam naturam, et putant illa esse simplicia, sicut quoque uocant simplicia ipsas herbas, & talia quæcunque poßident unam naturam simplicem: physici autem putant ea solum simplicia, quæ constant ex materia & forma, ut elementa, alia uero composita quæcunque ex his fiunt elementis; ideo hanc considerationem habentes medici dicunt illum esse morbum simplicem, qui quidem habet unam essentiam, unamq; naturam siue formam, cum autem morbus qui secundum essentiam compositus dicitur habeat unã simplicem formam, namq; ideo medici dicunt illum morbum simplicem non autem cõpositum. quotiescunque autem sunt plura quæ iuncta retinent singula propriam naturam & formam, ita quod conueniunt & faciunt potius quandam unionẽ, quoniam iuxta ponuntur, sed non miscentur tunc medici dicunt talia esse composita non simplicia, ut sunt isti morbi secundum denominationem, in apostemate sunt tria genera morborum simplicium iuncta simul, tamen retinentia omnia propriam formam atque naturam, quoniam tamen iuxta posita sunt dicuntur cõposita, non sunt autem mista quoniã ad mistionem requiritur, ut formæ unientium refrangantur, & remaneat una tertia forma, quæ ex eis resultet, dicebat autem Galenus in lib. de elementis mistionem esse solius dei & naturæ, sed composita possunt quoque

esse

esse ipsius artis: cum ergo morbi secundum essentiam componuntur, tunc dicuntur misceri potius, quoniā habent inter se actionem paßionemq́; ex qua actione & paßione inuicem formæ unientium & miscibilium morborum refranguntur & resultat ibi una tertia forma dißimilis, aliaq́; ab illis formis morborum simplicium, si enim fieret forma quæ non esset dißimilis ab istis non esset mistio, nam mistio est unio alteratorum miscibilium; cum ergo in ista mistione formarū morborum simplicium resultet una quædam tertia forma, ideo unus etiam morbus compositus erit, simplex tamen apud medicos dicetur, quoniam habet unam naturam, siue formam. Quare cum Auic. hic esset medicus non autem philosophus, ob id putauit illum modum esse simplicem nō compositum, ideo eum quoque prætermisit tanquam non ad medicum attineret, tractantem dico de compositis morbis, in compositione autem secundum denominationem, idest in apostemate sunt illa tria genera morborum simplicium, quæ quidem simul iunguntur, tamen non agunt, neq; patiuntur inter se ideo non amittunt suas formas proprias, sed uniuscuiusque forma seruatur perfecta atque completa, conueniunt tamen in ipso loco quoniā ut diximus non inuenitur una pars sensibilis in qua nō reperiantur simul omnes isti morbi tres ideo ex eis non resultat una tertia forma, quoniam carent actione & paßione, sed remanent tres diuersæ formæ, ideo non erit mistio sicut in primo modo, sed potius compositio uera ad quam non requiritur actio et paßio,

ſto, ob id Auic. tractans de compoſitis morbis tractauit de hoc modo tanquam ueriori modo compoſitionis. ſed adhuc aliquis qui curioſus eſt inſtans dicet, cum unus morbus ſit unus per unam formam, imò unumquodque unum eſt per formæ propriæ unitatem, cum ergo hic ſint tres formæ morborum quomodo appellabitur unus morbus? Sed ad hoc reſpõdeatis quod hoc uerum eſt unumquodque unum eſſe per unam formam in ipſo modo compoſitionis per eſſentiam, ibi enim unuſquiſque morbus eſt unus per unam formam, ſed fallit in modo compoſitionis ſecundum denominationem. ad hoc enim quod dicatur aliquis morbus unus ſecundum denominationem non requiritur unitas formæ, ſed tantum unitas ipſius loci quam unitatem repræſentat denominatio, cum denominatio referatur ad denominatum, ſed uideamus modo, cur alios modos compoſitionis dimiſit Auic. prætermiſſo illo ſecundum eſſentiam, quantum ergo ad modum illum de unitate uel pluralitate cauſæ, dico quod Auic. prætermiſit eadem de cauſa, quoniam quotieſcunq; unus morbus habet unam formam dicitur ſimplex morbus apud medicos, ſiue modo ad hunc concurrat pluralitas cauſarum, ſiue unitas cauſæ. quid enim attinet ad hoc ut ſit unus morbus, ut habeat unam cauſam uel plures? modo uidelicet habeat unam formam; ſi autem plures habuerit dicetur compoſitus; nam dicitur ſimplex & compoſitus per ſua intrinſeca, non autẽ extrinſeca; ſed efficiens cauſa eſt extrinſeca, forma uero eſt intrinſeca. quare dico quod ſecundum for-

mæ

mæ unitatem aut pluralitatem iudicamus unum simplicem uel compositum morbum nihil respicientes ad causam efficientem. Quantum autem ad alium modum compositionis dico quòd Galenus quoq; concedit dit nos posse eum appellere simplicem uel compositum quomodocunq; uoluerimus. est autem iste modus quoties sunt multi morbi in diuersis locis & dicuntur unus morbus uel plures, neque enim in hoc uim facit Gal. sed cōcedit eum quoq; qui eos plures appellare uoluerit, à uero non dissentire. ut in oculo quando est ophtalmia, ulcus, & suffusio, quare cum isti modi nō sint uere compositionis sed tantum modo sit unus modus uerus qui dicitur secūdum denominationem, ob id Auic. prætermittens alios tres modos de hoc tantū sumpsit tractationem, circa quam medici uersantur, quamq; dicunt ueram compositionem, sed tandem si quis mihi dixerit quis istorum duorum melius dixit Gal. ne an Auic. huic ego respondebo & dicam quòd uterque bene dixit, alia tamen & alia ratione diuersaq; respicientes, quoniam debetis scire quod Auic. considerat rem ipsam secundum se secundum quod dixi in primis nostris lectionibus huius secundæ Fen. Nam in istis duabus Fen Auic. theoricæ res ipsas considerat, quatenus uidelicet de eis intelligere uidetur accipere scientiam non applicando ad curationem ipsam & ad exteriorem operationem, sed uniuersaliter quatenus talem rem. ob id merito quoque Auic. dimisit modum illum compositionis secundum essentiam, quoniam non est compositio morborum uera secundum

cundum rem ipsam in se, sed quando nos uolumus applicare ad curationem tunc consideramus quoq; hanc compositionem, quoniam quando uolumus nos curare, sumimus duas intentiones, quoniam sumimus primo duas indicationes, ideo cum sunt duæ indicationes morbus est compositus intentio quoq; & curatio non simplex, sunt ergo considerandi à nobis omnes modi compositionis, qui quidem afferunt nobis compositã indicationem, quando uidelicet consideramus applicando ad ipsam curationem & opus externum. id autem præuidens uolensq; seruare Gal. bene fecit, qui considerauit illos omnes quatuor modos, bene etiam fecit Auic. qui tractauit solum de uno modo qui dicitur secundum denominationem prætermittens alios omnes modos; quoniam eius intentio est considerare res in his duabus prioribus Fen secundum suas proprias essentias in se, non autem applicando ad curationem ipsam, sicut ipsemet dicebat in procemio primæ Fen, quam anno elapso exposuimus, sicut scitis. dicebat enim quædam pars medicinæ est quæ dicitur theorica, quam cum acquisiuerimus scientiam tantum acquiremus ita quod in declaratione qualitatis operationis nos non immittemus, habetis ergo quod uterq; bene dixit, sed alia, & alia ratione. cum ergo tractet de apostemate Auic. ipse dixit in eo reperiri malam complexionem, & malam compositionem quando accidit mala figura membri apostemati & mutantur dimensiones & aliquando situs etiam ipsarũ partium. Et tandem dicit quod in eo requiritur quoque

tertium genus ægritudinis, quæ dicitur ſolutio unitatis, quando inquit & inuenitur in ipſo ægritudo communis, quæ eſt continuitatis ſolutio, & ratio eſt quia cum fiat defluxus materiæ in membrum apoſtematũ, & illud fiat tumidum præter naturam, oportet ſi debet intumeſcere quòd ipſæ partes inter ſe diſgregentur, ut materia poßit ſubintrare. Et ita in apoſtemate eſſe tria omnia genera morborum manifeſtum eſt; litera autem patet quando dicit (Nullum enim apoſtema accidit, niſi proculdubio continuitas ſoluatur cum in membro apoſtemato materiæ euacuantur ſuperfluentes, & inter partes penetrant ipſius, & ita partes ipſæ ſeparantur, & orificia uenarum ſoluuntur, vt uidelicet materia poſsit exire in ipſum membrum,) *poſtea inquit* (Apoſtema præterea membris accidit mollibus, &c.) *Hæc eſt tertia pars cap. huius. tria enim facere dicebamus Auic. primo quidem proponere modum & uiam qua erat proceſſurus in hoc cap. ſecundo autem proponere ſuum modum de quo uellet tractare; tertio autem aggredi ſuum intentum. Cum ergo propoſuerit modũ procedendi ibi in ægritudinibus autem, &c. Secundo propoſuerit, declaraueritq; ſuum intentum in hoc cap. dixiſſetq; quomodo compoſitio de qua tractaturus erat reperiebatur in ipſo apoſtemate, nunc modo quod reliquum erat tertium exequitur; aggreditur enim intentum propoſitum; uult enim dare differentias ipſarum apoſtematũ & in quibus fiant, & quam ob-*

obrem fiant, ideſt quibus de cauſis fiunt apoſtemata; & dixit (Apoſtema præterea, &c.) *ideſt apo ſtematum accidens membris mollibus, molle autem illud eſt ſecundum quod dicebat Ariſt. ſecundo de Generatione & corruptione, quod quidem cedit tactui, ſed non recedit; humidum autem eſt illud quod cedit & recedit, ideo optime dicimus, omne molle humidum eſt, ſed non ualebit poſtea conſequentia, ut dicatur omne humidum molle, quoniam præter humidum ipſum molle habet quod non recedit, eſt enim aliquod humidum, fluidum quod non dicetur molle ſicut eſt aqua. durum autem eſt quod non cedit, ſed aliud eſt durum ſiccum, quod omnino non cedit, aliud uero eſt durum coagulatum ſiue concretum; durum ſiccum nullo pacto poteſt extendi, ſed durum aliquod tripliciter poteſt fieri, & hoc* Ariſt. *additur ab ipſo* Gal. *aut enim poteſt fieri durum per arefactionem, ſeu ſiccationem, ſicut ligna arefacta, alia poſſunt fieri dura per concretionem, & congelationem, ut eſt criſtallus, ut eſt glacies, alia autem non per arefactionem, neq; per congelationem, ſed per repletionem ſicut uter quando repletur aqua, uel quando Corium capræ repletur uino, ſeu oleo, uel flatu, uel aliquo tali, fit enim durum illud corium repletum, ſed quid uis dicere propterea?* Ego uolo inferre quod Auic. *dicit apoſtemata fieri in mollibus membris non autem in duris, quoniam mollia extendi poſſunt; ex hoc ergo uidetur inferendum eſſe quod dura non poſſunt apoſtemari.* Dubitari *ergo poteſt, an durum*

*membrum poßit apoſtemari nec ne, & uidetur quòd non poßit apoſtemari eo quia durum & ſiccum non poteſt extendi, ergo non poteſt apoſtemari, quoniã ſi quid debet apoſtemari oportet quod extendatur in dimenſionibus, & maius fiat quam antea, ſed quod extenditur tumidum eſt, nam ratio formalis, qua aliquid eſt extenſibile eſt humiditas ipſa, quare bene dicimus quod omne molle humidum eſt, eo quia omne molle extendi poteſt, ſed durũ modo in propoſito noſtro non poteſt extendi eo quia ſiccum eſt, & conſequenter non eſt humidum, ergo non poteſt apoſtemari ſtante in ſua eſſentia, uidelicet duri & ſicci, ſed uidetur quòd durum concretum, ſiue per congelationem, & eodem modo durum per repletionem poßit extendi eo quia humidum, ergo poſſunt apoſtemari. Ex quo manifeſtũ eſt quòd caro, nerui, chordæ poſſunt apoſtemari, quoniam poſſunt extendi, ſunt enim mollia: modo dictum eſt quod molle apoſtemari poteſt, cedunt enim tactui, nec recedunt propterea; ſed os & cartilago ſunt dura ſiccáq; non humida, ergo non poſſunt extendi, ſi non poſſunt extendi, ergo neq; apoſtemari; ſed hoc falſum eſſe manifeſtum eſt experientia & ſenſu, nam uidemus oſſa apoſtemari, ideo quando dicitur omne quod apoſtematur extenſibile eſt alioquin apoſtemari non poſſet, concedo totũ; ſed quando dicitur os non extenditur ego nego hunc * ratio eſt quia oſſa ſunt dura non ſicca, ſed dura concreta, ſed dura concreta habent in ſe humidũ, ergo poſſunt extendi, ergo & apoſtemari; quòd autem*

tem extendatur manifestum esse uidetur, quoniam uidemus quòd nutritur & augmentatur consequenter, sed omne quod augmentatur & augmentando nutritur extensibile est, maior quidem propositio patet, eo quia quid aliud est quæso augmentum quàm extensio in ipsis qualitatibus? Sed uidetur patere sensui quòd uidelicet os nutriatur & augmentetur, quoniam uidemus in adolescentia minora esse quàm in tempore ultimo ipsius ætatis augmenti, sed statim quis dicet, ego non loquor de oßibus nisi postquam eorũ augmentum completum fuerit, postquam uidelicet animalia pertransierunt ætatem talem augmenti, nam post talem ætatem & si fiat augmentũ in alijs partibus corporis tamen oßium magnitudines stant neque mutantur, & cum animalia impinguantur tunc enim & si sit ætas consistentiæ, tamen caro, musculi & tales partes impinguantur, ossa uero ipsa extendi non possunt, ideo neq; augeri neq; minui, quoniam dura facta sunt, ideo neq; poterunt apostemari; ita ergo aliquis posset instare, ad quod respondendo dico ego quòd et si ossa post etiam ætatem ipsam consistentiæ, cum uidelicet animalia impinguantur non patiantur ita cito augmentum & decrementum, neq; ita manifeste per ipsum nutrimentum, tamen ego dico quòd augentur & decrescunt & hoc probatur sensu ipso, quoniam nos uidemus quòd in tabefactis ossa ipsa sunt macerata propter defectũ nutrimenti, & exiccata ita quòd diminuta satis sunt, imò aliquando diminuuntur, ita ut non appareant eadem animalia quæ prius; quare ui-

demus quoq; in animalibus pinguibus ossa humidiora esse & pinguiora, unde suscipiunt alimentum ossa ipsa, & consequenter augmentum ipsum. Modo *cum probatum sit ossa recipere alimentum, procedamus modo & dicamus si recipiunt alimentum tunc, si quādo accidat quòd non fiat optima concoctio alimenti in ipso membro, cui aßimilari debeat, ut oßibus remanet excrementum, ideo in oßibus remanebit alimenti excrementum, & uirtus debilis est, ita quòd non potest excernere illud excrementū, contingit quòd remanens ibi ossa fiant maiora in suis dimensionibus & intumescant ita quod apostemantur. Præterea quòd ossa poßint extendi, patebit quoq; ex hoc quòd torquentur, tamen absq; hoc quòd frangantur, tamen nō est dicendum quòd ita manifeste extendantur, uel augeantur sicut caro, & talia similia quoniam sunt aliquo modo sicca, non enim omnino carent siccitate, sicut quoq; uidistis in prima* Fen *anno elapso, apostema ergo fit in membris ipsis mollibus, audistis enim quòd molle est illud quod cedens tactui extenditur, quare ratione qua molle accidit ei apostema, quoniā extenditur, postea inquit* Auic. (Et est etiam cum ossibus accidit res, quæ apostemati aßimilatur &c.) *non enim omnino fit apostema, sed res quæ apostemati aßimilatur, quàm pulchre dixit* Auicen. (quoniam non est ita manifesta extensio in ipsis osibus, sicut in alijs membris & partibus corporis sicuț carne, musculis,) *deinde declarat hoc dicens* (per quam eius ingrossatur

conca-

concauitas, & eius augmentatur humiditas) *ita enim stat litera antiqua* (quoniam ingrossatur eius concauitas, idest immutatur concauitas;) *quoniam os ipsum redditur humidius, ex quo fit ut intumescat & consequenter eius concauitas immutetur in ipsis dimensionibus, & hoc aduertens Andreas Alpagi in suo lib. nouo quem traduxit posuit* (per quam eius magnitudo ingrossatur) *siue modo ita stet litera Arabica, siue non, ego id nescio quoniam ignarus sum, tantum dico unum, quòd litera Andreæ noua facilior est, quoniam si stat concauitas ingrossatur, oportet potius traducere atque interpretari quod immutatur.i. minoratur, quoniam si fit maius eo quod intumescit in ipsa substantia, necessarium est quòd concauitas eius fiat minor, quare melius est dicere cum litera noua* (quòd eius magnitudo ingrossatur quia intumescit in suis dimensionibus.) *Iam credo q̃ declarauimus satis hanc partem; cum ergo Auic. declarauerit nobis in quibus membris fiant apostemata, nunc modo uult dicere à quibus caussis fiant, & animaduertite, quoniam est multum obscurus in hoc loco Auic. ideo ut clarior reddatur uolo quòd in summa dicamus suã sententiam quam in his uerbis habet, sentẽtia eius est ista, quando dicit* (Et omne quidem apostema &c.) *Apostemata aut fiunt à causa intrinseca, aut à causa extrinseca, si autem fiũt à causa intrinseca, aut hoc prouenit propter uitium ipsius membri patientis apostema, aut non propter illius uitium, sed propter*

consensum aliorum membrorum, quæ cum sint læsa transmittunt ad illud materiam ipsam, tamen unum sciatis quòd si apostema fit, oportet fieri tumorem à causa præter naturam accedentem, sed illud quod accidit aut est extrinsecum, aut intrinsecum, tunc accipiamus alterum membrum diuisionis & dicamus; si est extrinsecum aut percutitur, ut quando obtunditur & contunditur membrũ ab aliquo graui ita quòd membrum illud postea apostematur, propterea quia sanguis ille putrescit, & prius inflammatur & sic intumescit membrum, aut esse uulnus accedens, aut illud membrum offenditur per medicamina caustica applicata. Accipiatis postea aliud membrum diuisionis & dicatis si à causa intrinseca, uel ista causa est in proprio mẽbro patiente apostema, uel ab alio transmittitur ad illud, patitur autem hoc modo recipiens materiam transmissam quoniam mutatur sua compositio. i. quando nimis dilatatur membrum illud in receptaculis suis uijs & meatibus per quam dilatationem postea præparatur ad recipiendum superfluitates aliorum membrorum uel etiam patitur propter ipsam intemperiem quæ accedit, quoniam uidelicet accedit complexio calida aut frigida, si enim fuerit calida cõplexio tunc præparatur ad attrahendas illas superfluitates, si complexio frigida, tunc hoc potest præparare dupliciter, primo quidem quoniam cũ est mala complexio uidelicet frigida, tunc membrũ non potest concoquere alimentum ad se transmissum, ut nutriatur, ex incoctione autem alimenti potest contingere

gere ſicut contingit de facto quod excrementa multa fiant, quæ excrementa cũ ibi permanſerint tunc meatus ipſi clauderentur propter frigiditatem ipſam, & cum illa excrementa neq; poſſent retrogredi, neque difflari propter ipſam obſtructionem, tunc cũ ibi maior ſit materia, conſequenter oportet ipſum mẽbrum maiorari & intumeſcere, & ſic propter frigiditatẽ duplici de cauſa fit tumor, quoniam propter frigiditatem fit incoctio, & ſecundo quia ipſi pori & meatus obſtruuntur, uel etiam complexio eſt nimis humida uel ſicca, ex quibus complexionibus etiam poſſet conſequi apoſtema, primo quidem per humiditatem relaxantem, & ſic præparetur ad ſuſcipienda excrementa aliorum membrorum, etiam propter ſiccitatem, quoniam pori ipſi dilatantur per partium ſiccationem, & præparatis ipſis cauitatibus præparatur fluxus materiæ ad illud membrum, & ſic propter calidam intemperiem, uel frigidam, uel humidam, uel ſiccam poteſt contingere apoſtema rationibus dictis, ſiue ſit compoſitæ ut uidelicet ſit intemperies calida humida, uel calida & ſicca, & ſic de cæteris, & his modis præparatum membrum ad ſuſcipiendũ excrementa aliorum poteſt apoſtemari, ſi autem hoc proueniat propter membra ipſa tranſmittentia, quotieſcunque illa ſunt repleta, expellunt enim & tranſmittunt materiam illam qua grauabantur per uiam communem, qua uidelicet cõmunicant cum alio membro debiliori etiam ſi illud non ſit debilius, tamen propter eum magnum conſenſum & communicantiam

tranſmittitur

transmittitur ad illud materia ipsa, & aliquando etiam propter laxitatem uiarum ipsarum & affinitatem locorum, quo modo autem membra ipsa uidebimus postea deo concedente, dico ergo quòd transmittentia membra transmittunt materiam illam qua grauantur, ad membrum debilius, & si non est debilius tamen aliquando transmittit non illud, propter uidelicet uiarum communicantiam & præparationem earum ad hoc quod materia poßit transmitti; istæ ergo sunt causæ facientes ipsum apostema, aut enim sunt intrinsecæ, ut repetamus breuiter ea quæ diximus, aut sunt extrinsecæ, si sunt intrinsecæ aut propter ipsum membrum patiens, quod uidelicet in eo materia generetur & colligatur, ex qua postea ipsa apostemata generantur, aut propter alia membra transmittentia, si extrinsecæ sint, tunc aut uulnus aut contusionem, aut propter caliditatem, aut propter frigiditatem aut propter medicamēta applicita, & omne quidem apostema quod causam non habet manifestā & eius causa corporalis monstrat materiam de uno membro ad aliud quod est sub eo fuisse mutatum uocatur catarrhus &c. Videte domini quod hic tetigit Auic. *primum membrum diuisionis factæ quando diximus quod causarum aliæ sunt extrinsecæ, per causam enim manifestam intelligatis uos extrinsecā, quæ uidelicet exterius uenit quæq; sensu percipitur, tunc enim dicitur esse manifesta; quando ergo Auic. dicit* (Et omne quidem apostema quod causam non habet manifestam) *quoniam quod habet,*

causam

causam manifestam, habet causam extrinsecam, quod autem non habet manifestam non habet etiam extrinsecam, postea quando dicit Auic. (Et eius causa corporalis monstrat &c.) *tangit secundum mẽbrũ, quando diximus quòd aliæ sunt intrinsecæ, quod quidem membrum in duas partes diuidebamus, dicebamus enim si apostemata fiant à causa intrinseca dupliciter contingit, aut enim propter ipsum mẽbrum patiens, aut propter transmittens ideo hæc mẽbra tangit cum inquit* (& eius causa corporalis monstrat hoc) *est membrum hoc secundum integrum quod diximus diuidi, ideo tangit secundum membrum huius secundi quando inquit,* (materiam de uno membro ad aliud quod est sub eo fuisse transmissam) *idest quando diximus hoc prouenire à causa intrinseca, intelligimus propter ipsum membrum transmittens nimis repletũ ad ipsum patiens, & per hoc membrum secundum dedit intelligi quoque primũ membrum, quod erat oppositum, uidelicet aut propter ipsum patiens membrum, sed hoc tacuit & per illud intelligi uoluit,* (quando ergo transmittitur ista materia ab uno membro in aliud dicitur catarrhus) *inquit Auic. sed sciatis pro huius rei clara intelligentia quod catarrhus dupliciter accipi solet apud medicos, uno modo proprie, alio modo uero improprie, sed cõmuniter, si sumatur catarrhus communiter & sub suo amplo significatu, tunc dicitur de omni defluxu materiæ, si autem sumatur proprie catarrhus tunc accipitur solum pro illo*

defluxu

defluxu materiæ à capite descendens ad pectus, uel in fauces etiam aliquando secundum Hip. Gal. & Auic. quoq; in prima tertij libri cap. de catarrho & hoc te statur quoq; uersiculus ille istorum modernorum.

Lectio XIX.

In *hoc capite de morbis compositis erat intentio Auic. pertractare de ijs, qui sunt compositi tãtum secundum denominationem, & quoniam in tali modo compositionis reperiebantur apostemata, ideo uoluit de apostematibus agere, neq; enim aliam compositionem hic cognoscit, & tractando de eis dicit, quód uult dare de eis differentias uniuersales, quoniam de particularibus postea non se ingerere uult, nam illas postea cognoscit in 4. lib. & antequã deueniret ad dandas eas differentias, diximus quód prius præmittebat quædam uniuersalia, quæ quoq; uidimus, sed quoniã ergo circa quædam alia negocia quamplurima occupatus eram, non potui ea recte ampleq; declarare, sicut uolebam pro uestra omnium utilitate, ideo ea parumper altius repetens uolo docere clarius.* Videbimus *ergo primo quid sit apostema, quoniam Auic. hic dicit quid sit, dicemus ergo quid sit sua essentia, nam moderni circa hoc faciunt quæstionem magnã de essentia & quiditate apostematis, & dicunt tot nugas quæ postea nullæ erunt, uisis his quæ dicturi sumus: secundo autem uidebimus quomodo apostema generetur, tertio deueniemus ad dandas differentias uniuersales apostematum.* Vt *ergo hoc intelligatis primo*

supponere

supponere debetis id quod diximus in superioribus, et in mente semper habere quod apostema apud Arabes dicitur pro tumore præter naturam, ideo tumor præter naturam & apostema idem sunt, si modo aliquid addatur, uidelicet quia tumores præter naturā non omnes sunt apostemata sunt enim quidam tumores qui quidē non sunt apostemata, tumor ergo præter naturam amplior est in suo significatu, nā tumor in ampliori nomine sumptus, significat omne illud quod est additum corpori, sed tumor iste duplex est; alius est enim naturalis, qui quidem per ipsum augmētum naturale quando uidelicet crescit illud corpus in suis tribus dimensionibus, fit autem istud augmentum formaliter non materialiter, quoniam illud quod augmentatur, augmentatur in sua forma, non in sua materia, nam forma ipsa maior fit illius corporis. & ut intelligatis Aristotelem in primo de Generatione & corruptione tractatu de augmentatione, dicamus declarando hoc, quod nūc diximus, quod si manus, pars uidelicet ipsius corporis animati, augmentetur, tunc eius forma augetur, non autem eius materia, nam forma manus eadem crescit in dimensionibus & extenditur permanens eadem; sed pro forma intelligatis figuram, augmentum uero materialiter non fit, quoniā materia non manet semper eadem, quare neq; manus dicitur augeri eo quia augeatur eius materia, sed eius figura, & augmentum huius manus materialiter est in partibus sensibilibus & in insensibilibus, fit enim appositio minimæ partis ad minimam partem, sed tumor

mor præter naturalis tunc fit, cum uidelicet membrũ illud in quo est talis tumor augetur per materiam ipsam non autem per formam, quoniam non manens eadem forma figuraue augetur, imo potius uariatur figura talis membri & in hoc aduertatis differre tumorem naturalem, & tumorem præter naturam, quoniam tumor est præter naturam cum fit augmentum membri materialiter in omnibus partibus sensibilibus eius crescendoq; in omnes suas dimensiones longum, latum, & profundum, & dico in partibus sensibilibus, non autem in insensibilibus, sed hic tumor naturalis fit in omnibus partibus sensibilibus quam in insensibilibus, cumq; manens eadem figura augetur, tamen cum tumor non naturalis est materia prædicto, ita quòd ex eo non propterea lædantur operationes illius membri non est dicendũ quòd sit apostema, quoniam ut bene dicebatur à Galeno in primo de differentijs morborum, quoties aliquod membrum ita intumescit, quod non propterea operationes eius lædantur, tunc talis tumor non est morbus sed potius quoddam accidens consequens alium morbum, nam morbus est dispositio à qua prouenit læsio in operationibus prouentu primo, & essentialiter, sed omne apostema est ægritudo, quoniam ad omne apostema consequitur operationum læsio, quare cum talis est tumor membri præter naturam quòd ex eo operationes læduntur, tunc dicendũ est quod talis tumor est morbus, & tunc tumor idem est quod apostema, ita quod ad hoc quod tumor idem sit cum apostemate requiritur hæc condi-

tio,

tio, quod ad talem tumorem ſequatur læſio ſenſibiliter in operationibus, & ideo forte bene fecerunt Arabes pro tumore uſurpare hoc nomen apoſtematis, ut uidelicet cauerent talem circunſcriptionem, quam nos cauere non poſſumus, quando enim nos uolumus ſignificare apoſtema, oportet quòd dicamus tumorē præter naturam, ex quo prouenit læſio operationū, illi uero uno nomine proferentes dixerunt apoſtema, & forte ad hoc aduertentes antiqui Græci ut fuit Hipp. *ut cauerent talem circunſcriptionem uocarūt tale apoſtema œdema ut dicebat* Gal. de Hipp. *quoq; in.* 5. *particula aph. com.* 65. *& quidam quoq; antiquorum latinorum noſtrorum uocarunt optime inflationem, potius uolentes rei naturam ſequi quàm uocabulorum elegantiam, ne cogerentur poſtea circunſcribere. quod aduertentes quoq; uulgares noſtri in* Lombardia *appellāt ſermone uulgari infiaſone.* Qui *autem uolunt ſeruare latinitatem ſermonis & appellantes tumorem præter naturam, neceſſe eſt eis circunſcribere poſtea multis uerbis, ideo dicamus potius apoſtema quam inflammatio, quoniam apoſtema eſt eius ſpecies inflammatio autem huius eſt genus, cum iam nomina conueniant, hæc enim dico ne erretis in nominibus; quæ modo erit definitio, ſiue deſcriptio ipſius apoſtematis? hanc enim intendimus, latini hic faciunt quæſtiones longas, uanas, quas prætermittamus, quoniam erunt nullæ uiſis his, dicamus ergo per regulam illam topicam, quæ talis eſt, cuicunq; competit definitio illi quoq; competit definitum, ſed definitio*

morbi

morbi competit apostemati ipsi, ergo morbus quoque prædicabitur de apostemate,quod autē definitio morbi competat apostemati patet, nam morbus est dispositio ex qua prouenit læsio in operationibus essentialiter prouentu primo, sed apostema est dispositio non naturalis ad quam dispositionem sequitur læsio operationum, ergo apostema est morbus; quare cum sit inuentum morbum ipsum prædicari de apostemate, cū uolumus describere apostema ponamus in eius definitione primo morbum tanquam genus,dicamusq; apostema est morbus, postea deueniamus ad differentias ipsius morbi superius datas, & uideamus quæ huic competit. Erant autem primæ differentiæ morbi si recte meministis, quòd morbi alij sunt simplices, alij uero compositi, sed apostema non est simplex ergo compositus, dicemus ergo apostema est morbus compositus, sed quia ut dicebamus compositio est multiplex, alia enim est in similaribus partibus, alia uero in organicis. quare erit compositus primo ex compositione mala, & mala complexione & solutione continui, sicut supra cum Auic. declarauimus, erit ergo apostema morbus compositus ex complexione mala, mala compositione solutioneq; continui, sed compositionis morborum alia est quæ dicitur per essentiam, alia uero quæ dicitur secundum denominationē, ideo apostema est compositum modo compositionis secundum denominationem, quoniam in eo sunt tria illa genera morborum simplicium annumerata quæ quidem seruant suam propriam formam perfectam unaquæq;
suam

ſuam, tamen ille morbus eſt unus qui dicitur apoſtema, ſed compoſitio quæ fit per eſſentiam tunc fit, quotieſcunque multi morbi ita iunguntur, quòd ex actione inuicem paßioneq; reſultat una tertia forma refractis illis manentibus, et tunc dicitur unus morbus per eſſentiam, quoniam omnino ſunt adunati illi morbi ita quod unus eſt ſecundum eius eſſentiam: quare ad huiuſmodi differentiam ſuperaddendum eſt ipſi definitioni ſeruata uniuſcuiuſq; forma perfecta, ita quod dicatur apoſtema eſt morbus compoſitus ex mala complexione, mala compoſitione, & ſolutione continui ſeruata uniuſcuiuſq; iſtorum forma perfecta, ſed eſt alia compoſitio quæ dicitur fieri per complicationẽ, quando ſunt multi morbi, ita complicati in uno morbo, ut tamen ſint in diuerſis partibus; ut quando in eodem oculo eſt ophthalmia, ulcus, & ſuffuſio ſiue oppilatio, nam eſt idem organum in quo ſunt, ſed tamen exiſtunt diuerſis in partibus, nam ophthalmia eſt in coniunctiua, ulcus autem in cornea, oppilatio in uuea, ideo uidetur quod in hac definitione data apoſtema conueniat cum hoc modo compoſitionis. eſt enim & iſte morbus compoſitus ex tribus morbis ſimplicibus, ſeruata uniuſcuiuſq; forma perfecta, ideo oportet inuenire differentiam aliquam per quam diſtinguantur iſti duo morbi, ideo dico quòd hoc modo differunt, nã in apoſtemate illa tria genera morborum ſunt ſimul in unaquaq; parte ſenſibili, ita quod ubi mala complexio ibi quoq; mala compoſitio, ibi quinetiam ſolutio unitatis, ſed in illo morbo non eodem modo ſe habet,

imò ut diximus sunt loco omnino inter se distincti illi tres morbi. Quare oportet nos dare talem definitionem apostematis quæ quidem nobis det cognitionem suæ essentiæ, & per quam cognoscamus differentiã eius à quibuscunq; alijs morbis, ita quod usq; ad ultimas eius differentias perueniamus, per quas constituatur apostema, & detur definitio quæ uni soli apostemati conueniat; apostema ergo est morbus compositus ex mala complexione, mala compositione & solutione unitatis seruata uniuscuiusq; horum morborũ forma perfecta, ita quòd in unaquaq; parte sensibili omnia ista tria genera morborum reperiantur simul. hæc est uera, perfecta & completa descriptio apostematis, per quam primum iam quid sit apostema, ex quo patet iam quam uana sint illa quæ hic isti dicunt, ut Conciliator, Gentilis, & Iacobus de Forliuio. *dicunt isti quod apostema est grossities (utar enim suis uocabulis) ecce quomodo idem per idem definiunt, nam quid aliud est apostema quam grossities, est ergo idem ac si dicant grossities est grossities, ò quàm ineptum est hoc modo definire, omnia enim facile definirentur si nihil aliud esset perquirendum, sed Conciliator ibi citat unam authoritatẽ ipsius* Galeni *in 4. lib. de causis symptomatũ cap. 5. ubi uidetur dicere quod apostema est tumor, ita quod tumor est genus apostematis, sed hoc non potest stare, quoniam ostendimus nos superius quomodo apostema & tumor sunt idem dum modo intelligatur tumor ut dicebamus, sed falsa est illa authoritas quam citat iste conciliator, quoniã*

Galenus

Galenus hoc non dicit ibi imò textus Græcus Galeni habet se hoc modo; propter defluxum materiæ generatur tumor præter naturam. Vnde dico quod si per apostema intelligatis abscessum, siue exituram, tunc non est tumor, sed cum tumor accipitur proprie tunc idem est quod apostema. Quare cum dicimus apostema est tumor, siue ut ipsi inquiunt grossities, definimus idem per idem quod inconueniens est. quare optime fecimus nos qui per discursum inuenimus genus cõuenientissimum quod poni debet in definitione eius cũ diximus, apostema est morbus nam morbus est eius genus. Sed hic remouenda una dubitatio atq; ultra procedamus, quoniam Galenus in suo illo primo lib. Terap. *cap.* 8.*dicit quod ad inflammationem sunt multa mala accidentia consequentia sicut tumor, ubi uidetur quod Galenus dicat tumorem esse symptoma consequens inflammationem, ergo uidetur quod dicat tumorem non esse genus ipsius inflammationis cum tamen dicemus infra nos cum ipso* Auic. & Galeno *definimus enim inflammationem per tumorem tanquam suum genus, quando dicimus inflammatio est tumor præter naturam genitus à sanguineo humore & materia calida, quomodo ergo dixit Galenus tumorem accidens esse ipsius inflammationis?* Ad hoc ego re*spondendo dico quod Gal. ibi non accepit tumorẽ pro ut nos definimus ut est apostema, quoniam tunc est genus ipsius inflammationis, uerum per tumorem intellexit ibi abscessum* ἀπόστημα, *quoniam tunc est consequens ipsam inflammationem non autẽ genus, pro*

cuius rei intelligẽtia notetis quod inflammatio habet istas partes, quoniam primo est in ipsis uenis, quando uidelicet materia est in extremis uenarũ apud partem quæ intumescere habet, & facit eas intumescere, postea materia illa imbibitur in ipsis partibus mẽbri & tunc quoq; musculi ipsi apostemantur .i. intumescunt: tertio autem fit quædam eminentia apparens ipsi sensui, & tunc apparent postea omnia illa accidentia consequentia quæ dicebat Gal. nam tunc sequitur tumor cum materia illa mittitur intra spatium illud intra cutim & carnem, nam Gal. accipit hoc in loco tumorem pro abscessu eminentiaq;: tumor autem iste contingit & ossi & cerebro quæ apostemantur & ingrossantur, quoniam tota eorum substantia ingrossatur, sed non deueniunt ad illam protuberationem et abscessum, quoniam primo ossa sunt dura sicut declarauimus supra, ideo non possunt ita faciliter extendi sicut aliæ partes, sed cerebrum postea est materiæ mollis, est enim ferè humidum fluidum, ideo nõ potest in eo fieri talis protuberatio, quare ossa & cerebrũ apostemantur absq; hoc quod patiantur exiturã, quare tumor hoc modo non est de eius essentia, bene est eius accidens, sed tumor acceptus pro ut iam definiuimus est de eius essentia, imò est eius genus, sic quoque modo dictum est, habetis ergo quid sit apostema, loquor de apostemate ut accipitur apud Arabes. habita ergo eius definitione ueniamus modo ad secundũ propositum, quomodo uidelicet apostema generẽtur, dicamusq; quod apostema generatur aut per fluxum

humorum,

humorum, aut per defluxum eorum, dicimus autem tunc fieri apostema per confluxum, quotiescunq; humores confluunt ad membrum quod est apostemandũ absq; eo quod transmittantur ab aliquo alio membro, tunc autem generatur per defluxũ cum humores mutant locum ita quod de uno loco in alium transmittuntur. quantum ergo ad primum membrum diuisionis dico quod tunc generatur apostema per congeriem siue per confluxum, quando materia ipsa aggregatur in membro patiente paulatim, non autẽ eo quia transmittatur ista materia ab alio, & hoc contingit dupliciter, uel ab intrinseco, uel ab extrinseco, si ab extrinseco tunc illud extrinsecum est causa quod materia adunetur & colligatur in illo membro, & hoc potest esse, aut à contundente, nam sanguis contusus denigratur & confluit ad partem contusam, quo fit ut putrefiat, & fiat apostema, aut per uulnus aliquod, aut propter nimiam calefactionem, attrahitur enim materia ad partem calefactam, ab intrinseco autem potest contingere, cum uidelicet membrum ab extrinseco non fuerit læsum, sed ab aliquo intra corpus, puta propter malam complexionem accidentem ipsi mẽbro, & primo propter frigidam, tunc enim concoctio ipsius alimenti transmißi ad membrum nutriendũ impeditur, non facta autem concoctione multa fiunt excrementa, & constipantur potius, atq; meatus propter frigiditatem congelantem, & sic prohibetur excretio ipsarum fæcum, & eo modo generatur apostema. potest quoq; euenire à causa calida & à quacunque

que alia intemperie; si autẽ generetur apostema per defluxum ipsius materiæ .i. cum ab uno mẽbro transmittitur ad aliud hoc quoq; tripliciter potest contingere, primo quidem quoniam membrum transmittẽs est fortius, membrum autem ad quod trãsmittitur est debilius, quare notate quod apostemata sæpissime fiunt in ipsis emunctorijs,uoco emũctoria partes glandulosas quæ quidem sunt loca ad quæ purgantur mẽbra principalia, ut in glandibus gutturis, in glandibus quoq; inguinum, & sub asellis, sed tamen sæpius in glandibus gutturis, quoniam cerebrum est frigidissimum,ideo generat multa excremẽta quæ cũ transmittat ad guttur sæpe faciunt apostemata; naturale ergo est quod materia superfluens transmittatur à membro fortiori ad membrum debilius, sicut dicebat Gal.in illo primo de facultatibus naturalibus,sed cum sunt mẽbra fortiora, alia debiliora,uel ergo ista trãsmißio materiei de uno membro in aliud est naturalis, uel non naturalis, naturalis est cum uidelicet transmittitur à fortiori ad debilius, ut cum cerebrũ transmittit excrementosam materiam sub adenas asellarum, cum cerebrum transmittat ad adenas colli, cum hepar ad adenas inguinum,cum autem transmißio est non naturalis tunc dicitur fieri, cum uidelicet membra quæ esse deberent fortiora læsa fuerint,et ita sint debiliora, & per consequens illa quæ debilia esse debebant, fiunt fortiora. tunc enim illa quæ debiliora esse deberent, nunc tamen sunt fortiora transmittunt sua excrementa ad illa quæ fortiora esse deberent,tamen

men

men nunc ſunt debiliora propter læſionem, & iſta tranſmißio eſt non naturalis & acquiſita potius, tertio autem fit. tranſmißio materiæ de uno membro ad aliud propter affinitatem ſitus, & propter rectitudinem uiarum, hoc eſt uenarum, & ſi etiam unum membrum altero debilius non ſit, nam commoditas locorum, rectitudoq́; uiarum facit talem tranſmißionem facilem, cum unum membrum præſertim ſub alio collocatum fuerit, nam fit maior præcipitatio ipſius materiæ, & hoc quoq; dico poſſe probari mathematica demonſtratione, quod aliàs latiùs id demonſtraui, cum ex profeſſo hoc exponerem, nunc tãtum ſufficiat per capita quædam pernarrare, nam ſi fiat tranſmißio de uno membro ad aliud facilius pertranſibit per lineam rectam cum uni ſubiaceat, nam cum omne graue deorſum tendat per lineam rectam tunc ſi illud graue nullum angulum reperiat citius deſcendet quàm ſi inueniat angulum, ideo cum inter unum membrum & aliud, ſint uiæ rectæ tranſmitti poteſt materia facile, eo quia præcipitatur, ſed maxime ſi materia illa fuerint humores frigidi atq; terreſtres, nam ſunt grauiores poſſuntq́; facilius præcipitari, ideo per conſenſum uiarum & earum rectitudinẽ poteſt fieri tranſmißio humorum de uno membro in aliud, uel propter affinitatem locorum etiam ſi unum uno debilius non ſit, & diximus dupliciter fieri poſſe, cum ergo hæc omnia ſimul conueniunt in duobus membris, tunc putate fieri commodiorem citioremq́; tranſmißionem, ut quando unum uno fortius ſit, inter iſta duo fuerit,

affinitas situum fuerit, quinetiam rectitudo uiarum, fuerintq; humores crassi frigidi terrestres. hæc sufficiant quantum attinet ad secundum propositum. Accedamus modo ad tertium, hic ergo uolumus tradere differentias apostematis, sed sciatis quod dicemus differentias generales tantum non autem particulares, quoniam nos tractamus res in uniuersali, inueniemus ergo differentias apostematis quatenus apostema, nõ autem quatenus in hoc loco, uel in illo, quoniam sunt fere innumeræ neq; possumus nunc numerare seruantes doctrinam nostram. Sed Auic. postea enarrabit de eis in tertio suo lib.4.& 5. quoniam distinguuntur apostemata per loca, per materiam, per tempora. quare triplex potest fieri sumptio differentiarum ipsius apostematis, uno quidem modo possunt sumi differentiæ à ratione formali ipsius apostematis, & hæc est uera optimaq; inuentio earum, et est cum dicimus Apostematum alia calida, alia frigida. est enim necessaria distinctio ipsius generis & si non sit per differẽtias formales ueras, tamen quia illæ latent facta est distinctio per differentias propinquissimas ipsis essentialibus, dicamus ergo cum sunt apostemata calida sunt propter materiam ipsam calidam ex quibus fiunt atque generantur ut puta bilis quæ est in se calida quãdo facit aliquod apostema, sed hoc contingere potest dupliciter, uel quia materia in se calida est ut in exemplo dato manifestum est, uel quia materia non in se calida est imò frigida, tamen propter ipsius putredinem calida facta est, nam potest fieri apostema calidum à

pituita

pituita quæ tamen in se est frigida, cum uidelicet putrefit tunc incalescit & sic ex ea generatur apostema calidum, sed ista putredo ipsius humoris potest dupliciter contingere ipsi materiæ, uno modo quando illa materia ita putrescit ut non omnino putrefacta sit sed secundum partem ita quod in ea seruatur, adhuc aliquis calor innatus qui resistit corrumpenti, & ista potest facile corrigi. alio modo fit putrida materia cum uidelicet iam omnino putrefacta est neq; in ea aliquid remanet adhuc ipsius caloris innati, & ista nullo modo potest corrigi ut patet in ipso uino, aliquando enim parumper mutatur, sed cum fuerit euentatus redibit ad pristinum gradum, aliquando ita putrefit ut omnino fiat acetũ, neq; aliquo modo potest corrigi; & propter utramq; materiam putridam potest fieri apostema calidum & ea apostemata quæ sunt à materia calida per putrefactionem non omnimodam sed secundum partem, tunc ista possunt facile corrigi, sed apostemata, quæ sunt à materia calida propter putrefactionem absolutam sunt lethalia & pestilentia sicut sunt carbunculi, dicuntur ergo apostemata calida à materia calida quomodocunq; sit calida. Accipiamus modo secundum membrum diuisionis, alia sunt frigida. Dicuntur autem frigida à materia frigida ex qua generantur. Aut enim ista materia frigida est aqua, aut uentus, aut melancholia, aut pituita, sed à pituita possunt fieri apostemata, quæ sint fluida non indurata, & sunt mollia apostemata, aut ab ea indurata, suntq; dura dicta uidelicet sliti, cũ

autem

autem fiunt à flatu sunt dura, diximus enim supra tripliciter fieri aliquid durum, sed istud apostema non cedit tactui, sed resistit & habet renitentiam per hocq; distinguitur ab apostemate facto à pituita fluida, tunc enim est molle & consequenter cedit tactui neq; habet illam renitentiam, quæ reperitur in illo quod pendet à flatu sed sunt etiam aliæ differentiæ apostematum sumptæ à dolore sicut dicebat quoq; Galenus 4. aph. 65. com. si bene memini. Apostematũ enim alia sunt cum dolore alia uero sine dolore, illa omnia quæ sunt cum dolore sunt calida, illa uerò quæ sine dolore sunt frigida, & ideo diuisio ista secunda cadit sub primam, quoniam apostematum alia sunt calida quæ sunt cum dolore, alia frigida, quæ sunt sine dolore & ista secunda diuisio proprie accepta est ab accidentibus ipsorum apostematum, ideo facimus secundam diuisionem istam quod uidelicet sumuntur differentiæ ab ipsis materiebus ex quibus generantur apostemata, eruntq; sex differentiæ secundum quod sunt sex materiæ, nam apostematum alia sunt à sanguine, alia à pituita, alia à bile, alia à meãlcholia, alia à flatu, alia ab aqua, quid differat aqua à pituita nos uidebimus infra.

LECTIO XX.

CIRCA *tractationem ipsorum apostematum tria proposita erant a nobis, uidelicet de definitione primo ipsius apostematis; secundo uerò de eius generatione; tertio uero de ipsius differentijs, quæ omnia*

nia a nobis absoluta esse puto, quin etiam ab ipso A-uic. sed admodum difficulter præcipue in designanda eius definitione & generatione, ut qui non audierit ab aliquo declarante aut saltem non fuerit plusquam doctus in medicina non posit ipsum intelligere, habuistis autem eius definitionem quando dixit, (In hoc cap. dico, &c.) *Secundo autem habuistis generationem, quomodo uidelicet generatur, et in quibus uidelicet in membris mollibus quando dicebat,* (Apostema præterea, &c.) *ubi obscurißime faciebat illas suas diuisiones de generationis modo, quoniam modo per defluxum, modo per confluxum, quæ omnia a nobis clara reddita sunt, nam cum dixit* (Et omne quidem, &c.) *Tetigisse diximus unũ membrum, uidelicet apostematum quæ fiunt per defluxum ipsius materiei, per quod quidem membrum dicebamus intelligi quoq; suum oppositum membrum. declarauimus autem quomodo secundum Auic. ille defluxus materiei dicitur catarrhus, quomodo etiam catarrhus dupliciter sumi potest uno modo proprie pro uidelicet ipso descensu materiei a capite in pectus, alio modo cõmuniter pro quocunq; defluxu materiæ, & hæc omnia obscurißime tractauit Auic. sed in hoc dicebat quoq; præceptor meus uidelicet Leonicenus ille Nicolaus de Auic. dum breuis esse laboro, obscurus fio. Videte uos quomodo est obscurus, ut obscurior esse non poßit, ego nescio quid dicam cum hoc fecerit Auic. uult postea soluere unam tacitam obiectionem, quæ ipsi fieri posset, sed est in ipso difficillima*

ficillima & obscurißima. *Dicamus ergo nos quod ui sis his quæ iam ab Auic. dicta sunt, aliquis posset obij cere dicta hoc modo; ò Auic. tu proposuisti generationem ipsius apostematis per defluxum materiæ, quãdo uidelicet mandatur materia a membro mandante ad membrum patiens, propterea quia materia talis est irritans ipsam mandans uel propter ipsius multitudinem, quoniam repletum est tale membrum, sed nos uidemus oppositum illius quod dixisti, quoniam uidemus aliquando membra esse repleta ipsa materia, quæ tamen non expellunt eam ad aliud membrum sed cum postea pene euacuata fuerint expellunt, quid ergo ais ò Auicenna? ad hoc respondet Auic. quòd dũ est multitudo humorum qua repleta sunt illa mẽbra, potest esse quod ibi sit multum de sanguine bono, et de humoribus bonis, & ideo illi boni humores contemperant malos ipsos quare mẽbra mandantia non irritantur, neq; consequenter expellunt illam materiam, sed cum fit euacuatio euacuantur boni humores & remanent postea soli mali, ideo non contemperantur amplius ab illis bonis; euacuari autem possunt uel arte, uel natura, quare cum soli mali remaneant irritant ipsum membrũ, quare illud expellit eos ad aliud, & ideo hæc est obiectio solutio quoq; simul Auic. uideatis modo quo modo difficillima est in litera sua ita ut pene intelligi non poßit. dicit ergo.* (Et est cum causa materialis ex qua apostemata & eminentiæ generantur) *per eminentias intelligatis pustulas quæ sunt apostemata parua, sicut supra dixit Auic.*

est

est submersa in alijs humoribus non secundum suas im pediētibus qualitates, id est, sanguine. dicit enim quòd illi boni humores in quibus mista est materia non impediunt suis qualitatibus, quoniam sunt naturales & per tales humores ut dixi intelligit sanguinem. postea dicit. (Cumque humores illi boni idest sanguis aliquo modo euacuationis se euacua uerint,) *Et postea tangit modos quibus potest fieri talium humorum bonorum euacuatio, & inquit* (Quòd uno modo euacuantur naturali sicut in mulieribus accidit cum pariunt, & cum fuerint in eis relicti soli humores mali irritant membra in quibus reperiuntur, & sic illa membra transmittunt illos humores malos ad alia membra quæ sunt debiliora.) *Et si non sint debiliora quia sunt propinqua, aut propter aliquid eorum quæ à nobis supra sunt enumerata, & sic generantur apostemata, postea tangit aliũ modum quando dicit,* (Aut non naturali,) *& dat exemplum* (Vt eis accidit qui uulnerantur cum egreditur sanguis bonus & remanent humores illi mali puri singulares, & impeditur per eos natura, & expellit eos,) *Propter uulnerationem enim euacuantur boni humores hoc est sanguis bonus sicut supra quoq; exposuimus; euacuatis autem bonis relinquuntur mali soli, qui antea contemperabantur, & sua malignitate irritant ipsum membrum, in quo uidelicet reperiuntur, & sic membrum illud insurgit ad eorum expulsionẽ, ex=*

pulsis

pulsis autem humoribus ad aliud membrum tunc apostematur illud ex quo elicere potestis quod aliquando potest esse corpus plenum malis humoribus permistis tamen bonis, tamen non propterea corpus illud ægrotat quia illi mali permisti cum ipsis bonis contemperantur ab eis, sed postea cum humores boni euacuati fuerint aliquo illorum duorum modorum sentitur incommodum in exercendis operationibus, & cōsequenter accidit ægritudo (Et est cum expulsionis modus est ad cutim, & faciunt apostemata seu bothor.) *Et sciatis quod homores transmittuntur ad ipsam cutim duplici de causa, uel quando materia fuerit subtilis, tunc enim propter subtilitatem eius transit illos poros partium intrinsecarum, qui sunt laxiores. cum autem usque ad cutim peruenerint ibi permanent, quoniam pori ipsius cutis sunt arctiores propter aerem constringentem, collecta autem materia fiunt apostemata parua quæ dicuntur pustulæ siue bothor. Secundo modo potest transmitti materia ad cutim propter fortitudinem ipsius uirtutis expulsiuæ, tunc enim fortis uirtus existens longius transmittit quàm si sit debilis & si unum istorum deficiat non transmittitur omnino ita longe, si autem ambo, remanet in partibus intrinsecis ipsa materia, & fiunt apostemata, ut cum transmittitur materia ad ipsos lacertos, idest musculos, quæ postea apostemata sunt mala & difficilia curatu.* (Apostemata uero differunt, &c.) *Postquam Auic. pertractauit illa duo proposita, nunc modo aggreditur tertium proposi-*

propoſitum, uidelicet agere de differentijs apoſtematum, & antequam incipiat talem tractatum primo ſe excuſat, quod uidelicet ſunt plures differentiæ ipſorum apoſtematum. Sed dicit Auic. (Ego pertractabo ſolum differentias uniuerſales.) *quoniam ſunt multæ aliæ quæ poſtea ſunt enumerandæ alio loco, nam alia ſunt extrinſeca, alia intrinſeca, alia bona, alia mala, & multæ aliæ differentiæ, quæ ſumuntur a locis & quæ ſumuntur ab accidentibus, quas prætermittet hoc in loco Auic. quoniam ad propoſitum non faciunt, ſed tantum tanget uniuerſales quæ quidem ſumuntur a cauſis eſſentialibus, & per cauſas apud medicos quoq; intelligatis ipſas materias quæ præcipue ſunt efficientes, neque enim eodem modo conſiderant medici ac phyſici, nam phyſici non poſſunt imaginari quomodo materia ſit efficiens, ſed medici ipſi bene hoc imaginantur, quoniam non inconuenit hoc ut idem ſit materialis cauſa & efficiens, nō tamen uno eodemq; modo, neq; ſecundum eaſdem intentiones, ſed diuerſas. quare inquit.* (Apoſtemata uero differunt diuerſis differentijs, ſed quæ magis ſunt conſiderandæ ſunt differentiæ quæ propter eorum exiſtunt cauſas, quæ quidem ſunt materiæ ex quibus generantur apoſtemata.) *Ecce quomodo cauſa materialis eſt efficiens apud medicos, & poſtea incipit ſumere differentias ab ipſis materijs, ſicut dixerat ſe accepturū dum inquit.* (Materiæ uero unde fiunt apoſtemata, &c.) *Circa quod ſcire debetis quod non debemus*

bemus sumere differentias à materia secundum dialecticam diuisionem & ueram, neq; minus a causa efficiente, quoniam bonæ ueræq; differentiæ sunt illæ quæ sumptæ sunt ab aliquo intrinseco ipsius rei, non autem ab aliquo extrinseco, quare sumi debent potius à ratione formali ipsius rei diuidendæ, quoniam illa est de intrinsecis principijs, & per eam constituitur res in suo esse; propterea dicebamus quòd differentiæ sumptæ à defluxu materiæ, & à confluxu non sunt differentiæ bonæ ueræq;, quoniam sumptæ sunt ab extrinseco, ideo neq; differentiæ sumptæ a materia sunt bonæ, quoniam materia est extrinseca a quiditate ipsius apostematis; & quòd hoc uerũ sit uideatis, quoniam diuisiones has, quas assignat Auic. tradidit quia aliter facere non poterat, non enim habebat alias quas posset assignare. sed uidete quæ diuisiones sint istæ; ait ergo. (Materiæ uero ex quibus generantur apostemata sunt sex,&c.) *O pulchra diuisio: sunt sex materiæ, ergo erunt sex differentiæ apostematum, sed tamen nos excusamus Auic. quia non poterat aliter facere, cum alias differentias non haberet, & inquit numerando illas materias,* (Humores quatuor, ideſt sanguis, phlegma, bilis, & melancholia, aquositas postea, & uentus.) *Sed quoniam etiam ipse Auic. uidebat quod talis diuisio non erat artificialis, ideo alias affert & ait.* (Et apostema quidem aut est calidum, aut non calidum, &c.) *Debebat ergo primo ita diuidere, omissa illa diuisione secundum*

dum materias. Apostematum alia calida, alia frigida, calida alia habent caliditatem uaporosam, ut quæ sunt a sanguine, alia uero habent caliditatem per putredinem factam ipsius materiæ peccantis. Frigidorum uero alia dura, alia mollia, ut diuidemus postea suo loco. istæ enim erant differentiæ formales, atque essentiales & necessariæ. ideo hoc animaduertens quoq; Gal. cum daret differentias febrium in primo illo de differentijs febrium acceptas ab ipsa materia posuit quoq; diuisionem Hipp. eamq; laudauit quoniã dicebat. Febrium aliæ habent calorem mitem, aliæ uero acrem, & assignabat differentias omnium febrium per ipsum calorem, postea Gal. diuisit quoque febres per sua subiecta, dicebat enim aliæ febres sunt in spiritibus, aliæ in humoribus, aliæ in membris solidis, sed dedit illam diuisionem gratia maioris intelligentiæ. Vnde uidemus quoq; Auic. huius rei conscium fuisse, cum post illam diuisionem per materias subiunxerit aliam essentialem, & si non sit per differentias omnino formales, tamen est diuisio per accidentia propinqua differentijs formalibus, possumus enim occultis differentijs formalibus diuidere res per accidẽtia, quæ sint magis essentialia, ideo prima diuisio non est diuisio, sed est potius quædam enumeratio, nam diuisio est per opposita membra, sed cum sunt multa diuersa membra quæ enumerantur non est artificialis diuisio, sed est quædã membrorum enumeratio et per cunctatio, sed quia Auic. aliter facere non potuit posuit illam, sed tamen hoc uidens subiunxit postea il-

 lam.

lam. (Et apostema, &c.) *Ecce quod tandem fuit coactus aßignare aliam diuisionem.* (Apostematum ergo alia sunt calida, alia non calida,) *Et declarat primum membrum Auic. cum inquit,* (Neque existimandum, &c.) *Sed nos ista omnia de hoc primo membro resolute declarauimus heri. Quæ enim sunt calida dicebamus quòd aut fiunt à materia calida p se et essentialiter non per accidens, & hoc dupliciter, uel quòd in illa materia sit coniuncta caliditati, ipsa humiditas, & tunc fiunt apostemata calida a sanguine, uel in illa materia est siccitas caliditati coniuncta, & tunc fiunt a bile. Alio modo sunt calida apostemata quæ fiunt ex materia quæ calida est, sed non per se sed per accidens, quoniam uidelicet acquisiuit illam caliditatem extraneã propter illius putredinem, sed materia ista putrida dupliciter potest esse putrida, uno modo quod adhuc sit in putrefieri, nondum tamen putrefacta sit, idest cum secundum partem putrefacta est, secundum partem uero nõ ita quod in ipsa adhuc est aliquid caloris innati quod resistit putredini, alio modo cum iam putrefacta sit, neq; aliquid sit residui quod putrefieri habeat, neque in ipsa seruatur aliquid ipsius caloris naturalis resistenti calori præter naturam, qui putrefacit ipsam materiam, & sunt duo differentiæ ualde insignes, istæ quæ sunt aßignatæ, & si apostemata fiant ex materia calida per putredinem non autem essentialiter, tuncq; materia omnino putruerit, ut quæ generantur ex humore pituitoso, aut melancholico*

cum

cum illi humores putruerint omnino, ita quod in eis non est aliqua pars quæ resistat putredini, sunt apostemata lethalia uel ad mortem ducentia & corruptionem ipsius membri, uel saltem faciunt ulcera incurabilia, & quæ non curantur uel saltem difficulter, & notate ista quæ dixi, quoniam omnino Auic. uult dicere ista sed tamen non potest se declarare imò inutricat se ita quod intelligi difficulter potest. Quare dicamus recolligendo quòd apostematum calidorum quæ fiunt propter materiam calidam fiunt dupliciter aut per se materia calida existente, aut per accidēs, si à materia per se calida tunc uel à sanguine, uel à bile, si a materia calida per accidens, tunc materia est calida propter ipsius putredinem, quæ duplex esse potest, uno modo quòd omnimoda sit illa putredo, alio modo quòd sit imperfecta. istæ sunt differentiæ generales & necessariæ apostematis calidi primo, & quamuis huiusmodi diuisiones possunt fieri circa alios quoq; morbos tamen specialiter nunc numerauimus ipsas in apostemate, Et hoc est quod dicit Auic. (Neque existimandum est quod apostema calidum sit illud quod ex colera aut sanguine generatur tantum, sed ex quacunque materia siue sit calida per essentiam, siue accidat ei caliditas propter putrefactionem,) *Vt sunt pituita, melancholia, uentus, & aqua. postea inquit*; (Licet etiam hæc genera secundum spetiei diuisionem cuiusque materię diuidantur dignius tamen est ut in apostemati

bus specialis proferatur dictio,) *Ecce quomodo Auic. dicit* (dictio,) *idest uidetur quod specialiter ista diuisio reponenda sit in apostematibus, & sequitur*. (Et sanguinem quidem purum,&c.) *Hic notate quod phlegmon & phlegmoni græce idẽ est q, apud Latinos nostros inflãmatio, sed Græce proprie dicitur* φλεγμονὴ, *sed isti uertentes nomen quod erat secundæ declinationis, fecerunt tertiæ. oportet etiam quod simus Grammatici propter malas interpretationes. inflammatio autem apud antiquos & modernos nostros tripliciter assumitur secũdum quod Gal. quoq; ait in quinta particula aphor. 65. com. primo.n. uocant inflammationem quando membrum superaccenditur non pro apostemate, sed postea moderni usurparunt pro apostemate calido.i. quod generatur a materia calida, siue modo materia illa sit calida per essentiam, siue per accidens, dicitur quoq; phlegmon ab Arabibus istis, alio modo sumitur strictius, uidelicet pro una quadam spetie ipsius inflammationis, quæ generatur a materia habente caliditatem simul cum humiditate, idest à sanguine, & appellant talem inflammationem phlegmonem. quia tripliciter sumi uidistis inflammationem; sed in illo primo significatu sumitur sæpius apud ipsos medicos, uerum Auic. hic sumit phlegmonem pro uidelicet tertio significatu, & apud ipsum quotiescunq; inuenietis mentionem fieri de phlegmone intelligatis de illo tertio significatu, sed hic unum notandum est à uobis, quod ideo hic refero, quoniam non erit melior, atq;*

commodior locus in quo possim hoc referre; dico ergo quod alio modo & diuerso fiunt inflammationes .i. apostemata calida a sanguine genita, & apostemata frigida, quoniam in apostematibus ipsis calidis generandis materia descendit à uenis magnis in paruas, deinde in minores, postea in ipsas carnes & musculos, & fit inflammatio, postea fit abscessus, & exitura, quoniam ille humor deuenit in spatium illud, quod est inter cutim & carnem, & sic sunt genita calida apostemata incipiendo, sed frigida generantur a materia quae aggregatur paulatim paulatim, et sic incipiunt fieri abscessus in ipsis frigidis, non enim incipit inflammatio in membro, & hoc modo dixit Auic. (Et sanguinem quidem apostema purũ phlegmonem appellare consueuerunt,) *postea inquit.* (Et quod ex cholera rubea & pura erysipelas) *dicit quod apostema quod generatur pura bile dicitur erysipelas: sed hic dubitàtio contingit; quoniam isti moderni propter istam authoritatem Auic. uoluerunt erysipelas fieri à sola simpliciq; bile, cum hoc sit contra naturam ipsius rei, ut ostendemus; nam si hoc esset uerum, tunc sequeretur quòd in erysipelate omni esset ulceratio, quoniam pura bilis non facit inflàmmationem siue apostema, siue ulcerationem, unde dicebat Gal. quod herpetes quae fiunt a pura bile serpunt erodendo propter subtilitatem & acritudinem ipsius bilis, quia erodit bilis nisi refrangatur a sanguine, unde dicebat Gal. in secundo lib. ad Glauc. de arte curatiua, & in lib. de*

tumoribus præter naturam quòd eryſipelas generatur à bile, ſed tamen refrenata a ſanguine ſubtili, ſed & iſti moti ſunt propter Gal. *quoque in* 13. *methodi, qui illud uidetur dicere. Quid ergo dicemus? dico quod in libris citatis a nobis* Gal. *hoc clariſſime dixit; quòd modo a nobis declaratum eſt, & diffuſiſſime id expoſuimus, dum ex profeſſo legeremus praxim in illo ſecũdo ad* Glauc.*quare nunc ſufficiat ſi per quædam capita recenſebimus.* Dico *ergo quod ſicut eſt ſententia ſæpiſſime ipſius* Galeni, *quod ſanguis dum putreſcit uertitur in bilem, quare dico quod eryſipelas generatur à ſanguine qui putreſcit & factus eſt bilis, ita quod eryſipelas generatur a bile permiſta ſanguini, unde uidetis eryſipelas eſſe rubidum cum quadam citrinitate, ergo deſignatur nobis in eo eſſe ſanguinem & bilem, quoniam dicebat* Gal. *quod ex colore exiſtente in corpore nos iudicamus prædominium humorum; quales ergo colores tales humores abundantes, ſed in eryſipelate eſt color rubidus, qui color deſignat ſanguinem. eſt quoq; citrinus color qui deſignat nobis bilem ipſam.* Ecce *ergo quomodo naturæ rei contradicunt iſti, poſtea dico quod* Gal. *ſibi ipſi non contradicit, quoniam nos dicimus quòd cry pelas fit a bile permiſta cum ſanguine in principio, ſed poſtea cum ille ſanguis magis accenditur ſitq; ſubtilis uertitur in bilem, ſicut craſſus ſanguis uertitur in melancholiam, & ideo tunc poſtea eryſipelas pendet a ſola bile, & iam factum eſt eryſipelas, & tunc propter ſubtilitatem bilis ſerpit, ideo eryſipelas*

las generatur a bile cum sanguine permista in principio, sed postea pendet a sola puraq; bile, & hoc modo Gal. intellexit, ideo sibi non contradicit, bene isti illi contradicunt, præterea etiam quod isti contradicant ipsi nomini imposito ostendo. Nam antiqui Græcorum solebant appellare rubeum ἐρυθρὸν, sed postea mutarunt θρ, in σ, & dixerunt ἐρυσὸν, ex quo appellarunt ἐρυθρίνην, postea ἐρυσίνην, seu ἐρυσήβην, morbum illum, quem nos appellare consueuimus rubiginem: est autem rubigo morbus spicarum frumenti, cum uidelicet rubescunt, quare illi antiqui ut spicæ conseruarentur à Dijs ne inciderent in rubiginem celebrabant quædam festa dicta ἐρύσιθρα, & loco earum nostro quoq; tempore fiunt & celebrantur illæ litaniæ, ideo medici uidentes tale apostema habere colorem illarum spicarum cum patiebantur rubiginem uocarunt illud ἐρυσιπέλας, quoniam color tendens ad ruborem cum quadam citrinitate. Ecce ergo quomodo isti moderni contradicunt non solum ipsi naturæ rei, sed Gal. et tandem ipsi uocabulo.

LECTIO XXI.

DIVISIO *apostematum per differentias essentiales, & necessarias erat in superiori lectione, quod apostematum alia sunt calida, alia non calida, de calidis agebatur, quæ quidem secundum Auic. diximus diuersari per materias suas diuersas, & dicebamus diuersificari secundum loca in quibus fiunt, sed illæ differentiæ à nobis non erant tangendæ quoniam*

sunt nimis particulares, illud ergo diximus apostema calidum esse, quod fit ex materia calida, sed istam materiam diximus esse dupliciter calidam, uel secundũ suam essentiam, uel secundum aduentitiam putredinem, illamq; quæ per se calida erat, dicimus esse duplicem, aut enim est sanguis aut bilis. quod ergo pendet à sanguine dicebamus uocari nomine sui generis hoc est inflammatio, quod uero a bile mista tamen cũ sanguine subtili erysipelas, remanebat dicere quod aliquando congregantur istæ duæ materiæ & faciunt apostemata, quæ nominantur a prædominante materia, si enim prædominatus fuerit sanguis dicetur phlegmon erysipelades, si bilis erysipelas phlegmonodes, unde dicit Auic. (Et ex eis est compositum nomine composito superantis preponendo nomen quandoque dicunt phlegmonem erysipeladem, quandoque erysipelas phlegmonodem, & cum congregatur uocatur exitura) *Cum uidelicet materia aggregatur intra spatium illud inter cutim & carnem.* Remanet *modo ut dicamus de illis apostematibus quæ fiunt à materia calida, secundum accidens, quoniam illis accesserit putredo, cum iam absoluerimus de illis quæ generantur ex materia calida secundum suam essentiam, sed ut dicebamus materia quoq; ista dupliciter potest putrida esse, uno modo quod nondum omnino putrida sit, sed sit in putrefieri adhuc, alio modo quod omnino putrida sit, neq; aliquid eius reliquum est quod non putruerit; possumus quoq; addere tertiam causam, cum uidelicet materia*

teria illa putrida non est, sed quia illi accedat caliditas extranea non per putrefactionem, sed per adustionem, quæ & si non sit putrefactio uera tamen est putrefactio improprie, secundum quod dicebat Arist. in illo quarto metheororum; & hoc pacto fiunt apostemata melancholia adusta ut sunt cancri ipsi & talia, nam notate hoc, quoniam contra Auic. tenemus cancros esse apostemata calida per materiam adustam, non autem frigida sicut ipse opinatus est, ut infra patebit, ubi reponit cancrum in apostematibus frigidis, fiunt enim cancri à materia in se quidem frigida, sed tamen calida per adustionem; sed quare fiunt apostemata, & quomodo calida à materia calida per putrefactionem, ita quod uidelicet materia omnino putrida sit, neq; aliquid sit amplius in putrefieri, dico quod tunc fiunt quum humores puta frigidi putruerint & per accidens fiunt calidi, ex illisq; generantur carbũculi, et talia apostemata pestilẽtia, quæ oriũtur tẽpore pestilẽti, sed hic quæri posset ab aliquo utrũ aliqui abscessus sicut sũt illa tria nota apostematũ, uidelicet melliceris atheromata & steatomata, dicitur autem melliceres quoniam est apostema pendens a materia putrefacta, unde quia illa materia quæ est in ipso abscessu aßimilatur melli & ceræ dicitur melliceres, aliud uero dicitur atheroma, quoniam materia in illo existens est tanquam farina, siue tanquam quoddam pulti; tertium uero quoniam in eo materia existens aßimilatur adipi, uidetur enim esse quoddã adeps, ideo dicitur steatoma; & sunt inter se diuer-

sa

sa ista tria: quæritur ergo utrum uidelicet isti abscessus sint reponendi inter apostemata calida an inter frigida. Dico quòd sunt reponendi inter frigida. *ò dices quomodo hoc poßibile est cum fiant a materia putrida? dico quod sunt iam abscessus, non autem sunt iam amplius inflammationes, quoniam inflammatio tunc est cum membrum super calefit, & cum fit ipsorum humorum ebullitio in ipsis uenis, & ad talem inflammationem sequuntur illa accidentia, dolor, rubedo, pulsatio & nitentia, & fit quidem talis inflammatio à materia quæ putrescit, ideo a materia calida, sed postea cum fiunt abscessus illi, & exituræ, sicut sunt ea quæ diximus supra, tunc calor abscedit & materia illa iam putrida omnino remanet, sed nõ putrescit amplius, est autem calor præter naturam dum putrescit, sed calor ille putredinalis discedit cum omnino materia illa putruerit, quare in proposito modo dico quod illi abscessus fiunt à materia putrida, ergo à materia calida, nõ ualet, quoniam ut diximus est calida dum putrescit, non autem dum putruerit, ut est in proposito, quare remanet quòd illa sint reponenda inter frigida apostemata, non autem calida, & ita non erit alia differentia generalis quàm istæ quæ sunt numeratæ nobis, quoniam si bene perpenderitis uos inuenietis omnia reduci sub illas differentias.* Apostematum ergo alia sunt calida, alia frigida: de calidis quomodo diuidantur patuit. Diximus autem quomodo fiunt apostemata calida a materia calida per se, & quomodo nominantur

minantur, quomodo etiam nominantur cum ſunt compoſitæ materiæ ex quibus fiunt, ea autem dixit exempli gratia Auic. *ut excitaret ingenia hominum, non quod iſte eſſet locus tradendi illa, nam bene cognouit etiam ipſe alium eſſe locum in quo talia docenda ſunt.* *Et inquit* (Cum materia congregatur uocatur exitura,) *Sed poterat bene facere ſine hoc, dicit ergo quod cum materia illa congregatur inter ſpatium illud, quod eſt intra cutim & carnem, uocatur tunc abſceſſus, exitura ſiue* ἀπόστημα *à* Græcis *quo modocunque modo appelletis hoc ſupra quoq; dicebamus. Deinde inquit.* (Cumque exitura, &c.) *Hodie erimus textuales, ſumus enim deputati ad exponendum* Auic. *ideo oportet etiam legere ipſum textum, dubitabimuſq; ubi dubitandũ erit. Poſtquam ergo diuiſerimus primum membrum diuiſionis, & iam patuerit de primo membro huius primi membri, accipiatis modo ſecundum membrum quod erat quòd apoſtemata calida fiunt alia à materia per accidens calida, hoc eſt per putrefactionem, quare hoc membrum declarans* Auic. *inquit.* (Cumq; exitura in carnibus fit laxis & ſub aſellis, & poſt auriculas & in inguinib. & ex genere corrupto, quod in ſuo particulari loco nominabimus uocatur taum). *i. quomodo materia ipſa colligitur in partibus illis & carnibus ædenoſis, ſiue glãdulis quæ dicuntur emunctoria, quoniam ad ea mittunt ſua excrementa principalia membra ut in inguinibus, in glãdulis quæ ſunt ſub aſellis, poſt auriculas, ſiue ſub gula,*

la, quæ omnes partes dicuntur à Gal. partes glandosæ, tunc exituræ illæ siue abscessus dicuntur taum, & alio nomine quoq; appellabat ipse in tertia Fen quarti lib. pro taum enim dicebat altohim à Græcis ἄνθρακες, carbunculi à latinis dici solent. fiunt ex materia toto suo genere putrefacta, ideo cùm materia talis congregatur in partibus istis glandosis fiunt genera ista apostematum pessima & pestilentia, sed ad quid numerauerit hanc differentiam ego nescio, non erat hic locus in quo illam poneret, sed oportebat eũ prætermittere hanc differentiam, quoniam attinebat ad alium locum, non dico totam differentiam, sed quoniam dixit de apostematibus, quæ fiunt in illis partibus glandosis, & in hoc non solum peccat hic, sed et inferius, quoniam istæ differentiæ prætermittendæ erant particulari parti medicinæ, sicut ipse met dixerat se facturum, oportebat enim diuidere hoc modo. Apostematum alia calida, alia frigida, calidorum alia quæ fiunt à materia calida secundum se, alia quæ à materia per accidens calida, non autem numerare quod fiant in inguinibus modo sub asellis, modo post auriculas, quoniam sunt differentiæ: postea illæ sumptæ à loco in quo fiunt quæ differentiæ sunt penè infinitæ, neq; enim solum fiunt ista apostemata calida propter putredinem in ipsis partibus glandosis, sed etiam in toto corpore tempore pestilenti. Postea inquit, (& apostemata quidem calida habent principium &c.) *Hic modo Auic. uult sumere alias differentias apostematum calidorum ab ipsis temporibus,*

poribus, uidelicet principio, augmento, statu, & declinatione, quæ differentiæ certe non erant hoc in loco numerandæ. Ecce ergo quomodo nō menet in suo *proposito, nam supra dixerat se prolaturum dictionem uniuersalem in apostematibus, tamen descendit ad particularia, quid enim refert de temporibus ipsis quando uolumus scire differentias apostematis, ut est apostema in uniuersali quo ad suam essentiam, idem enim est dicere, & ideo melius fecit Galenus in suo lib. de tumoribus præter naturam in sumendo differētias eius. Sed quoniam nunc exponimus ipsum Auic. ideo dicamus etiam nos de huiusmodi differentijs cum ipse quoq; dicat, inquit ergo*. (Et apostemata quidem calida habēt principium in quo humor ad exteriora egreditur & apparet quod concauitas augetur, deinde capacitas cum eo augetur & distendere postea stat; cum ægrotatio ad maiorem peruenit statum in quo esse debet, post incipit minui, & maturatur pus, & declinat eius esse, aut ad resolutionem, &cæt.) *Sed notate hic quod malæ ægritudines non habent ipsam declinationem, eo quia declinatio stat in bonum, sed pro intelligentia dictorum notate quod apostemata possunt terminari per repercusionem, quoniam materia retrocedit repercussa uidelicet. dicimusq; ipsum hoc modo per repercusionem terminari secundo per resolutionem discussionemue, quando uidelicet ipsa materia discuttitur, aut per suppurationem ita quod fit eruptio,*

ptio, & exit pus ipsum, uel per indurationem, & cũ est ita induratum apostema dicitur situs. transit enim materia illa in lapidositatem quandam uel per corruptionem ipsius membri, & tunc fit apostema dictum ab Arabibus ipsis sphacelos siue aschachilos aliquando siue Gangræna, aduertendum tamen est quod differt quodammodo Gangræna ab aschachilos, quoniã dicitur Gangræna in principio, quando uidelicet mẽbrum nondum corruptum est, sed tendit in corruptionem, dicitur autem aschachilos cum facta est omnimoda corruptio ipsius membri, ita quod reliquum est solum incidere ipsum membrum, tres primi abscessus sunt terminantes. i. habent suas declinationes, sed duo ultimi sunt incurabiles, ideo neq; dicendum est quod habeant declinationes, nam membra moriuntur uel in augmento, uel in statu, quare non perueniunt ad declinationem, nam scirrhum lapidosum scitis incurabilem esse, & sphacelos ut diximus est cum membrũ ipsum omnino corruptum est, quare isti abscessus nõ habent declinationem, quoniam cum deueniunt ad declinationem iam superatum est membrum, resolutio autem & suppuratio sunt cum uidelicet fit exitura, siue abscessus in membro, cum uidelicet materia ipsa exierit intra spatium illud carnis cutisq;, tunc enim medici si sunt docti, & experti non utuntur ipsis repercußiuis, sed tentant discutere per resoluentia, uel deducere ad suppurationem ipsam, uerum tamen est quod si nõ poteritis uti resolutione, oportebit uos uti ducentibus ad ipsam suppurationem, quoniam facilius

lius

lius est suppurari materiam, quàm discuti, sed unum hic sciatis, quod in declinatione ipsius apostematis sunt quædam symptomata, ut dolor, & febris quoniam in generatione puris febris & dolor accidunt, sicut dicebat quoq; ille Hip. *in aph. & inquit in tex. Auic.* (Et apostemata quidem calida habent principium in quo tumor ad exteriora egreditur, & apparet quod concauitas augetur) *idest principium apostematum, est cum uidelicet materia expellitur ab ipsis intrinsecis partibus ad exteriora.i. extra uenas, non autem expellitur ad exteriora, hoc est intra spatium illud quod est inter carnem, & cutim, neq; enim alio modo intelligere possumus, quapropter id animaduertẽs* Andreas *ille* Alpagi *correxit suum tex. & dixit* (in quo humor expellitur) *absq; hoc quod dicat ad exteriora, & melius iacet quoniam stantem literã primo modo deciperemur in exponendo eam illo modo quo diximus, unde etiam dicit* (& apparet quod concauitas eius augetur,) *fit enim extensio in dimensionibus, tamen non adhuc facta est exitura, sed postea fit, uerum non in ipso principio, & ideo in hoc multum est falsus* Auic. *oportet quod colligatis flores ex* Auic. *& dimittere spinas, quoniam sæpissime fallit; unde dicam illud quod dicebam quoq; in expositione primæ Fen primi huius, anno elapso, quod in* Auic. *sunt multa capita quæ non sunt digna* Auic. *uerum uos sumatis ex eo utilia, et ea quæ falsa sunt dimittatis, dicit enim quædam in uno cap. quæ dicta sunt ab eodem in*

eodem

eodem quoq; cap. iterum, & hoc est quoniam Auic. ut dixi aliàs composuit hunc librum magnum certe, & mirabilißimum, sed euentu mortis præuentus corrigere eum atq; emendare non potuit, itaq; relictus est nobis incorrectus, quare non est mirandum si idẽ bis repetatur tanquam sui oblitus, quoniam ipse conscribebat sperans se emendaturum, & mirandum est de tanto homine, quoniam quis esset ille tempore nostro & si etiam esset maximus uir qui talem tãtumq; librum componeret, & ita iuuenis, mortuus enim est suæ ætatis anno quadragesimo, quis esset ille quæso? Ego certe aliquando miror & stupidus maneo quoniam certe fuit maximus uir, ideo parcendum est ei, si quando uidetur errare neq; mirum est. (Deinde capacitas cum eo augetur, & distendere postea stat, cum ægritudo ad maiorem peruenit statum in quo esse debet, post incipit minui, tuncque dicitur declinatio, & maturatur pus & declinat eius esse aut ad resolutionem, cum uidelicet materia discutitur, aut ad puris collectionem, cum uidelicet fit suppuratio) *sicut supra declarauimus* (aut ad conuertendum in duritiem cum fit scirrhus,) *postea cum compleuerit dare differentias quoad primũ membrum principale diuisionis, nunc modo incipit declarare quoq; secundum membrum. dictum iam est quæ sint apostemata calida, quotupliciaq;, à quibus materijs generantur, & inquit* (non calida uero apostemata sunt aut de materia melancholica

lica aut phlegmatica &c.) *quasi dicat diximus quod apostematum alia sunt calida, alia frigida, de calidis dictum sit hactenus, dicamus modo de alijs uidelicet frigidis.* (Non calida enim &c.) *idest frigida apostemata aut sunt ex materia melancholica, aut phlegmatica, aut aquosa, aut uentosa, sed hic statim quærendum est cur* Auic. *sit usus nomine priuatiuo, cum dixerit* (non calida &c.) *non autem nomine positiuo ut dixerit frigida autem &c. protulit autem hoc membrum infinito nomine quoniã sunt quædam apostemata, quæ non sunt calida, tamen neque sunt reponenda inter frigida, sicut sunt multa: ideo si dixisset apostematum alia calida, alia frigida, prætermisisset illa, & ita quis potuisset in eum calũniam conferre, quoniam illa neq; sub calidis, neq; sub frigidis poni possunt.* Auic. *ergo uidens id protulit hoc secundum membrum nomine infinito, quoniam nomen infinitum nihil reponit in specie, ideo cum dicit quod apostematum alia sunt non calida, non propter id excepit apostemata quæ non sunt frigida, tamen neque sunt dicenda calida, quoniam si non sunt calida possunt esse modo uel frigida, uel non frigida, quæ tamen calida esse non est dicendum, si protulisset autẽ nomine positiuo, tunc nõ potuissemus ponere ea quæ non sunt calida, neq; frigida, sub aliquo illorum membrorum, & ita fuisset manca diuisio, unde per hoc quoq; posset se saluare* Auic. *à calumnia illata à nobis cũ dixerimus quod male fecit* Auic. *qui posuit cancrum inter frigida apostemata, sicut melius quoq; declarabimus,*

clarabimus, posset enim dicere Auic. ego non reposui inter frigida apostemata, quoniam dixi esse non calidum, non enim propterea dixi esse frigidum, quoniam in eo est non manifestus calor, quoniam etiam adustio occulta fuit, ideo non possumus appellare cancrum esse calidum, sed neq; frigidum, sed ut dixi non calidum, hoc modo ergo posset se defendere Auic. à calumnia cum dixit (non calida autem &c.) *sub hoc autem membro continentur & frigida membrorum apostemata, & media inter calida & frigida, inquit ergo* (non calida autē apostemata sunt de materia melancholica, aut phlegmatica, aut aquosa, aut uentosa,) *ecce quas differentias ponit Auic. non essentiales, cum sumat eas à materia ex qua fiunt ipsa apostemata, ideo sunt differentiæ non referendæ propter quod uidebitis quoque Auic. multa bis repetere & enumerare potius, quod nō est faciendum in bonis & uniuersalibus diuisionibus, & omne hoc prouenit quoniam non sumit differentias à ratione formali. dicebat enim Arist. primo de generatione animalium; qui bene non diuidit hoc est non facit diuisionem per membra formalia opposita, contingit ei idem bis repetere, ideo Auic. non debebat diuidere frigida apostemata, quoniam alia sunt quæ fiunt à melancholia, alia à pituita, alia ab aqua, alia uero à uento, sed melius fecisset, si hoc modo diuisisset. Apostematum frigidorum alia sunt dura, alia mollia, postea iterum sumere primum membrum hoc est apostematum frigidorum durorum, alia sunt dura cum nigredine,*

gredine, alia cum albedine, ecce enim quomodo diuisio ista facta est per differentias essentiales & formales quantum possibile est, sed apostemata frigida dura cum nigredine sunt postea illa quæ generantur ex materia melancholica, quæ uero cum albedine generantur à materia pituitosa. Deinde sumatis secundũ membrum huius diuisionis, & diuidatis hoc modo, si apostemata fuerint frigida mollia tamen tunc aut cedunt tactui; ita quod cum tanguntur remanet fouea, aut non remanet fouea, cum tamen cedant tactui, si primo modo tunc fiunt à materia aquosa, si autem secundo modo tunc fiunt à pituita non indurata tamen, sed durorum etiam apostematum alia sunt cum sonitu cum uidelicet tanguntur, alia uero sine sonitu, cum sonitu sicut tympanitis, sine sonitu sicut sunt multa alia, hoc modo debet fieri recta diuisio per membra opposita formalia non autem per materiam distinguere apostemata, unde si eo modo diuideremus, uidelicet materialiter idẽ bis diceremus sicut dicebàt Arist. & quod hoc modo sit uerum audiatis Auic. in quas tricas deuenerit, intricat enim seipsum potius quàm explanet unde dicit, (Et illorum quidẽm quæ ex materia sunt melancholica tria sunt genera durities, cancer quorum plurimum sunt acuta, & glandularum genus ex quibus sunt scrofulæ & nodi &c.) *Dicit ergo quod apostematum frigidorum generatorum ex melancholia tria sunt genera, cancer, durities & glandulæ. uerũ est quidem quando reponitur cancer inter apostema*

ta dura frigida, sed non recte facit postea cum reponat illum inter apostemata melancholica, hoc est generata ex melancholia, quoniam ueniamus postea ad aliud membrum diuisionis suæ hoc est quod apostemata alia sunt à materia pituitosa, tunc enim oportebit eum quoq; idem repetere, quoniam cancer non solum generatur ex materia melancholica, sed etiam ex materia pituitosa, sic quoq; durities fiunt à pituitosa materia, & glandulæ sicut dicit ipse generari ex melancholica, quod autem durities fieri poßit tam ex melancholia quàm ex pituita, habetis apud Gal. in v. de simplicium medicamentorum facultatibus cap. 7. & 8. & in illo 7. cata geni, sed quando fiunt à pituita tũc fiunt cum pituita capit musculos ipsos & partes adenosas, sed cum fiunt apostemata à melancholia, tunc sunt magis cãcerosi, ecce quomodo recte doceat Gal. docet aliquid credite mihi homo ille diuinus per rectã diuisionem non se intricando, ponit enim ibi primo unum genus uidelicet durities fieri ab humoribus frigidis, postea ingeniosißime peruestigat quot sint humores frigidi, tuncq; inuenit tantum duos esse humores frigidos, uidelicet pituitam & melãcholiam, ideo durities cum fiant ab humoribus frigidis, uel non fient ex pituitosa, uel ex melancholica, ecce quæ diuisio optima huius nominis, sed Auic. cogitur idem bis dicere, quoniam sumit differentias illas ab ipsa materia, non autem à rationibus formalibus, ideo non sunt semper ista apostemata ex materia melancholica, sed aliquando etiam à pituitosa. Sed hic unum notetis quod

est

est multum difficile, & ita quidem difficile, ut isti expositores nihil dicant de hoc, sed omnes illud prætermittunt, quoniam nesciunt quid sibi uelit Auic. *cum inquit* (quorum plurima sunt autumnalia,) *sed siue modo litera arabica habeat autumnalia, siue alio modo, ego nescio, quoniam non uidi neque enim peritus sum illius linguæ. unum est quòd id aduertens quoq;* Andreas Alpagi *cum non uideret quomodo stare posset autumnalia, emendauit suum tex. & dixit* (quorum plurima sunt acuta,) *uel hoc fecit suo cerebro, uel ita iacet litera ego nescio, neq; mihi placet illa prima litera. Sed stante litera* Andreæ *insurgit postea dubitatio, quoniam dicit quod sunt acuta, tamen non solum non sunt acuta ista apostemata; sed etiam sunt chronica, imo chronicissima si liceat dicere; quid ergo dicemus ad hoc?* Dico *ad hoc quod quotiescunq; scirrhus à melancholia, & cancer tentantur curari, semper deterius se habent, de scirrhis simplicibus dicit hoc* Gal. *qui quidem pendent à melancholica materia, quoniam quanto magis curantur, tanto quoq; duriores fiunt & asperiores, & consequenter peiores, ita quod postea non possunt curari, sic quoq; cancri fiunt incurabiles quanto magis exasperantur, exasperantur autem uolendo curare eos, quod quidem experientia quotidiana comprobatum esse puto, unde bene quoq; propter hanc causam moderni nostri medici appellant eam noli me tangere, quia uidelicet si me tanges peior fiam noli me tangere, ob hanc causam durities, siue scirrhi & cācri dici*

possunt acuta apostemata secundū literam And. quoniam non solum appellamus morbos acutos qui sunt præcipites citiq; in suis progreßibus, ut dicitur de morbis illis acutis, de quibus Hip. *sed etiam dicuntur* ὀξεῖς *illi morbi qui quidem sunt præcipites ad deueniendū in ultimam sui pernitiem qualibet minima causa; unde quia cancer scirrhiq; minima aliqua causa tacti deueniunt in extremitatem malam ideo recte possunt apostemata acuta* ὀξεῖ, *quare recte dicebat ille mite tractes cancer, & hoc modo quoq;* Hipp. *appellauit tempus acutum* ὀξὺ, *idest præceps tam ad bonum quam ad malum in primo aph. tex. primo. Vita breuis, ars longa, tempus acutum; hoc modo ergo cancri & durities dicuntur acuta, quoniam sunt præcipitia ad malitiam si tãgantur a minima causa leuiq;, sicut exempli gratia nos quoq; appellamus hominem acutum, qui quidem minima causa tactus præceps est in iram, unde caueas hominem acutum hoc modo dixit* Auic. *quorum plurima sunt acuta, nolite ergo aggredi curationem cancrorum nisi mite. Postea inquit* (Et glandularum generis ex quibus sunt scrophulæ & nodi.) *Oportet quod declaremus quid sint istæ glandulæ, quoniam isti uestri medici nesciunt certe quid sint; glandulæ ergo sunt apostemata parua in corpore humano, pro quo notate primo sicut supra quoq; diximus, quod in corpore nostro sunt quædam partes glandosæ dictæ à Galeno carnes glandosæ, quæ sunt humidæ, ideo faciliter possunt intumescere & a quacunq; leui causa, possuntq; intu*

mescere

mescere propter quamlibet materiam, propter quã intumescunt quoq; aliæ partes corporis, cumq; istæ partes intumuerint illi tumores siue apostemata parua dicuntur scrophulæ, à Græcis uero χοιράδες, strumæ quoque alio modo nominantur a nostris, sed cum fiunt quædam durities etiam in toto corpore, ita quod tamen sint in spatio illo intra cutim & carnem, tunc dicuntur nodi, & possunt generari ab eadem materia a qua & strumæ ipse. sed sciendum quod ali quando habent folliculum proprium, aliquando autem non, & glandulæ quidem sunt exituræ siue abscessus, apostemata autem sunt cum nondum materia exiuit intra spatium illud, sed sicut diximus cum deuenerit in illud spatium materia fecertiq; exituram abscessus nominatur, & hoc modo sunt ipsæ glandulæ, tamen abscessus sunt frigidi, quoniam a materia generantur frigida, sed istorum abscessuum alij sunt duri, alij molles; dicamus primo de duris. istorum ergo abscessuum durorum, alij habent proprium folliculum alij uerò non habent, qui habent proprium folliculum qui ut diximus generantur, aut a materia pituitosa, aut a melancholica, sed cum habent proprium folliculum dicuntur nodi, cum uero illum non habent dicuntur glandulæ, quæ figuntur in ipsa cuti separatæ tamen a substantia membri, cum ergo habent proprium folliculum aliquando fiunt maximi nodi, qui postea extirpari solent, sicut quoq; habebat Excellentißimus Dominus Franciscus Frizimelega, *dicuntur autem uulgo tales nodi natæ, qui curauit sibi inciden*

dam cum ipsa quoque proprio folliculo, habebat autem eam in capite et sanatus est sicut uidetis quotidie eum, ideo cogetur etiam Auic. uenire ad hanc diuisionem, sed modo quodam intricato oportebat enim afferre solum hanc distinctionem, non autem communi uocabulo appellare glandulas istos duos abscessus, sed debebat dicere aut sunt cum certo proprioq; folliculo, & sic dicuntur nodi, aut sine proprio folliculo & sic sunt glandulæ, & eo modo rectam dedisset distinctionem nobis.

LECTIO XXII.

DICEBAT in superiori lectione Auic. secundum membrum diuisionis principalis, quod (Apostemata alia sunt non calida,) cum iam tractasset de primo & iam diuisit hoc secundum membrum per quatuor materias, ex quibus fieri possunt talia apostemata non calida, alia enim a materia melancholica, alia a phlegmatica, alia ab aquosa, alia uero a uentosa, postea sumpsit adhuc primum membrũ huius diuisionis, hoc est quod alia fiunt a materia melancholica, & in hoc genere posuit tria genera apostematum, duritiem, cancrum: & glandulas: de scirrhis & cãcris dictum est a qua materia generari possunt, nunc dicamus quoque de glandulis ex qua materia fiunt, sicut de duritiebus & cancris. Dico igitur quod glandulæ fieri possunt tam a materia pituitosa, quam a melancholica, ideo non bene fecit Auic. qui posuit illas in genere illorum apostematum, quæ fiunt

ex melancholia, quoniam cogetur postea idem bis dicere, glandulæ autem sunt quædam apostemata quæ generantur in spatio illo intra cutim & carnē, fiūtq; ex materia dura frigida, neq; enim debemus curare an fiant à pituita, an a melancholia, cum ab utrisq; poßint generari, tamen secundum formam differunt, sicut uidebitis infra, sed scirrhus, siue durities sunt apostemata dura quæ poßunt fieri in quocunq; membro ipsius corporis, quæ tamen habent omnes gradus quos habere debent omnia apostemata, sed glandulæ non habent illum primum gradum, quòd uidelicet sint apostemata, sed solum sunt absceßius qui fiunt in illo spatio carnis & cutis, neque habent locum determinatum quoniam ipsi substantiæ membri non miscentur, tamen adhærent ipsi superficiei intrinsecæ membri, sin autem permiscentur toti substantiæ membri, aliæ tamen sunt glandulæ quæ solum continentur in superficie extranea, hæc est differentia quam dat Auic. *in præsentia inter glandulas, & illa alia duo genera, hoc est durities & cancros quando ait, inter genus uero glandularum, & inter alia duo genera est differentia, eo quòd genera glandularum sunt separata ab eo, in quo stant, sicut glandulæ puræ aut superficiei eius sunt retentæ tantum, sicut scrofulæ, sed illa alia sunt mista & infusa in * membri in quo stant, sed aduertatis quoniam uidetur maxime intricatus hic* Auic. *quem nos secuti sumus huc usque in expositione eius, hic modo uidetur esse maxima cō fusio, quoniam si modo uerum est quod glandulæ sunt*

illa

illa apostemata quæ contingunt omnibus partibus adenosis & glandosis, tunc non uidetur esse uerum illud quod dicit hic Auic. quia istæ glandulæ non solum adhærent ipsi superficiei membri, sed etiam permistæ omnino sunt toti substantiæ membri, neq; hoc negari potest, quoniam uidetis hoc patere sensui, quare uidetur quod Auic. nunquam uiderit istas glandulas, neq; eas cognouerit: sunt enim in tota membri substantia permistæ ipsarum partium adenosarum, neque possunt contingere alijs partibus corporis quàm istis glandosis, sed tamen potißimum fieri solent in adenis colli, siue Gulæ, & ratio huius esse potest, quoniam cerebrum est frigidißimũ membrum, ideo uapores ad se transmissos non potest ita aliquando concoquere, quare multa relinquuntur excrementa quæ postea transmittit ad emunctoria sua, cum uelit se purgare, non potens sustinere talia excrementa, sed emunctoria sua non sunt nisi partes illæ adenosæ colli, ideo transmittit sua excrementa ad illas & ita fiunt glandulæ, quoniam autem sæpe transmittit, ideo sæpe quoq; fiunt glandulæ in illis partibus. Ex quo apparet iam quomodo differentia quam dedit Auic. non est bona, cum inquit (quod glandularum aliæ sunt nodi, aliæ uero scrofulæ) *nam nodus alius est qui dicitur à Græcis γάγγλιον. prouenit autem propter laborem ipsum, cumq; tanguntur sunt duri, neque differunt à scirrhis in ipsa materia, ita quod nodi sunt scirrhi, sed differunt hoc modo inter se, quoniam dicuntur nodi*

propter

*propter ipsum locum, quoniam dicebat Gal. nodos fieri circa chordas, neruos, & musculos, & adhærent in superficie, & potius dicamus quod sunt quædam callositates, ex quo sumatis illum Manardum deceptum fuisse, quoniam uoluit γάγγλια idem esse cum ijs quæ Arabes nominant * iam ego puto uos audiuisse et intellexisse quid sint glandulæ quidúe nodi, accedamus modo ad reliqua quæ dixit Auic. in tex.* (Inter genus uero glandularum & inter alia duo genera est differentia, eo quod genera glandularum, &c.) *Notetis quoniam Auic. uult ponere differentiam inter illa tria genera apostematum numerata per modum cohærentiæ,* Et *ita facit duas partes, in una quidem ponit differentiā inter glandularum genus & alia duo, in altera uero ponit differentiam illorum duorum inter se, sed falsum est illud quod fiant solum a melancholia, sicut diximus; dicit ergo quòd glandulæ differunt à cancro, & à scirrho, quoniam glandulæ non miscentur toti substantiæ ipsius membri, sed aliæ adhærent ipsi, aliæ uero omnino separatæ sunt ab illius substantia, suntq; in cute hoc est in illo spatio intra carnem & cutim, quæ omnia iam sunt declarata, sed illa duo miscentur toti substantiæ membri, & hoc est quod ait* (inter genus uero &c.) *Ponit deinde differentiam inter cancrum & scirrhum, quem* Arabes *quandoq; consueuerunt appellare sephiram, & inquit.* (Et inter cancrum & duritiem est differentia, quoniam durities est apostema quie-

tum, sedatum, destruens sensum, permanés in membro in eodem statu, cum quo non est dolor scirrhus non augetur, non diminuitur, non sentitur, quoniam non dolet membrum immobile,) *sed de cancro quid dicat audiatis* (& cancer est mobilis, addens, lædens, & habens radices innexas ipsi membro, neq; oportet ut per ipsum destruatur sensus, nisi elongatum fuerit eius tempus & mortificet eius membrum, & destruatur eius sensus, cácer ergo augetur, diminuitur, est enim mobilis quoque & dolet nisi quando deuenerit ad mortificationem, sed postea tunc non est cancer, sed Gangræna potius, estque inquietus,) *sed circa hoc quod dicit scirrhum destruere sensum, dico quòd non est de essentia ipsius scirrhi q destruat sensum, bene dicere uerum est quòd scirrhus est incurabilis, neq; membrum patiens ipsum dolet, tamen propterea dicendum non est quod destruat sensum, quoniam aliud est quod in scirrho membrum non sentit, aliud uero quod scirrhus omnino destruat sensum ipsius membri, nam differt non sentire à destrui, ideo cum legimus Auic. oportet quod nos cribremus eum, quoniam multa quidem bona dicit, sed etiam multa mala falsaq; permiscet, sed dicet proptea aliquis ex uobis, cur ergo legis Auicennam? dico quòd ego lego quia melior est author omnibus qui sit dignus expositione, & si multa falsa dicat, quem enim reperiemus legendum præter Auic. ex his qui*

conscri-

conſcripſerunt à Galeno in quo ſint tanta bona quanta in ipſo Auicennæ: neq; enim poteritis aſſequi Gal. quoniam qui debet eum aſſequi, oportet habere aliũ altiorem diſcurſum quam ueſtros, neq; enim quilibet poteſt aſſequi ipſum. ſed redeamus modo ad propoſitum noſtrum, (cancer quoque habet radices ipſas fundatas quoniam pendet à materia melancholica) *in hoc enim tantum uerum dixit Auic. de cancro ponendo ipſum in hoc membro diuiſionis, quod fiat uidelicet à materia melancholica, habetq; tales radices quodam modo nigras & inuolutas, ita quod uidetur eſſe animal, quoniam eſt mobilis & proprie poteſt aßimilari ipſi cancro aquatico animali, ob id etiam exiſtimandum eſt appellatum eſſe cancrum, uerum diximus eum habere nõ ſolum radices, ſed adiunximus fundatas, eáq; de cauſa difficillimus eſt curatu, nam ſunt radices magnæ, & ideo oportet, ſi curari debet, omnes illas radices omnino deſtruere, quoniam ſi minima relicta fuerit, periculum imminebit ne iterum accedat, & quia difficillime omnes extirpantur, ideo difficillime quoq; curatur, & cum deuenerit ad mortificationem ipſum membrum, tunc deſtructio ſenſus cauſatur, ſicut cum ſcirrhus omnino induratus eſt ita quod in omnimodam lapidoſitatem deuenerit deſtruitur ſenſus, & ratio huius eſt, quia cum eſt omnino induratum ipſum membrum, tunc ſenſitiua qualitas pertranſire non poteſt, ideo neq; poteſt fieri ſenſatio. iſte homo poterat facere differentias quas nos diximus ſupra, neq; proceßiſſet hoc modo*

confuſo,

confuso, nunc cogitur modo etiã deuenire ad ea, quæ omnino dicenda erant in principio & in toto hoc tractatu pertinentia, quoniam & si cancer & scirrhus essent idem per materiam, quoniam fiant ab eadem materia, tamen differre dicendum est per eorum accidentia essentialia & inseparabilia, saltem cum per differentias substantiales differre non poßimus cognoscere, nam cum ultimæ differentiæ rerum latent, sicut docebamus nos quoq; supra, possumus uti accidentibus inseparabilibus ad diuisionem ipsarum rerum, & hoc est quod inquit in litera. Deueniamus modo ad alia, dicit Auic. (apostemata uerò dura melancholica plerunque &c.) *Dicit quod scirrhi aliquando fiunt incipiendo, aliquando autem non incipiendo, sed cum eos antecesserit aliquod aliud apostema, sed sæpius fit scirrhus non incipiendo, raro autem fiunt incipiendo, quoniam ut plurimum ipsos antecedit erysipelas, ita quod erysipelatæ mutantur in scirrhos sicut dicebat Gal. in illis lib. 13. & 14. methodi medendi, & in illo secundo de arte curatiua ad Glauc. aliquando etiam inflammatio præcedit eos, ita quòd cum curare uolueritis eam applicetis medicamenta uel infrigidantia, uel calefacientia, tunc enim induratur ipsum membrum ex quibuslibet istorum, & hoc modo fit scirrhus, per calefacientia quidem resoluendo induratur, per infrigidantia uerò congelando & cõstipando, sed etiam si sæpe erysipelas mutetur in scirrhum, tamen sæpius euenit quod scirrhi fiant præcedentibus phlegmonibus, hoc est inflammationibus,*

tionibus, ſicut inquit in tex. Auic. *quoniam in inflammationibus ſanguis dominatur, ſed ſanguis faciliter mutatur in melancholiam, cuius rei ſignum eſt, quòd illi qui ſunt ſanguineæ naturæ ſunt ſæpius facti melancholici, nam cum ſanguis ſit facilis conuerſionis in melancholiam, in ſanguineis autem ſanguis dominatur, ideo facillime quoq; ſanguinei uertuntur in melancholicos, ſicut nos uidimus ſæpius multos* Venetijs *præcipue & inſignes quidem uiros, præcipue tamen quendam medicum inſignem, qui ſit autem iſte credo quòd ſint hic aliqui, qui me intelligant, & hæc eſt cũ hoc quandoq; contingit in phlegmaticis.* Ecce quomodo Auic. *cogitur tandem deuenire ad id, quod nos ſupra declarauimus, quod maxime inconuenit in ſcientia diuiſiua, nam repetit idem bis, cum enim poſuerit ſcirrhum inter melancholica apoſtemata, nunc modo uult quoq; ponere ipſum inter phlegmatica, quod facere non cogeretur ſi diuiſionem perfeciſſet eo modo quo dicebamus, ſed tamen hic quis poſſet eum defendere, quoniam & ſi uideatur contradicere* Gal. *tamẽ non propter hoc damnandus, quoniam ipſe fuit in ea opinione contra* Gal. *ideo manens in ſuis principijs iam iactis, aliter dicere non poterat, nam uult ipſe in prima* Fen *huius primi, ſicut anno elapſo exponebamus, quòd melancholia poßit fieri ex phlegmate, quã do uidelicet phlegma exiccatur tunc enim uertitur in melancholiam, ideo cum poſuit ſcirrhum inter apoſtemata ipſa melancholica non male fecit, quoniã non fit à phlegmate immediate, ſed ſolum ex melancholia,*

lia, quoniam si fiat à phlegmate tamē mediate fit, quoniam phlegma uertitur primo in melancholiam, per exiccationem ipsius. quare Auic. *& si contradicat Gal. tamen non est damnandus, quoniam stat in suis principijs, eiusq; fuit opinionis, ideo dico quòd non possemus nos destruere ipsum, quatenus ad hoc quia in hoc contradicat Gal. & alijs Græcis, qui à Gal. cō scripserunt, sed oportet primo tollere ipsius principia, & destruere illius positionem, quo ad principia, postea de se tolletur quoq; hoc quod sequitur ex illa positione, sicut memoria tenere debetis. credo quod sciatis me anno elapso cum legerem illam primā* Fen, *in qua posuit illam suam opinionem, destruxisse illam, & ei contradixisse, quoniam contradiceret ipse Galeno, & Græcis alijs authoribus, & ipsi sensui ueritatiq;, plurimaq; argumenta ad hoc adduximus, primo quidem, quoniam melancholia non potest fieri ex phlegmate exiccato & consequenter indurato, ratio huius est quia melancholia, quanto magis induresscit & exiccatur tanto magis nigrior fit, sed quanto magis pituita ipsa induratur tanto magis albior fit, ideo ex pituita indurata non potest fieri melancholia, secundo dicebamus quod hoc contradicit sensui, quia si illa potest esse uera sequetur quod podagra & multi alij morbi tales fierent omnes ex melancholia, & essent cancerosi, tamen fiunt à pituitosa materia, cū hæc sint inconuenientia, ergo & illa positio falsa est, ex qua consequantur multa alia quæ adduxi ad hoc argumenta, quæ cum iam dicta sint alio loco, non puto*

to referenda esse in præsentia, sed tantum ista sufficiant pro incitandis premonendisq; ingenijs uestris, ut sciatis principaliter esse falsa, & ista quæ consequuntur ex principijs, remitto enim me ad primam Fen lectam. Dicit Auic. (phlegmaticorum uero apostematum genus in duas diuiditur species &c.) *nunc modo ex quo distinxit differentias apostematum frigidorum generatorum ex melancholica materia, consequens est ut dicat de differentijs generatorum ex phlegmatica, & cogitur idem bis dicere, quoniam non sunt bonæ differentiæ, quas ipse posuit hic, neque formaliter sumptæ.* Et uideatis *quæso quam differentiam det hic homo, inquit enim quod apostematum phlegmaticorum, alia sunt laxa, alia uero glandulæ molles, ista autem apostemata laxa sunt sicut œdemata à uulgaribus dicta undimiæ, quæ sunt apostemata mollia, quoniam cum tanguntur cedunt & remanet quædam fouea, sed uideatis modo quomodo erret hic, quoniam appellat talia apostemata laxa, si enim per laxa intelligat quæ quidem non cedunt, sed cum tanguntur resiliunt & dissiliunt sicut sunt aquosa, aqua enim cum premitur tactui nõ cedit, sed dissilit, ita quòd in ea non remanet aliqua fouea, tunc dico quod nugatur, & idem bis repetit ut patet, si autem per laxa intellexit mollia quæ cedunt tactui, tunc transgressus est suum genus, quoniam non solum mollia sunt laxa, sed alia quoq; apostemata quæ non sunt mollia, quare per laxa non solum possumus intelligere magis mollia, quàm nõ mol-*

lia, ſed quomodocunque ſit ſatis eſt quod diuiſit ſuo modo, credatis mihi. Et diſtinguit apoſtemata laxa à glandulis, quas ſupra poſuerat inter apoſtemata melancholica, ecce ergo quomodo iterum cogatur ponere quoque glandulas inter phlegmatica & inquit. (Et hæc quidem differunt quoniam glandulæ ſunt ſeparatæ & inuolutæ in coopertorio, & apoſtema laxum eſt miſtum & non ſeparatum,) *ideſt glandulæ ſunt inuolutæ in proprio coopertorio, habent proprium folliculũ, oblitus ſui Auic. qui poſuit ſupra glandulas eſſe cum non habent proprium folliculum, ſed pro eo ſaltem dicẽdum eſt quod intellexit omnes abſceſſus illos, qui quidem generantur ex phlegmate, & continentur in ſpatio intra cutim & carnem, habentes proprium folliculum, quiq; ſunt molles ut ſunt apud Græcos illa tria genera apoſtematum* μελλικηρὶς *in quo materia exiſtens ſimilatur melli & ceræ,* ςεατῶμα *in quo eſt materia ſimilis farinæ &* ἀθερώματα *quæ omnia dicuntur in genere* σήματα, *quæ ſunt apoſtemata laxa, quæ fiunt ex materia putrefacta, imo aliquando eſt tam putrefacta ut dicebat Gal. in lib. illo de tumoribus præter naturam, quod in ipſis inueniuntur multæ res putres ſicut oſſa, pili, ligna, et talia, quod non proueniret niſi quando materia eſt ſatis putrefacta, et quo etiam poteſtis uidere aliquando homines qui male uiuunt, et mulieres habentes malos humores in uentriculo ſæpe euomere oſſa, ligna et huiuſmodi miranda uulgaribus. Sed neſcio quomodo iſte homo inculcauerit*

uerit differentias sumptas à tempore, quæ potius dicendæ erant postea, attinent enim ad particularem praxim non ad hanc uniuersalem speculationem, dicit ergo (apostemata præterea hyemis plerunque sunt phlegmatica, ita ut illorũ quæ sunt calida sunt coloris albi.) *Dicit quod apostemata quæ contingunt in hyeme sunt potius de genere phlegmaticorum, quam aliorum, quoniã hyeme phlegma dominatur iuxta illud quoq;* Hipp. *in tertia particula aph. neq; enim fierent phlegmatica præter aliquam rationem in hyeme sæpius quàm alijs temporibus, & quàm alia in hyeme generentur, dicimus autem hoc esse in causa, quoniam abundat pituita tempore hyemali, postea inquit* (& glandulæ quidẽ & his similia a nodorum differunt nodositate, eo quod nodòsitas magis fit in suo loco mansiua, & eius tactus nodosus sentitur, & cum figendo tangitur, spargitur & ad suum locum redit,) *nodi ergo qui à Græcis dicuntur* γάγγλια *habent istas conditiones alias ab ipsis glandulis, quod adhærent ipsi membro, sed præcipue neruo, chordæ, & ideo etiam cum tangitur cedit non nisi quia & subiectum in quo est spargitur & cedit uidelicet nerui & chordæ, sed postea redit ad pristinum locum remoto prementi, & cum forti medicamine spargitur absq; comprehensione non redit, & plurimum eius accidit propter laborem, & destruitur propter ponderositatem, sicut plumbum & eius similia; per repercutiẽtia ergo aggrauantia, & pre-*

mentia medentur isti nodi, sed hic non possum non notare illud erratum nostrorum modernorum medicorum, qui uidentes medicos antiquos super nodos imponere ponderantia sicut plumbum, ipsi postea conuerterunt se quoq; ut imponerent ipsis scrofulis, cum tamen debeamus cauere ne imponamus ipsis scrofulis, & calida & frigida, calida quidem nimium resoluendo indurant (sicut supra quoq; dictum est) frigida uero exprimendo illud quod est humidum, & ideo indurant, exiccantq́;, bene acceperunt isti imponendum esse plumbum ipsis nodis ab antiquis medicis, sicut ab Auic. *hoc in loco, ratio autem huius est quia cum nodi permaneant in eodem loco, & adhæreant ipsi membro, ideo per aliquod imponderans impositum facile possunt dißilire & ita sanari, sed in scrofulis & alijs apostematibus est nē agendum hoc ? credite mihi quod requiritur aliud medicamentum quam plumbum, quoniam non solum adhærent ipsi membro, sed mista sunt toti substantiæ membri, neq; per aliquod ponderans possunt dißilire, sed oportet quod alia moliamur medicamēta.* Et *quæso uideatis quàm inepte deuenerint in hanc fatuitatem, quoniam uiderunt glandulas, seu scrofulas esse duras, & nodi sunt duri, ideo non solum possumus imponere ponderantia nodis, sed etiam ipsis scrofulis, ò pulchrum, ò bonam dialecticam didicerunt isti, ecce enim quomodo arguunt in secunda figura duabus propositionibus affirmatiuis, quod quidem quantum sit absonum scitis ex* Arist. *nam ita arguunt, isti nodi sunt duri, & eis conue=*

conueniunt ponderantia ad hoc ut dissoluantur, sicut plumbum, & consimilia, sed scrofulæ sunt duræ, ergo scrofulis idem conueniet quod nodis, ita quod uni conuenit, oportet etiam alteri conuenire, ò pulchrũ argumentum, uideatis quæso; non enim uident quod & si ambo sint dura, tamen nodi adhærent solum ipsi superficiei membri, sed scrofulæ sunt mistæ substantiæ membri, ideo requirunt alia medicamenta quàm plumbum.

LECTIO XXIII.

DICEBAMVS *quemadmodum* Auic. *circa diuisionem apostematum frigidorũ per materias tandem coactus fuit idem bis dicere secundum uerissimã regulam ipsius* Aristot. *datam, ideo ne cogamur nos idem bis repetere, nisi forte gratia doctrinæ facilioris, uolo hoc mane dare completam diuisionem ipsorum apostematum frigidorum, non per materias ut* Auic. *sed per differentias non dicã essentiales sed saltem propinquas ipsis essentialibus; dicamus igitur omne apostema frigidum aut resistit tactui, aut cedit; ecce quomodo datæ sunt istæ differentiæ à modo ferè essentiali & necessario, a naturali uidelicet potentia & impotentia, & est propinqua diuisioni essentiali; postea sumatis illud primum membrum, si resistit tactui, uel est cum sonitu, uel est sine sonitu, si est cum sonitu tunc est durum & flatuosum, quoniam repletur flatu, & ita facit duritiem. nam superius dicebamus posse fieri tripliciter durum aliquid secundum ip*

ſum Galenum uno modo per exiccationem & areſa-ctionem, ſicut lignum, alio modo uero per congela-tionem ut eſt aqua cum congelatur, fitq; glacies, ſed neq; his modis dura ſunt iſta apoſtemata, ſed tertio modo, cum uidelicet repleantur, & per illam reple-tionem indureſcunt, nam repleretur flatu, hoc autē proprium habet flatus, ut cum aliquid ſit eo repletū, ſonet. Quare cum uidebimus apoſtemata cum ſoni-tu, tunc dicemus ea dependere à flatu, ſicut patet in ſpecie hydropis quæ appellatur τυμπανίτις, quæ per illum ſonitum diſtinguitur ab hydrope aquoſa, ſi-cut uidebimus quoq; melius infra, ſi autem non eſt cū ſonitu, tunc aut eſt cum extenſione cutis, aut eſt ſine extenſione cutis, quoniam ſi non ſonat tamen eſt du-rum, tunc oportet quod ſit aut cum extenſione cutis, & tunc aut ſonabit .i. flatuabit, aut fluctuabit, ſicut aqua, aut non fluctuabit, ſi fluctuabit tunc eſt aquo-ſum apoſtema, ſi non fluctuabit tamen eſt durum, tūc eſt pituitoſum .i. generatum ex phlegmate craſſo ui-ſcoſo, nam quoniam pituita illa replet ideo durum eſt etiam cum extenſione cutis, tamen quia uiſcoſa & ui ſcida eſt, ideo adhæret ſuperficiebus uacuitatis illius, & propterea non fluctuat, & iſtud eſt primum mem brum; poſtea ſumatis ſecundum, uel eſt ſine extenſio ne cutis, tamen reſiſtit tactui, tunc ergo aut exaſpe-ratur ipſis medicamentis adhibitis, aut dulceſcit, ſi exaſperatur, tunc ſignum eſt quod fit à melancholica materia, ſi autem dulceſcit tunc fit à materia pituito-ſa craſſa. his uiſis ac expeditis ſumamus modo ſecun-dum

dum membrum principale ipsius diuisionis, (uel cedit ergo tactui,) *si ergo cedit tactui, uel retrocedit, uel dissilit, sed si quis dicat non te intelligo, declaro tunc me intelligere apostema cedere, retrocedendo, cum uidelicet tangendo facit foueam, per dissilire uero ego intelligo quando uidelicet non retrocedit, sed refugit & dissipatur, neq; remanet fouea, sicut exempli gratia dicimus aquam dissilire, tamen non retrocedere, quoniam cum eam premimus dissipatur, & facimus quidem foueam, ita tamen quod remanet illa, & tunc habet diuersam materiam ab eo quod retrocedit; si retrocedit, uel est cum fluctuatione, uel sine fluctuatione, si est sine fluctuatione & cedit tactui neq; est cum extensione cutis, tunc generatum est ex uentosa materia, si autem est cũ fluctuatione tunc generatum est ex materia aquosa, si dissiliunt tunc sunt aliqua aquosa.* Ecce modo quæ *diuisio sit ista perfecta, habetis enim hic differentias omnes apostematum frigidorum, neq; sunt plures neque pauciores, siue modo sint glandulæ, siue alia quælibet apostemata, ideo necessarium erat diuidere per accidentia inseparabilia propinqua differentijs ipsis essentialibus, & formalibus, si uolebamus seruare rectam doctrinam diuidendi, non autẽ diuidere per materias sicut fecit* Auic. *sed nunc reliquum est quoniam sumus interpretes* Auic. *ut repetamus cum ipso modo* Auic. *qui inquit.* (Et tibi quidem sciendum est quòd apostemata phlegmatica diuersificantur secundũ diuersitatẽ grossitiei phlegmatis.

matis & mollitiei ipsius &c.) *Ecce quomodo cogatur Auic. repetere & enumerare potius quàm diuidere, & in eundem scopulum incidit sine utilitate, omnia enim ista poterat comprehendere sub membris diuisionis à nobis traditæ, dicit enim quod phlegmatica apostemata differunt secundum qualitatẽ materiæ ex quibus fiunt, quia aliquando illa pituita est mollis, aliquando dura, aliquando subtilis & laxa, dura autem aliquando ita ut melancholicis assimilentur, quandoq; autem uentosa, postea inquit* (phlegma præterea subtile multoties descendit in rheumatismis in uacuitatem, quæ est in uillis neruorum, ita ut perueniat ad musculos qui sub epigloto, & ad ea, quæ sub istis &c.) *Dat nunc quasdam differentias apostematum particulares quæ ad præsens negotium non attinebant sumptas à locis in quibus fiunt apostemata, neq; enim debebat ponere eas hoc in loco, sed referendæ erant postea in tertio & quarto lib. ubi de his tractat particulariter; sed aduertatis quod apud Arabes idem est epiglotis, quod apud Græcos larinx, quæ est composita ex tribus ossibus siue cartilaginibus, sicut uidistis in anatome præterita. inquit ergo Auic. quod aliquãdo descendit phlegma subtile ex capite & deueniens per epiglotum uenit tandem ad musculos ipsius epiglotidis, & ibi fiunt apostemata: uidete quæso quæ differentiæ sint istæ: nam si uellemus dare omnes differentias quæ dici possunt, sumptæ uidelicet à particularibus, ingrederemur magnum pelagus, ita quod non*

non possemus diuidere sed potius esset narrare per historiam & enumerare, tamen placuit Auic. ponere hic istas aliquas differentias, ex quo autem ipse non dederat primo essentiales differentias, ideo cogitur historice numerare: inquit ergo (Aquosa autem apostemata sunt sicut hydropisis, hernia aquosa, & sicut apostema quod accidit in craneo de aquositate & similia, & cæt.) *Hoc modo scire non est scire a natura rei Domini, debetis autem scire quod hernia est tumor aquosus qui generatur, quando uidelicet exempli gratia aqua descendit in ipsum scrotum, tunc enim inflatur scrotum & apostematur, a Latinis autem nostris dicitur ramex. Quæritur ergo, cum est ramex non aquosus, sed uel intestinalis, uel omentalis, sub quo genere sit reponendus, siue sub qua differentia, non enim possum uidere sub qua differentia reduci poßit earum, dico, quæ datæ sunt hic ab Auic. non enim potest dici apostema sanguineum, non pituitosum, non melancholicum, non biliosum, non aquosum, non uentosum; sub quod ergo ponetur? uidetur ergo quod sit alia quoque differentia, quam non numerauit Auic. dico ergo quod scire debetis ramicem, siue intestinalem, siue omentalem esse morbum non compositum, sed simplicem, in genere uidelicet compositionis, & in situ quidem, est autem tunc morbus in situ, cum aliquod membrum mutat suum locum & cedit ad alium locum, sic quoq; in ramice omentoso omentum ipsum mutat suum locum, & descendit*

dit in ipsum scrotum, in intestinali uero intestina. & ideo cum sint morbi simplices in situ non sunt apostemata. sic propemodum dicamus quod ramex carnosus non est apostema, sed est simplex morbus in genere compositionis, & in magnitudine ipsa, nam magis excrescit scrotum quàm oporteat; quare ad dubitationem respondetur, quòd non reducuntur sub aliquod illorum genus apostematum, cum non sint apostemata, sed morbi simplices. Sed Auic. *bene dixit herniam aquosam esse apostema, & sicut apostema quod accidit in cerebro dicebat* Auic. *congregatur enim acquositas illa in cerebro, & ita facit apostema; sed præcipue hoc euenit in pueris. possibile enim magis est quod aqua illa colligatur in cerebro puerorum, quàm in aliorum cerebro: Et ego uidi aliquando pueros laborantes tali apostemate, qui habebant maius caput quam reliquum totius corporis, quod quidem apostema dicitur à Græcis* ὑδροκέφαλον, *& cum aliquando quidam chirurgus uellet secare tale apostema, statim inciso ipse puer in eius brachijs mortuus est. imò etiam fiunt talia apostemata sub gutture magna quidem, & ego uidi semel quandã puellam habere tale apostema quod cum moderate incisum fecisset curata est, dicuntur autem à nostris uulgaribus gosi. Postea inquit* Auic. (Et uentosa quidem apostemata secundum duas diuersificantur speties, una est cachexia, altera est inflatio, &c.) *Nunc modo accedit ad primam differentiam apostematum uidelicet uentosorum, et inquit quod*

quod eorum aliud est quod dicitur cachexia, aliud uero inflatio. postea inquit dans differentiam inter ista duo (Inter cachexiam autem & inflationem est differentia duobus modis, una est essentia, & altera est commistura.) *Postea declarat se, & declaratio huius est quod uentus huiusmodi in cachexia est admistus in substantia ipsius membri, sed in inflatione est separatus & aggregatus & non admistus membro, idest horum duorum apostematum aliud est separatum in spatio illo existens, quod est inter carnem & cutim, sicut in ipsa tympanitide, hydrope, & tunc dicitur inflatio, aliquando autem ipse uentus non est separatus, sed est commistus toti substantiæ ipsius membri, & tunc dicitur cachexia, & cum nocetur aliquod membrum principale, sicut esset ipsum hepar, tuncq; apostemetur dicitur cachexia, quoniam apostema omnino est in substantia membri illius, & cachexia quidem hepatis, postea facit hydropem, quoniam propter illud apostema debilitatur calor innatus, pro cuius rei intelligentia aduertatis quod cum calor innatus est debilitatus, tunc propter ipsius imbecillitatem non potest concoqui alimētum, sed generantur ipsi flatus loco spirituum, & ita penetrant ipsum abdomen & fit species illa hydropis dicta tympanitis, si autem secundum gradus magis calor refrigeratus fuerit & debilitatus, tunc non solum non generantur spiritus, Sed & flatus ipsi incrassantur & fit aquositas quædam, quæ ingrediens abdomen facit secundam speciem hydropis, quæ dicitur*

tur ascitis, nam ipsi flatus & uapores incrassati uertuntur in pluuiam & aquam, sicut dicebat ille magnus Alexander Aphrod. in primo libro quæst. naturalium cap.4. si recte memini, nam cum calor primo non potest dominari ipsi alimento, neque potest conuertere ipsum in bonum sanguinem conuertit saltem in sanguinem flatuosum. Cum uero non potest ita dominari ut uertat ipsum in flatuosum, uertit saltem in aquosum, & sciatis quidem quod primo fit cachexia, postea uerò fit anasarca, quæ est uera hydrops totius corporis. cachexia ergo minor est quam hydrops. quare contingit aliquando apostema in parte uentris inferioris, & est mistum ipsi toti substantiæ non autem separatum, cum tamen ibi deberet esse bonus spiritus, sed generantur propter imbecillitatem caloris flatus, & ita fit postea hydrops tympanitis, quæ est postea, non cachexia, sed inflatio dicenda. Sed cum magis debilitatur calor flatus condensantur, & ita per gradus fit aqua inter cutim, secunda uerò species hydropis. tandem deuenitur ad tertiam spetiem, quæ anasarca dici solet, cum uidelicet totum corpus inflatur, & hoc modo habetis complectam differentiam inter cachexiam & inflationem. declarat ergo se Auic. quando inquit (Declaratio istius est,&c.) Quando dicit quod differunt in essentia, denotat quia cachexia est in modo substantiæ, sed inflatio est separata. Cachexia etiam cædit tactui, in exituris autem ipsis non est aliquo modo cæsio, nec remanet fouea, cum premuntur isti sunt modi substantiæ

tiæ quodammodo naturalis potentia & impotentia. præterea est alia differentia, quoniam in cachexia non est sonitus cum non sit intra aliquod spatium, sed commista in tota substantia ipsius membri, inflatio autem potest sonare, quoniam est separata in illo spatio. postea inquit Auic. (Et cachexiam quidẽ inuenit sensus mollem, sed inflatio resistit sensui resistentia, aut multa, aut pauca,) *dicit ergo quod cachexia mollis est, cedit enim, neque resistit ipsi tactui, nam cum sit in tota substantia mẽbri, non est possibile quod resistat, bene dissilit per dissipationem ipsius membri & cedit, sed inflatio modo resistit aut multum, aut parum secundum eius duritiem; & est facilis ratio ista: transeamus ergo ad alia apostemata. si recte memoria tenetis erant in duplici differentia in principio huius tractatus, alia enim erant intra cutim, alia uero supra cutim; quoniam iam expeditum est de illis quæ sunt infra cutim ueniamus modo ad ea quæ sunt supra cutim, dicunturq; apostemata cutanea à Græcis in genere* ἐξενθέματα. *Auic. autem in litera inquit* (Amplius bothor sunt secũdum numerũ apostematũ, &c.) *Pustulæ seu bothor sunt apostemata cutanea, quorum differentias assignat* Auic. *proportione respondentes ipsis differentijs sumptis a materia, quæ datæ sunt in apostematibus supra, & ideo quemadmodum differentiæ proportione quadam correspondeant differentijs apostematum, causæ quoque earũ correspondebunt causis ipsorum apostematum, nam supra*

ſupra quoque aſsignabamus cauſas cur modo fierent magis apoſtemata, modo uero puſtulæ, & aſsignabamus eſſe tum propter craſsitiem tenuitatemq́; materiæ fortitudinem & debilitatem ipſius uirtutis expulſiue. nam cum fuerit aliqua materia peccans, tunc natura ſeu uirtus expulſiua inſurgit grauata ut illam expellat, ſed ſi eſt debilis tranſmittit eã ſolum ad muſculos, & ita fiunt ibi apoſtemata, ſi uero materia tenuis uerit magis expellitur, quoniam tranſit facilius poros membrorum intrinſecorũ, ſed ultra hoc quod materia ſit tenuis ſi uirtus expulſiua fuerit fortis tunc tranſmittit illam materiam uſque ad cutim, cum tamen ſua intentio eſset tranſmittere eam omnino extra corpus, ſed materia quidẽ pertranſit poros partium intrinſecarum cum ſint lati, ſed cum peruenit ad cutim non poteſt ultra progredi, quoniam pori ipſius cutis ſunt ſtrictiores propter aerem ambientem condenſantem, & ita fiunt apoſtemata cutanea, quæ dicuntur bothor ab Arabibus, differunt poſtea ſecundum differentiam humorũ peccantium. ſicut ergo apoſtemata fiebant aut à ſanguine, &c. ita quoque bothor fient aut a ſanguine, aut pituita, aut ex cholera flaua, aut melancholia, aut aqua, aut flatu, ſed aduertatis quoniam hic Auic. multum decipitur, nam ſunt ferè tot mendacia quot uerba, eſtote ergo atenti; inquit ergo (Amplius bothor ſunt ſecundum numerum apoſtematum) *hoc tranſeat, ſubiungit deinde* (Eorum enim aliæ ſunt ſangnineæ, ſicut uariolæ).

hec

hoc falsum est, quoniam nos dicemus quod uariolæ fiunt ab humore putrefacto, non autem a sanguine, postea inquit ulterius (Aliæ ex cholera rubea fiunt sicut materiæ cholericæ, & desudationes) *Hoc quoque falsum est, quod desudationes fiant ex cholera rubea pura; ut intelligatis autem hoc, sciatis quod desudationes sunt pustulæ paruæ et fiunt propter sudorem in æstate uidelicet quæ dicuntur à Græcis* ὕδρoα *à nostris uulgaribus ferfiæ, quæ quidem generantur ex humore seroso, non autem à cholera rubea pura, sicut inquit Auic. nam excitant pruritum sicut scitis, humor autem scirrhosus huius est causa, cum sit salsus & plurimum à bile uero pura fiunt herpetes, à parte uero sanguinis serosa fiũt istæ desudationes sicut sunt esseræ illæ quoque quæ sunt pustulæ paruæ & ipsæ statim accedentes & recedentes excitantes pruritum magnum, quæ fiunt & ipsæ à parte flatuosa & serosa ipsius sanguinis, non autem fiunt à pura bile, nam si essent à pura bile siue esseræ siue desudationes, tunc sequeretur quod crocerent sicut herpetes, sed hoc falsum est, ut patet ipsi sensui; transit ad alia & inquit.* (Et aliæ sunt ex eis mistę sicut morbillus & formica, & claui, & scabies, & uerrucæ, & horum similia,) *hoc quoq; falsum est, quod morbillus fiat ex materia mista sicut dicemus, sed est alius turpior error quando dicit* (Verrucam, & clauum fieri quoque ex materia mista) *& est ita magnus error iste Auic. ut Leonicenus quoque meus præceptor, & ille*

Manardus fecerint quandam inuectiuam in ipsum, uiderunt enim & ipsi hunc errorem, neq; ego possum illum excusare in hoc. formicæ autem dictæ à Græcis μυρμήκες *sunt pustulæ, quas dicit Auicenna fieri ex materia mista, postea est clauus qui à uulgaribus nostris dicitur callus, uerruca autem dicitur porrus a nostris quoque sunt unum & idem, & si Auic. posuerit eam tanquam duo, hæc tamen differentia intercedit quòd callus insidet, sed porrus habet suas radices infixas, & callus cum hoc quod insidet habet latitudinem, fiunt autem clauus & porrus, aut ex materia pituitosa, aut melancholia, non autem (ut inquit Auic.) ex materia mista. postea inquit.* (Et plerunque sunt aquosæ sicut ampullæ, & uentosæ sicut sunt inflaturæ) *Ego autem dico quod ampullæ non fiunt ex materia aquosa, sed bene fiunt ex materia uentosa, sed illæ pustulæ quæ sunt ab aqua dicuntur* ὑδατίδες, *non autem ampullæ* φλέκτιδες, *quare ego nescio quomodo in omnibus ferè istis uerbis aberrauerit.* ἐμπνεύματα *uerò nõ sunt apostemata cutanea, sed quotiescunque inflatio est infra cutim, quæ alio modo curari solent ab ipso Gal. quæ* ὑδατίδες, *sed quomodocunque sit, saltem habemus quod non debemus in hoc consentire ipsi Auic. uidistis quam doctrinam sit sequutus tractans de his apostematibus, quod quidem ipse quoque præuidens dixit in fine tandem huius cap.* (Tu autem in lib. 4. inuenies distinctionem, quæ sibi in dispositionibus sufficiet apostematum & bothor,

de

de qua conueniens est ut in ipso sit si Deus uoluerit,) *Sed aduertatis quod cum fuerit confusus in hoc capite huius secundæ* Fen *primi lib. tamen confusus est adhuc in illo suo quarto, propter quod etiam medici nostri temporis qui insequuntur ipsum nesciunt mederi, neque uti in eis methodo, quoniam est confusissimus, quod ostenderem uobis si semel legerem illam partem, sed hæc satis de hoc cap.*

LECTIO XXIIII.

DICEBAMVS *heri quomodo Auic. multum deceptus sit circa tractatum de ipsis pustulis, sed illorum rationes non assignauimus, ostendimus tantum esse ipsum in errore, ideo ne uidear dixisse ea gratis, uolo in hac lectione dicere aliqua ad id conducentia, ut expediti simus de hoc tractatu apostematum, si prius tamen dicemus quædam pro declaratione cap. sequentis quem nunc uolumus incipere. dicit autem Auic. inscribens illum hoc modo.*

De rebus quæ cum ægritudinibus numerantur, tamen non sunt ægritudines. *Cap. VI.*

AGEMVS *ergo in hoc cap. de decoratiua arte, quasi dicamus de quibusdam dispositionibus, quæ omnino non sunt ægritudines cum non lædant actiones proprias membrorum, sed neque possunt dici nō*

ægritudines, quoniam corpora non ita exercent suas operationes sicut deberent, neque cum curantur, curantur modo eo quo curantur ipsæ ægritudines, sunt ergo quædam mediæ dispositiones, de quibus agere proposuimus, ideo etiam Auic. proponendo nominauit eas numerari quidem inter ægritudines, quoniam curantur, sed tamen non sunt ægritudines. ista autem ars dici solet a nostris decoratiua, à Græcis uero κοσμητική, oportet ergo scire talia pertinentia ad hanc artem decorandi, quoniam iuuant multum medicum: dico igitur quod huiusmodi attinentia ad decorationem quæ sunt circa corpus, aut sunt solum ad uoluptatem neq; afferunt ei aliquod nocumentum, sicut sunt lendes, pediculi, aut afferunt nocumentum corpori, & incommodum ipsi actioni, non tamen tanta eius læsio est, ut ægritudo dici posit, sed non exercetur debito modo, ut cum ceciderunt palpebræ, nam incommodat quidem ipsum uisum talis casus, quoniam non possunt illi homines ita acute uidere sicut soliti sunt: nam scitis ex anatome cur palpebræ datæ sint, quoniam uidelicet acuunt uisum congregando spiritus, ideo cum cadunt illæ non possunt postea homines ita acute uidere, scitis enim etiam quod ultra hoc, quod incommodant uisum, turpitudinem quoq; afferre, quoniam nónne turpe est hominem esse sine palpebris? ó nemo dubitabit, non est tanta tamen læsio operationum (ut dixi) quod dici posit ægritudo, quoniam ut supra audiuistis tunc est ægritudo, cum actiones læduntur sensibiliter, sed cum ceciderunt palpebræ

bræ uident adhuc illi homines, & si non ita bene sicut ante uidebant. Quare istæ dispositiones decoratiuæ uel afferunt incommodum, uel non afferunt incõmodum. quæ uero non incommodant adhuc sunt duplices, aliæ enim sunt, quæ cum non lædant operationes, tamen sunt molestæ ipsi uitæ. aliæ uero non solũ non lædũt operationes, sed neq; sunt incõmodæ ipsi uitæ uel molestæ. quæ sunt molestæ uitæ sunt sicut scabies, pruritus, & consimiles, quæ non sunt ægritudines, sed potius quædam mediæ dispositiones: illæ uero quæ non sunt molestæ uitæ sunt tamen turpes, sunt sicut lendes, pediculi. de quibus omnibus oportet medicum scire, & causas illorum perfecte cognoscere, ne postea, cum petatur ab aliquo talium dispositionum curatio, cogatur fateri suam ignorantiam, nam sæpe petuntur præcipue ipsi medici a mulieribus & matronis, etiam a uiris qui magis cupiunt se esse mulieres, quàm homines. neque hanc artem spernatis domini, quoniam utilis est & honorata ipsi medico, nam ipse quoque Galenus in lib. primo de compositione medicamentorum secundum loca, fatetur se quidem contempsisse prius hanc artẽ decoratiuam appellatam, quæ pars medicinæ uocatur, tamen quia sæpißime consulebatur a mulieribus & matronis, modo aliæ uolebant pulchritudinem ipsius cutis, aliæ pilorum, aliæ quid aliud, coactus fuit, tandem exercere eam, et de ea scribere sine aliquo pudore, et forte plus lucrabatur ex eius exercitio, quàm ex alijs rebus, ultra hoc quod erat in gratia

illarum pulchrarum matronarum; non spernatis ergo hanc artem decorandi quam non contempserunt medici antiqui, et Asclepiadem dico et Gal. cum ergo istæ dispositiones quæ non omnino sunt ægritudines, sint tamen præter naturam, oportet esse in aliqua parte ipsius corporis puta in ipsa cute, quæ quidem non solum facta est a natura propter illud paruũ iuuamentum, quod affertur omnibus partibus corporis, cum eis substrata sit tanquam operculum earũ, sed etiam data est propter decorum, sicut dicere scitis Gal. in lib. de usu partium; turpißimum enim esse uidere hominem excoriatum et quoddam monstruosum quàm quod affert decorum. istæ ergo dispositiones decoratiuæ sunt cutaneæ, non erunt ergo ægritudines, sed molestæ ipsi uitæ, uel ei incommodũ aliquod afferentes cum sit præter naturam. Ideo si uoluerimus eas curare sicut par est curari, oportebit nos exactißime cogitare causas eorum usque ad minimas, alioquin non curabimus eas curatione quæ digna sit medico dogmatico. Causæ istarum hoc modo inquirentur sicut in alijs quoque morbis: Sunt enim eædem causæ, sed differunt solum penes hoc, quia istæ dispositiones non deueniunt ad hoc, ut lædant operationes sensibiliter, sicut in illis morbis, nam si læderent sensibiliter ipsas operationes, tunc essent ægritudines ut scitis, hoc tamen falsum est per dicta à nobis, unde eodem quoque de his est, sicut de pustulis, respectu ipsorum apostematum, nam Auic. proposuit quoq; tractans de pustulis eas fieri ab eisdem

causis,

causis, tamē istæ sunt non apostemata simpliciter sed parua apostemata. Quare sicut morbi fiunt, aut propter malam complexionem, aut malam compositionem, aut solutionem continui, sic propemodum nos dicemus de his dispositionibus; quod aut fient propter malam complexionem, aut propter malam compositionem, aut propter solutionem unitatis. Cum ergo istæ dispositiones sint circa cutim oportet nos perquirere per omnia ista tria genera, in quo reponātur propterq́; harum causarum aliquam inuenire an sint factæ per quandam rationem & rectam uiam. Dicturi ergo de his, incipiemus a mala complexione. Si ergo hæ dispositiones fiant propter malam complexionem, aut fient propter complexionem malā cum materia, aut sine materia sicut in alijs quoq; ueris morbis fit mala complexio, si autem propter malam complexionem sine materia, tunc aut propter nimiam caliditatem, tuncq́; cutis fit nigrior. Nam dicebat Auic. in prima Fen huius primi lecta, quod caliditas quæ agit in humorem existentem in aliqua parte ita agit, ut ex eius actione proueniat nigredo illius partis, ubi est humor in principio, in fine tamen illius actionis redditur alba, aut propter nimiam frigiditatē, tuncq́; cutis fit nimium alba quàm oporteat, aut propter nimiam siccitatem, & tunc cutis induratur, aut propter humiditatem, tuncq́; laxantur nimium, aut fiunt istæ dispositiones cutaneæ propter unam istarum dictarum complexionum malarum, cum affluxu tamen ipsius materiæ. Sed diceret aliquis tu posuisti supra

non dari talem affluxum materiæ, quomodo ergo tūc eum affirmes? ecce quomodo tibi ipsi contradicis, & propter hoc aliqui doctores admirati sunt de mea temeritate, qui ausus sim negare affluxum materiæ, quem concesserunt omnes medici, tum antiqui, tum moderni usq; ad hæc tempora, sed non bene intellexerunt meam opinionem uerißimam, nam quomodo negaui ego affluxum materiæ, bene dixi affluxus illius essentiam distinctam omnino esse ab essentia ipsius morbi contra Galenum, nam & si morbus ipse & affluxus materiæ sint simul, tamen eorum essentiæ sunt diuersæ, & sunt duæ realiter distinctæ, ideo dico quod poßunt fieri etiam dispositiones illæ cutaneæ propter malam complexionem cum affluxu materiæ, & alio modo coloratur & disponitur cutis propter caliditatem nimiam cum materia · quàm propter caliditatem sine aliqua materia. quod dico de una complexione mala, de alijs quoq; intelligatis, materia autem ista est aliquis ex quatuor humoribus, qui cum sint colorati, unusquisq; eorum non habet proprium colorem, ideo secundum eorum colorem ipsa cutis colorabitur. scitis enim membra corporis humani colorari secundum colorem humoris superabundantis, sicut dicebat Galenus in quarto lib. de tuenda ualetudine. Ponamus ergo quod sanguis superabundet cum caliditate, tunc cutis fit rubea, quoniam sanguis quoq; rubeus est, si bilis flaua, tunc cutis quoq; flaua erit, uel citrina ut patet in ictericis, si pituita subalbida, siue pallida, si uerò melancholia, tunc fit cutis liuida

coloris

*coloris plumbei, unde dicebat ille, magis caueo à liuido quam a pallido, quoniam liuidus color significat melancholicum hominem illum esse, quare magis coloratur præter naturam ipsa cutis propter malam complexionem cum affluxu ipsius materiæ, quàm propter solam complexionem, sic etiam propter cõplexiones compositas, aut cum materia, aut sine materia, ecce quomodo ieci fundamenta * huius uniuersalia tamen, quoniam ultra transire non attinet ad negociũ nostrũ, sed oportet nos stare in his nostris limitibus, curationes uerò talium dispositionum et particularia alia ad hanc artem attinentia, discetis ex alijs præceptoribus successiue qui docent artem praxeos, quam nos nunc non profitemur. immutatur quoq; cutis propter malam compositionẽ, sicut fiunt quoq; morbi ueri propter illam, & primo quidem propter malam figuram, quæ dispositiones adhuc sunt mediæ non autem ægritudines, & in figura male disponitur cutis propter aliquam magnam cicatricem, uel quando superficies fit nimium aspera aut nimium plana, quàm oportet, uel in meatibus cum illius meatus obstruuntur nimium, & si isti non laxentur, & * accidere possunt postea morbi ueri, quoniam calor innatus et ipsi humores non possunt euentari, tuncq; putrefiunt & generantur febres quæ sunt ueri morbi, sed sæpißime accidit ut male afficiatur in superficie quoniam nimium exasperatur, uel nimium plana fit & lenis, imò hoc est proprium ipsi cuti, aliquando enim etiam fit nimium rugosa sicut contingit*

in senibus, & hæ dispositiones sunt multum contrariæ ipsis mulieribus, cupiunt enim illæ esse tenues in cute, aliquando etiam turpiter maculatur ipsa superficies ut sit modo rubea, modo alba, modo flaua, quod multũ dedecet mulieres. hæ sunt ergo dispositiones attinentes ad superficiem ipsius cutis, aliquando etiam quantitas eius mutatur. aliquando enim crassa nimis redditur, aliquando nimis tenuis, & mulieres consulunt ipsos medicos de his sæpissime, cum habent cutim crassam, ut uidelicet attenuent eam. Postea habent illam nimium tenuem cum à quolibet extrinseco noceantur uolunt incrassare eam aliquantulum, ideo oportet uos omnes scire causas harum dispositionum ut possitis eas curare. Aduertatis tamen quod secundum obesitatem fit crassa uel tenuis cutis, aliquando etiam mutatur cutis in situs, aliquando in numero, & omnes alias dispositiones in compositione. Quoad autem tertium genus hoc est solutionem continui, manifestum est cutim eam posse pati, nam aliquando sunt cicatrices concauæ propter aliquod uulnus præteritum, uel propter uestigia uariolarum. Amplius potest pati aliquando malum odorem, qui maxime odiosus est ipsis mulieribus. Quare aduertatis quoniam sæpe consulemini de eo. hæ sunt dispositiones simplices, quas pati potest cutis, quas omnes oportet uos scire, cognoscere, & curare. Aliquando etiam patitur morbos compositos, siue (ut melius loquar) dispositiones, sicut alia quoque membra: potest enim pati pustulas quæ dicuntur

tur

tur ab Auic. *bothor, quæ postea habent multas uariasq; differentias secundum diuersas materias peccantes: aliquando enim fiunt à sanguine quæ dici solēt à* Latinis *uari, dicuntur autem à nostris uulgaribus in* Lombardia *gosi, generantur potissimum in facie, sed præcipue iuuenes eos pati solent, & memini semel me passum fuisse tale genus pustularum cum essem iuuenis, cumq; uidisset me quædā mulier dixit an uellem sanari, quasi etiam ipsa cognosceret tale genus pustularum prouenire propter nimiam copiam alimenti, hoc est sanguinis, & credite mihi quod non generantur nisi in his qui sunt optime temperaturæ & longæ uitæ futuri.* Aliquando *etiā generantur ex bile pura et dicuntur à* Græcis *ἑρπέτες puri, à uulgaribus nostris autem miliares, quoniā illi sunt cum febre, sed dico simplices, quoniam non sunt cum febre, neq; impediunt operationes quoniam essent ægritudines, sed tantummodo sunt molesti uitæ.* Erysipelata *autem cum sint cum febre & impediant sensibiliter operationes, dicuntur esse ægritudines, de quibus dicit & tractat* Gal. *in lib. de tumoribus præter naturam, & in secundo illo artis curatiuæ ad* Glauc. Aliquando *etiam fiunt istæ pustulæ ex pura pituita, non ex illa crassa, sed ex illa salsa, quæ putrefacta est, non autem quòd mista fuerit cum bile flaua sicut dicebat* Auic. *sicut est scabies quæ est cum pituita propter illum humorem salsum, quæ dicitur* τεμισμός *non autem* ψώρα *quoniam esset morbus postea nō autem dispositio media sicut sunt istæ cutaneæ*

de

de quibus nunc intendimus, nam ψώρα impedit operationes consequenter est ægritudo, aliquando autem generantur ex melancholia sicut sunt ἐπινυκτίδες à græcis dicti, ab Arabibus autem planta noctis, quæ sunt positæ ab Auic. in tractatu de decoratione; allusit autem ipse quoq; Auic. ad nomen Græcum cum nominauerit talem dispositionem compositam cutaneam plantam noctis, à Græcis autem prius dicta est ἐπινυκτὶς quoniam laborantes ea magis patiuntur pruritum noctu quàm in die, & sic uidetis quomodo habent differentias diuersas secundum humores diuersos peccantes, fieri quoq; possunt in cute pustulæ ex uento, quæ quidem dicuntur uesicæ uentosæ φλυκτίδες aut etiã generantur ex aqua & dicuntur ampullæ aquosæ ὑδατίδες, possunt quoq; generari pustulæ in cuti ex humoribus putridis sicut diximus de morbillis quoq; & talibus apostematibus, etiam ex mistis humoribus duobus sicut cum fiunt ex materia biliosa mista cum pituitosa, & fiunt illæ pustulæ, quæ dicuntur à nostris uulgaribus uoladegæ, quæ erodunt cutim, tamen non sunt ægritudines, uel fieri possunt ex pituita mista cum ipso sanguine, & fiunt esseræ cutaneæ, aut possunt generari etiam ex materia biliosa mista cum melancholica, & tunc fiunt morphea illa alba, & morphea nigra, sicut nominat Auic. sicut dicunt Græci ἄλφος albus, uel ἄλφος niger, dicitur autem à nostris latinis elegantibus uitiligo, ut à Celso, secundum quod dominatur unus humor, si enim dominetur bilis fit albus, si melancholia fit niger, tamen sæ-

pius

pius dominatur melancholia, & fiunt aliquando feræ uitiligines & diræ. Aliquando etiam miscetur pituita cum melancholia & ex ea materia possunt quoq; generari. tot ergo modis possunt generari pustulæ siue dispositiones cutaneæ ex materia mista, sed aduertatis quoniam aliquando etiam humores ipsi putrescunt in cuti, & ita afficitur, fiunt enim morbilli cutanei ἐξανθήματα à Græcis dicti, & tales dispositiones quæ fieri solent in febribus ipsis pestilentibus, sicut sunt uariolæ, quæ quidem generantur ex humoribus illis malis, qui contrahuntur à natiuitate fœtus, sicut dicũt mulieres, & Arabes quoq; doctores, putant enim quosdam malos humores generatos propter malum uictum ipsarum matrum conseruari in ipsis membris, qui quidem cum expellantur postea à natura, generant ipsas uariolas, ita tamen quod ante illas fiunt febres pestilentes. huius autem emissionis temporis non est determinatum, sed pro crassitie & tenuitate illorum humorum, pro etiam fortitudine ipsius uirtutis expulsiuæ educuntur citius uel tardius, sed eas semper febris pestilens præcedit, fiunt ergo morbilli & uariolæ ex humore putrefacto, non autẽ ex illis humoribus quos dicit Auic. inquit enim (fieri variolas ex sanguine) *cum tamen hoc sit falsum ut patuit: inquit præterea* (morbillos fieri ex materia mista) *cum fiant ex materia putrefacta, postea generantur quoq; ferſæ illæ ab humore quoq; putrefacto, non autem ut inquit Auic. ex cholera rubea sicut notauimus supra, sed hic diceret aliquis tu*

dixisti

dixisti cum proponeres tractanda in hoc cap. te tractaturum de dispositionibus cutaneis attinentibus solum ad decorationem, non quæ sint ægritudines, tamen non stas tuis promißis, quid ergo uagaris? Ad hoc respondeo & dico quod declaro solũ ea quæ pro posita sunt à me in superioribus, tracto enim solũ de dispositionibus istis, quæ cum non sint ægritudines tamen molestæ sunt ipsi uitæ, non enim uariolæ ferslæ & omnes aliæ dictæ sunt ægritudines, imò sunt symptomata consequentia ad ipsos morbos ueros postea, sicut sunt illæ febres pestilẽtes, quæ (ut diximus) semper præcedunt talia symptomata, quæ sunt dispositiones cutaneæ mediæ non autem ægritudines.

LECTIO XXV.

AGEBAMVS *in superiori lectione de attinẽtibus ad ipsam decoratiuam, & dicebamus circa aduersari talem artem, ut cognoscat dispositiones cutaneas, quæ non sint ægritudines, neq; ultra progredi. istæ autem dispositiones sunt neq; causæ, neq; symptomata, neque ægritudines, sed dicendæ sunt dispositiones mediæ quatenus cuti superueniunt, diximusq; quod sunt in eisdem generibus & tot sicut ipsi morbi ueri complexione, compositione, solutione unitatis. in hoc tantum differre ostendimus à morbis ueris, quoniam eas non consequitur læsio operationum, nam si hic essent læsæ actiones, tunc essent omnino morbi, istæ enim est characterismus ipsius morbi ueri, per quem distinguuntur ab ipsis medijs dispositionibus, sicut*

cut sunt istæ cutaneæ, de quibus nunc tractamus. Cum ergo sint dispositiones præter naturam, fiunt à caussis aliquibus, istæ autem causæ sunt eædem cum illis morborum uerorum, differunt solum secundum magis et minus. Incipiamus ergo dicere de hac decoratione, cum oporteat eas remouere decorando. Ista decoratio dupliciter potest esse, uno modo naturalis, alio modo non naturalis. i. harum dispositionum decoratiuarum aliæ possunt esse naturaliter contingentes in tota substantia cutis, aliæ autem quæ contingunt non naturales ipsi cuti, ut sunt lendes pediculi, et has omnes oportet medicum exquisitissime cognoscere & earũ causas, quoniam sæpe ab ipso hominibus & mulieribus, oportet ergo uos esse doctos in unaquaq; parte huius artis medicæ, cum ergo dedecoratur propter aliquas harum dispositionum, aut hoc prouenit propter malam complexionem calidam, uel frigidam, humidam, uel siccam, uel compositam, uel cum ipsa materia adiuncta, aut propter malam compositionẽ, quoniam cutis fit nimium crassa, uel tenuis, uel rugosa, uel tensa, uel aspera, quandoq; propter calorem immutatum, quandoq; propter ipsorum pororum constrictionem, ex qua postea proueniunt ueri morbi nisi remoueatur, sicut febres; aliquando nimium laxantur illi pori; & in unaquaq; specie huius generis discurreudo inuenietis ipsam cutim posse dedecorari. Amplius cutis potest pati solutionem continui, sicut patet ipsi sensui, cum uideamus scissuras fieri in ipsa ut in manibus, scissuras quoq; labrorum. quare unicuique

cuique harum medicamenta, & remedia conuenientia oportet medicum habere. pati quoque diximus cutim ipsos morbos compositos hoc est apostemata, siue pustulas, quæ sunt apostemata parua, secũdum quod dicebat Auic. *in proprio cap. lecto, quæque non sunt ægritudines, sed dispositiones mediæ, accidentia tamẽ ad morbos ueros aliquando, sicut sunt uariolæ et con similia. Ista omnia sunt declarata circa primum mẽbrum contingentia, quæ uidelicet circa substantiam cutis fiunt.* R*eliquum est ut dicamus modo de his quæ attinent ad secundum membrum diuisionis, cum dicebamus quod aliæ sunt dispositiones, quæ non oriũtur in substantia cutis, sed extra sicut sunt pili: pili autẽ aut oriuntur ubi non debent oriri, & ubi nollent mulieres oriri, aut in nimia quantitate, sicut quando orirentur longißimi & spißi pili in ipsis palpebris, ubi oportet esse mediocres, uel in fronte & supercilijs, uel non oriuntur ubi debent oriri, sicut in hominibus in mento, sicut contingit cum decidunt in alopetia & caluitie capitis, & si caluities non recipiat aliquam curationem: uel capilli peccant in quantitate uidelicet continua: quandoq; enim sunt grosßiores, quandoque tenuiores, quandoq; longiores, quandoq; breuiores; quandoq; etiam peccant in figura, aliquando enim sunt nimis plani, quandoq; nimis crispi; quandoque etiam peccant in solutione continui, nam aliquando detruncantur, quandoq; peccant in colore ut modo sint nigriores, modo albiores; sicq; de alijs coloribus, sed quæ modo oriuntur non circa cutim,*

sed

sed circa ea quæ oriuntur, circa cutim tamen non deberent oriri, sunt, sicut circa capillos furfures illæ, lendes, & talia: ista est diuisio omnimoda quæ dari potest theoricam seruantes partem, neque transgrediendo limites suos, quàm seruare & animaduertere debetis, neq; possumus nos ultra amplius extende re sed dimittenda est curatio harum dispositionum ip sis doctoribus practicis, qui docebunt uos eam & ultimas diuisiones in particulares differentias, propter bonitatem tamen ipsius doctrinæ, quoniam etiam uidemus hos uestros practicos nunquam hæc uobis explanare neque curationes harum dispositionum cum ordine quodam & per quandam rotam doceant modo tractatum de febribus, modo uerò illum Cont. *Rasis ad Almansorem, neque ad plura se extendere, uolo nunc uos pauca quædam de hoc accipere, quæ non erũt ingrata auribus uestris, sed nollem postea ut hoc supposito expectaretis omnia, quæ dici possunt in hac materia, dicam solum aliqua pro exemplo potius, ut melius uos fundati in optimis principijs sciatis postea uti methodo, ne putetis etiam me ista gratis doce re, uidebitis postea utilitatem. nunc ad rem me conuerto, de ipsaq; cuti dicamus primo. Cutis ergo fit aliquando rugosa, aliquando aspera, ideo mulieres delicatæ & homines qui uolunt magis esse mulieres quàm uiri quærunt consulunt medicos ut curentur, uos autem medicos oportet scire talium dispositionũ curam, alioquin despiciemini ultra hoc quod non lucrabimini, curabitis ergo illas sicut alij quoque morbi ueri*

bi ueri curari solent a medicis dogmaticis, methodo enim uestra utemini, non autem curabitis sicut faciũt illi impostores qui cantant in plateis dando istis mulierculis quosdam suos appellatos ab ipsis uulgaribus belettos, sed semper considerabitis rei naturam, & sic ex natura rei medicabimini, alioquin transgrederemini limites medici dogmatici. si ergo cutis fuerit affecta in colore aut quod sit nigra aut citrina, aut in magnitudine quod sit nimium crassa, tunc considerate à qua causa proueniat talis dispositio; an à causa priuatiua hoc est extrinseca, an ex causa intrinseca & corporea; à causa quidem priuatiua ut puta si fuerit passa mulier illa propter moram in sole, aut propter uentos, aut propter aliquem morbum, aut aliquid tale internum, percunctabimini ergo ab ipsa patiente causam huius dispositionis quare sit facta decolor, aut cur exasperata cutis; & si non fuerit sub Sole, neq; morata sit in uentis, aut propter aliam causam externam non sit affecta per eius mansionem, tunc oportet uos persecuturi causas intrinsecas, uel enim color ille malus & turpis acquisitus est naturaliter, & tunc non potest curari recta methodo utentibus, & ex natura rei curantibus, bene curari potest ab istis impostoribus illis suis aquis fortibus, nos autem huiusmodi curas relinquemus eis, quoniam non est medici laudabilis, curamus autem decolorationem nos dogmatici quæ accidit præter naturam percunctabiminiq; de ratione uictus, percunctabimini de animi affectibus, & uidebitis an acciderit huiusmodi decoloratio pro-

pter

pter eos an propter aliquem humorem peccantem, quoniam diuersimode curabitur, potest enim peccare sanguis, & eo modo fieri nigra cutis, oportetq; si sanguis peccet medicum primo mundificare sanguinem; secundo trahere illum ad cutim quantum possibile est; tertio autem exinanire illum et euaporare per attrahentia. mundificatur autem sanguis per purgantia ipsum sanguinem, per confortantia & roborantia ipsa membra. primo ergo mulier illa patiens purganda est et purgandus est humor ille qui peccat, quē quidem iudicabimus per ipsum colorem, nam si cutis fuerit citrina, tunc purgetur ipsa bilis, si nigra purgetur melancholia, si alba pituita, si rubea sanguis: purgata muliere, oportet postea iubere eam uti bonis cibis, boni uidelicet nutrimenti, comedat oua illa sorbilia, mirabolanos illos comedat qui mundificant sanguinem: cum autem uolumus postea auocare & attrahere sanguinem ad cutim, si cutis debet recipere ipsum oportet primo præparare eam purgando uidelicet per abstergentia ipsam, inter autem abstergentia id ualentia possunt esse alia simplicia, alia composita, si sint simplicia uos utemini citrijs limonibus, ut accipiatis citria, limones & distillentur simul, ex qua distillatione lauetur cutis illius, sed aliquando etiam sunt aliqui qui habent cutim decoloratam propter sordities quæ obstruunt meatus cutis, & sic etiam possemus ad hoc uti ipsis floribus uel etiam siliquis recentibus fabarum ex lupinisq;, & facere distillationem, non quod illi succi limonum & citriorum non

poßint ualere, sed dico etiam ista ut poßitis uti in illis qui non sunt ita delicati sicut aliquæ mulieres pro quibus utimini succis illis, propterea non miremini, si dedi uobis hanc distillationem, oportet ergo postea uti attrahentibus ut sanguis quem uolumus expellere trahatur ad cutim, ista autem attrahentia sunt calida, ideo in hoc cauebitis illa quæ attrahendo adurunt, quæ sunt calida in summo, sed erunt moderate calida, sicut in isto casu conuenientißima oleum amigdalarum dulcium, etiam oleum amigdalarum amararum, & in hoc casu conuenientius erit hoc oleum amarũ, ut nihil magis, quoniam ultra hoc quod abstergit, auocat etiam ipsum humorem, & cum hoc oleo inungatur cutis. Quatenus autem ad medicamenta composita dico quod sunt quædam gumeræ ab Arabibus dictæ, quæ ad hoc conueniunt & sunt mistæ ex his, quæ quidem tum abstergunt, tum auocant, purgentq́; cutim. debent autem esse semper odorosæ istæ gumeræ & delicatæ propter has mulieres. unum autem admonebo uos prius, quia nolo uos expectare a me gumeras illas, quæ describuntur ab Arabibus, aut à Græcis antiquis, & modernis nostris, quoniam illas iam habetis, & apud eos legere potestis absq; hoc quod ego laborem in earum repetitione, dicam aliquas apud me approbatas & usitatas, dico apud me, non apud omnes. Vna autem gumera istarum insignis est apud me: ut accipiatis lib. 3. siliquarum immaturarum, exempli gratia pono istas quantitates, ut distinctius intelligatis, mellis quàm optimi lib. 2. terebinthinæ

binthinæ lib. 5 .croci quoq; ℥.i.imponatur,quæ quidẽ omnia in uase suo coopertorio concluso ne omnino exhalare possit sicq; sub fimo uas illud ponatur per octo dies aut ad solem exponatur quousq; fermententur ista omnia, illa fermentata aspergantur lib.4. lactis asinini, & hanc compositionem ponatis in distillatoria antequam putrescat lac,propterea quia postea fœteret, & illud distillatorium erit non modo cõmuni, sed quod sit bene conclusum, & ita fiet distillatio & liquor, aqua uidelicet & oleum, oleo quidem illinenda est cutis noctu, die uerò abluenda ipsa aqua, quam quidem gumeram poteritis aromatizare uos propter istas mulieres delicatas, ut imponatis parum de musco & ambraca, sed si non succedet illa, do uobis aliam fortiorem, insignem quoque, sed illa prima succedet. loco siliquarum fabarum immaturarum accipietis ipsum orobum recens, & lupinos & amygdalas amaras, ex omnibus sumatis lib. 2.cartami quoque ℥.iii. imponantur, nitri rubei ℥. iiij. adiungantur,ac etiam limonum siue citriorum incisorum lib. 2. cum lib. 2. terebinthi,commisceantur omnia,& in uase reponantur concluso sub fimo, aut sole per 8. dies sicut docuimus de alia quoq;, quousq; fermententur omnia simul, & distillatorio distillentur,ex eo exibit oleum & aqua, sicut in superiori quoque exibant, oleo utatur sero ad inungendum, aqua mane ad lauandum, hæc est fortior (ut dixi) illa prima, quando sunt etiam mulieres fortiores, & facit cutim coloratam quoque splendescentem, prohibet à rugis, sed super

omnia iubeatis eas esse lætas quo ad animi affectus. Amplius bonis cibis uescantur, & quæ generent bonum chilum, ut fiant boni humores, & optima nutritio omnium membrorum, alioquin nullo pacto curabuntur, quod quoque sciens tanquam ex natura rei docta quædã mulier semel uolebat docere me quomodo sint colorandæ cutes mulierum, quid ego inquio? illa dicit uolo dare hanc receptam, qua quidem melior esse non potest ad hoc ut cutis decolorata coloretur. Recipiantur *duo boni & pingues capones qui decoquantur, & fiat optimum ius de quo in mane sorbeatur, comedãturq́; illi capones, & cum bono uino seruetur uictus ratio recta, ecce quomodo hæc quoq; mulier instituta a natura quodammodo sapienter iussit hanc rationem uictus seruandam esse in his qui uolunt colorari sapienter quidem dicam præceptum est. aliquando etiam consulemini de uariolarum uestigijs, deq́; cicatricibus quas quidem curare non poteritis, cura quidem digna medico dogmatico. potestis quidem forsan decipere ipsos, sed quod curetis (inquam) hoc est impoßibile, nam consideremus quæso naturam rei: scitis equidem uestigia uariolarum, ita se habere ut habeant in medio quandam foueam, in cuti dico, ipsa modo cutis non potest regenerari, nisi sint patientes pueri teneri, tunc enim hoc poßibile esset, sed iam adultis quomodo poßit fieri permitto considerandum, non enim poßibile est hoc, quoniam cutis ipsa est ex numero partium illarum quæ a natiuitate ex spermate generata sunt: postea in cicatri*

cibus

cibus debetis scire quod factæ sunt cicatrices quoniã primo incisa fuit cutis & diuisa & facta est quædam supracombinatio non tamen quod sit continuata cutis, sed porus quidam superuenit, ideo cum uelletis curare, oporteret uos remouere talem porum, & sic fieret discontinuatio & diuisio ipsius cutis, ideo non possemus regenerare postea cutim, cum iam diximus cutim de eis esse, quæ quidem sunt spermaticæ partes, quæ regenerari non possunt, sed si uolueritis modo uos per mollificantia, & ita resoluere illum porum, dico quod hoc non erit possibile: ratio huius est, quoniam non possumus resoluere iam ipsum porum induratum sicut non est possibile resoluere per mollificantia ipsos lateres, sed si possibile est aliquo modo, dico quod possibile erit in ipsis teneris, præcipue pueris, in ijs enim poteritis quandoq; corrigere huiusmodi cicatrices, si ergo uultis corrigere faciatis sic, primo remouendus est ille porus si est factus, remoto ipso continuanda est cutis. ponamus ergo casum nostrum in puero tenero, tunc remouete porum & quidem cum ipsis causticis & corodentibus, accipiatis autem ammoniacum dissolutum in oleo, & illinatis ipsam cicatricem quousque abeat, si hoc non suffecerit uos poteritis uti unguento ægyptiaco, uel iside, uel unguento illo apostolorum, siue diacalcitide illo, qui quidem ab istis solet appellari diapalma, quæ omnia sunt uulgatissima apud Arabes, cum tamen isti nostri moderni putent & glorientur se inuenisse talia remedia. dicunt enim se inuenisse

se ista nouiter cum sint antiqua imò uulgata, hæc dixi obiter ne existimetis hos esse inuentores. remoto ergo poro per ea quæ diximus, oportet postea nos habere intentionem ad curandam cutim ipsam, et uti his quæ id præstare nobis ualeant & incarnantibus ipsam incisam cutim, est autem unum inter alia remedia uulgatißimum, quod ex uitellis ouorum componitur, sed habeo aliud quod est mirum ad id ut accipiantur thus, terebinthum hoc est laricinam illam, crocum, quæ omnia misceantur, & sic reponantur quod fermententur. postea eliciantur aqua & oleũ per distillatorium ipsum, oleo illinendus est locus sero, mane uerò aqua abluendus est, & hoc fiat usq; quo cutis ipsa adæquetur, neq; ingeratis uos nisi in curandis teneris, puta usq; ad septimum annum, quoniam non habebitis uestrum intentum in alijs.

Veniamus modo ad ipsas maculas decorandas, nam diuersimode curantur quàm illæ primæ, quoniam in prima dedecoratione cutis nos quærebamus bonum colorem reddere, & trahere ipsum sanguinem ad cutim, hic autem nos quærimus eius remotionem, ut consequenter remoueantur quoque ipsæ maculæ & primo dicamus de his maculis quæ fiunt in facie, quando percussa fuerit aliqua mulier, uel etiam homo, isti nostri Empirici medici accipiunt cerusam cum oleo rosato & faciunt inunctionem superimponuntq;, aliquando etiam accipiunt absinthij succum. Ego autem dico non semper esse faciendum hoc indifferenter, nam si fuerit quis percussus nunc per casum

ſum nos debemus prohibere ne ſanguis concurrat ad partem percuſſam, ne fiat deinde macula, & in hoc caſu bene accipienda eſt ceruſa cum oleo roſaceo, ſed cum iam concurrit ſanguis tunc per hoc medicamentum uos non poteſtis repercutere ipſum. poteſt autem conuenire abſinthij ſuccus cum macula nondū eſt facta, ſed eſt in fieri. Quando uerò nigredo eſt facta, omnino oportet inuenire alia remedia à ſucco abſinthij: opus enim eſt reſoluentibus, ſicut eſſet ſi hoc modo faceretis medicamentum, accipiatis amygdalarum amararum ℥.i. uini albi aromatici ℥.ij. nitri rubei ʒ.ij. decoquantur & bulliant omnia ſimul uſque ad reſolutionem ipſius uini, de quo quidem poſtea lauetur locus. Aliquando fiunt aliæ maculæ cutis, ut cum miſcentur in cuti melancholia cum ſanguine ipſo, & fiunt quædam maculæ dictæ à noſtris uulgaribus uoladegæ. Aliquando etiam miſcetur cum ſanguine ipſa bilis & fiunt maculæ illæ appellatæ ab his noſtris modernis ſtercora demonum, & hoc aliquando naturaliter prouenit, ſunt autem maculæ citrinæ maxime in his qui habent pilos rubeos & citrinos, hi enim abundant ſanguine ſubtili & ipſa bile, nam iſti humores perueniunt ad ipſam cutim, & cum cutis ſit exiccata uel à calore intenſo reſoluente, uel à frigore compangente, his enim modis poteſt exiccari ſicut dicebat quoque Ar. ille diuinus in 9. lib. de natura animalium, & ideo cum illi humores reſolui non poſſint remanent ibi, ex quo poſtea fiunt maculæ & cū extrahatur bilis cum illo ſanguine ſubtili ab ipſo calo-

re iunt consequenter maculæ illæ citrinæ, postea ille color citrinus in nigrum æstuante calore, unde uidemus maculas huiusmodi maxime fieri in æstate maximeq; si sub sole moratus fuerit patiens. Cũ ergo uultis præseruare tales maculas in æstate cum aliquando necessarium sit ambulare existente magno calore, tunc accipiatis amydum cum albumine ouorum & cõmisceantur simul, illinaturq; cutis in sero, quoniam illi humores repercutiuntur, neque possunt peruenire ad ipsam cutim, sed hoc diximus antequam fiant pro præseruatione, si modo factæ iam sint maculæ, tunc oportet prius purgare totum corpus, postea cõcludatur patiẽs in domo ne ad solem accedat propter ipsum calorem, postea sumatur oleum amygdalarum amararum, farinæq; fabarum, uel lupinorum quantũ sufficiat sicq; commiscebitis, & illinetis. hoc modo enim resoluentur maculæ illæ. ista sint dicta de maculis, cras modo, ex quo non uultis me legere, dicemus de lendibus, pediculis, & de pilis ipsis.

LECTIO XXVI.

CIRCA materiam de decoratione in præcedẽti lectione diximus de his quæ contingunt circa superficiem cutis decoloratam aliqua macula, aliqua quidẽ diximus, sed non omnia quæ dici possunt in hac materia, quoniam bene sumus excusati sicut supra admonuimus, hodie ergo tractabimus de fœtore, de pediculis & lendibus, in alia postea lectione dicemus de pilis, ut tandem hanc materiam compleamus, & ueniamus

mus ad propositum nostrum, esset enim perridiculum uelle omnia trahere ad locum istum de decoratione, ne faceremus, sicut dicunt fecisse Excellentißimum *il lum* D. Curtium, *qui cum legeret quendã* Aph. Hip. *compleuit in lectionibus* 49.*traxit enim ad locum illum omnes species morborum, quæ dici poterant de morbo illo, de quo tractabat ibi* Hip. *cras ergo materiam hanc omnino uolo complere.* De *fœtoreq́; primo loquendum est, inquirendumq́; primo de materia illa quæ causat hunc fœtorem, siue modo sit sub naribus siue in anhelitu, siue sub ascellis, siue sub pedibus, siue in inguinibus, sunt enim aliqui qui ita fœtent, ut si approximent alicui, magnum quid solueret ille si non sentiret talem fœtorem, dico igitur quòd fœtor non est dispositio ægritudinalis quoniam tunc non pertineret ad decoratiuam, ut puta qui proueniat ab aliquo apostemate in naribus. cum ergo omnis fœtor fiat à putredine alicuius, putredo autem fit cum humidum non potest concoqui & dominari ab ipso calore, tunc autem fit illa inconcoctio quam Græci ut* Arist. *in* 4. *illo meteor.* μολυνσιν *nos rectißime dicimus coinquinationem, sed homo cum sit perfectißimæ formæ, optimæq́; temperaturæ inter omnia animalia, sicut copiose declarauimus anno elapso in prima* Fen *huius primi, ideo maxime fœtorem ipsum sentit, sed cum sit putredo oportet ibi esse aliquam materiã quæ quidem putreat, & consequenter fiat fœtor, uideamusq́; oculata etiam fide, quod si quis uoluerit inuenire talem materiam putrescentem nõ poterit eam inuenire*

uenire uel tangere quandoquidem ſit in partibus intrinſecis, ſed ſaltem habebimus hoc quod non oportet partes ſimilares putreſcere, nam corrumperentur ſicq́; eſſet ſubſtantialis membrorum ipſorum putredo, & conſequenter læderentur operationes, eſſetq́; ægritudo, ſed neceſſarium eſt materiam illã eſſe ſparſam in aliqua parte earum, ex quo neceſſarium eſt hic eſſe quandam materiam, materia ergo iſta erit in illis progreßibus narium aut in carunculis, ubi ſit odoratus quæ mamillares appellari ſolent, uel erit in ipſis uentriculis cerebri, non eſt poßibile quod illa ſit in uentriculis cerebri, nam cum cerebrum ſit ualde nobile membrum, ideo propter illam materiam læderetur, ſicq́; ſequerentur multa alia peßima accidentia ad fœtorem, ut puta aliquæ uertigines. oportet ergo eam eſſe in carunculis mamillaribus, uel in illis progreßibus, & quomodocunque ſit materia, illi qui patiuntur fœtorem non odorãt propterea quia iſta ſunt inſtrumenta ipſius odoratus, nam aliqui ſunt qui tenẽt carunculas eſſe inſtrumenta odoratus, aliqui uero tenent progreſſus illos, Arabes tenent carunculas illas eſſe odoratus inſtrumenta cum uelint aſſentire Gal. cui nos quoq; aſſenſimus aliàs & ſi iſti noſtri moderni ſint potius quidam intricatores, quoniam multa reprobant dicta Gal. & Auic. in hoc ſed in fine nihil penitus de ſuo aſtruxerunt, deſtruunt, ſed non aſtruũt, uerum dimittamus pro nunc hoc litigium, ſed ſupponamus pro confeſſo nunc ipſas carunculas eſſe inſtrumenta odoratus, cum ergo hoc ita ſit, tunc ſi materia

eſt

est in illis, cumq; cerebrum indigeat continua euenta tione per inspirationem & expirationem per nares, non propter substantiam ipsius, quoniam est frigidissimum, sed propter uasa & arterias existentes in ipso, sed si debet transire ille aer ad ipsum, oportet ut transeat per illa instrumenta, sed ubi est illa putredo materiæ non potest odorari species odorabilis per ipsum sensorium, quoniam iam recepit speciem illam fœtidam, iam ergo habemus locum in quo materia putrescit, uidelicet in caruncults illis, cuius rei signum attulimus, quoniam uidemus hos fœtentes non odorare, quoniam illa eadem materia quæ facit fœtorem destruit ipsum odoratum, sicut accidit quoq; in alijs sensibus cum suis speciebus proportionabiliter, sed plenitudo ipsarum caruncularum & ex illa materia destruit odoratum, propter putredinem uerò fit fœtor, ideo ualet ista propositio uniuersalis, omnes qui fœtent naribus non odorant, sed nõ possumus postea cõuertere ut dicamus omnes qui non odorãt fœtent naribus, quoniam scitis uniuersalem affirmatiuam in se ipsam non posse uniuersaliter conuerti, sicut in logica & didicistis, & ratio huius est, quoniam destructio odoratus & fœtor non perueniũt ab eisdem causis, quoniam sicut diximus, plenitudo caruncularum causat destructionem sensus, sed putredo causat fœtorem, unde quia potest esse plenitudo caruncularum absq; hoc quod materia sit putrida qua replentur, ob id non ualet quòd omnes illi, qui quidem non odorant, fœteant quoq;. bene ualet, fœtent nares huic ergo nõ

odorat,

odorat, quoniam ubicunq; in illis carunculis fuerit fœtor, oportet ibi esse materiam quæ fœteat, ob id dicimus cum ibi sit materia quod destruitur sensus, ualet ergo omnes illi qui fœtent non odorant, sed non è conuerso uniuersaliter, particulariter autem potest conuerti ut dicamus aliqui qui non odorant fœtent, quod hoc sit uerum patet experimento, quoniam si quis est qui laboret coriza non odorat, tamen non fœtet, cum ergo putredo sit causa fœtoris, quoniam omnis fœtor continget ex putredine, putredo autem fit quotiescũque calor non concoquit ipsum humidum subiectum, sed fit inconcoctio siue coinquinatio, & sic putrescit illud humidum: cum ergo fit talis coinquinatio, aut fit ratione agentis, hoc est caloris, aut ratione subiecti, hoc est ratione humidi paßiui; ratione quidem agentis quoniam quandoq; calor ita debilitatus est atq; diminutus, ut non poßit concoquere ipsum humidũ, sed aliquando etiam existet calor fortis, tamen humidum quod est materiæ quam intendit concoquere calor, ut non poßit omnino concoquit, & ita fit coinquinatio illa, postea putredo: quomodocunq; tamen sit semper prouenit putredo; quod sit uerum autem quod etiam fœtor prouenit aliquando ratione diminuti caloris patet, quia uidemus conualescentes fœtere non tamen quia in eis sit aliquis humor putridus, sed quia habent calorem diminutum; quod autẽ aliquando fœtor fiat propter rationem ipsius humidi patet, quia in corporibus sanguineis calor est fortis, tamen aliquando male est ita materia hoc est humidum præparatum ad putredinem,

tredinem, ut corpora illa fœteant, imo hoc erat signũ apud Galenum corporum humidorũ sanguineorumq; cum uidelicet fœterent eis nares, ex quo habemus nõ solum in corporibus frigidis fœtere nares propter di minutionem ipsius caloris, sed etiã in calidis propter materiæ præparationem hoc est humidi ad putredinem, imo in his sæpius fœtent propter maximam re dundantiam humidi, quod cum nõ poßit concoqui putrefit & implentur carunculæ illæ in capite repletis eorum capitibus, nam grauatur & ita mittit multa excrementosa, cuius rei quoque signum illud esse potest, quòd illi excernunt per nares multam materiam crassam uirolentam uiridemq;, quæ est magna indicatio ipsius putredinis, aliquando apparet in ea citri nitas quæ indicat calorem magnum, humoresq; biliosos ascendentes ad capita eorum, sicut ego sæpius memini me curasse. sed his omißis ueniamus modo ad curationem ipsius fœtoris, ex quo iam satisfactũ est ad hoc, ut sciretis quomodo generatur, & ex quibus. primo ergo debetis uos diligenter animaduertere an totum corpus sit immundum, si fuerit immundum tunc oportet quod illud euacuetis, euacuato ipso si indiget euacuatione tunc oportet quod respiciatis an caput totum sit immundum, antequam ueniatis ad ipsa instrumenta, quæ sint autem purgatoria ipsius capitis, sunt illa caputpurgia ab istis sic nominata, suntq; sternutatoria per quæ in hoc casu consulerem ego non esse purgandum caput, sed potius per illa masticatoria per gargarismon, quoniam trahe-

retis

retis materiam ad partem illam diuersam, non autem ad eandem, sicut faciunt caputpurgia: facto hoc, tũc oportet uos euacuare, purgareq; ipsum locum particularem, & tunc oportet uos uti illis errhinis hoc est caputpurgijs, & sternutatorijs quæ dicuntur tetmi ab istis, per quæ inquiretis loci purgationem quoad fieri potest; & hæc est tertia euacuatio & ultima, sunt ergo tres ordine euacuationes se consequentes, primo illa uniuersalis, secunda uerò particularior uidelicet capitis. tertia loci particularis, hoc est caruncularum, postea sunt instrumenta, & alia, quæ omnia patebunt in libris multis istorum modernorum et antiquorum. sufficiat nobis dare uniuersales intentiones quantum attinet pro nunc ad munus nostrum. postea poteritis imponere aliqua odorata ipsis naribus, ut uidelicet amittat impreßionem illam quam acquisiuerat propter putredinem ipsius materiæ, & eo modo postea poterunt odorare. faciatis autem odorata sicut si accipiatis moschum, ambraca, nigellã, garyophyllas, ladanum, ex quibus omnibus fiat pomum quod supponatur naribus sæpius ad odorandũ. & hæc satis de fœtore narium. Dicamus modo de fœtore oris per anhelitum, uel aliud quid. de hoc autẽ breuibus expediemus, & aduertatis circa hoc, quoniam frequentißime accidit, inueniamus autem causam huius fœtoris, dimittendo uidelicet illam uniuersalem gratia breuitatis. Supponamusq; semper illam, quoniam fœtor semper fit propter aliquam putredinem, quæ fit aut propter materiam, aut pro-

pter

pter ipsum agentem. inueniamus modo particularia, quæ huic speciei fœtoris contingunt. ista ergo materia potest esse in diuersis locis tamen semper idem effectus eueniet fœtoris, aliquando enim materia ipsa existit in uentriculo, aliquando autem in membris spiritualibus in pector e quandoque. Et ideo cum sit exspiratio sentitur fœtor. quandoque autem in dentibus putrescit ista materia, quandoque in ipsis gingiuis, quandoque in palato, cum uidelicet materia ex capite fluit putrefacta, & adhæret ipsi pelliculæ palati, & ita expirantur uapores illi fœtentes. quomodocunque sit ergo, satis est quod sentitur huiusmodi fœtor cum expiratur & inspiratur aer, difficile autem est cognoscere à qua causa proueniat, sed tamen ut sciatis cognoscere docebo uos per ipsa consequentia. si ergo fœtor peruenerit ratione materiæ existentis in ipso uentriculo tunc cognoscetis ex hoc, quoniam illi ieiuni magis quàm post cibum fœtent, expirando enim ascendunt uapores a uentriculo ad ipsum os, post cibum autem assumptum tunc obtunditur et postea iterum fœtent, imò magis quàm prius, ratio autem huius est, quoniam materia semper aliqua super additur, & consequenter semper aliqua putredo, ad maiorem autem putredinem consequitur maior fœtor. quando uerò fit propter materiam putridam existentem in ipso pectore, non loquar nunc sicut sunt phthisici, quoniam materia est in membris spiritualibus hoc est pulmone, sed cum est proprie materia in pectore, tunc cognoscemus ex hac ratione

prouenire

prouenire fœtorem, quoniam illi homines semper eodem modo fœtebunt & ante cibum, & post cibum. Si autem fœtor fuerit propter materiam contentam in dentibus, uel gingiuis tunc uobis patebit sensu, quoniam erit forsan aliquis dens infectus, & erit impactus mala putridaq; materia, sic gingiuæ quoque, & ideo oportet medicũ recte inquirere ista loca in quibus materia putrescit, quoniã diuersimode curatur talis fœtor, si autem ratione palati proueniat tale accidens tunc cognoscetis ex priuatione omnium aliorum. Cum enim inspexeritis omnia recte se habere, tum uentriculum ita quod in eo materia putrescere non posit, tum membra spiritualia, tum dentes gingiuæq; tunc iudicabitis uos talem materiam putridam adhærere ipsi pelliculæ palati, cum uidelicet fœteat, & si melius quoq; ac certius hoc scire uolueritis, iubeatis ut fricet palatũ ipsum linteo ieiuno stomacho; & cum remouerit illum linteolum uidebitis ibi materiam derelictam esse quam quidem si uos uolueritis, faciatis ipsum odorare, & si fœteat uos iudicabitis certo talem fœtorem prouenire propter putredinẽ materiæ adhærentis palato. manifesta ergo causa, manifesto quoq; loco, in quo continеatur illa, tunc patebit quoq; recta curatio; si ergo fuerit fœtor ratione materiæ existentis in ipso uentriculo tunc iniungatur fœtenti recta ratio uiuendi cum his quæ facilis sunt coctionis, & purgare quacunq; mala materia ipsum uentriculum oportet, postea ante cibum exhibeatis uos hieram illam & aloen, quoniam ultra hoc quod

euacuant

euacuant & purgant ipsum uentriculum, præseruāt quoq; materiam ne putreat, & his adhibitis fœtor cessabit; si autem fuerit ratione materiæ contentæ in ipso pectore, tunc diligentißime curetur illud & ad hoc multa habetis, tñ inter alia præstat multum succus ille de farfara, siue de tußilagine, & iniuncto syrupo acetoso scillitico, iubeatis quoq; suscipiendum esse bolum armenum orientalem, siue ut appellāt isti glebam armeniacam, prohibebit enim materiam putrescere in thorace, si autem fuerit à uobis cognitum fœtorem illum prouenire ratione materiæ putridæ existentis in ipsis dentibus, ita quod dentes ipsi sint male affecti, tunc oportet si materia solum adhæreat, ut expurgentur illi dentes, si autem putrefacti sunt dentes, tunc oportet eos extrahere, neq; enim alia erit uia, & eo modo consequenter remouebitur fœtor, si autem ratione ipsius materiæ existentis in ipsis gingiuis, ut propter aliquod ulcus, aut corrosionem existentem in ipsis, tunc curetis illas ulcerationes, & curate ut sint mundæ semper, eóq; modo extirpabitur quoq; fœtor, sed si ratione palati fuerit fœtor, quia uidelicet materia aliqua putrida sit in pellicula palati, tunc opus est ut confortetur caput & exiccetur, abluetis enim caput lixiuio illo exiccante ut fiat hoc modo decoctum, accipiatis maioranam, stæchados, betonicam, pulegium, postea imponatis agaricum quoque si uolueritis, fiatq; ex talibus lixiuium, de quo lauetur caput, hoc modo enim exiccabitur & corroborabitur, sicq; sistetur materia ne fluat ad ipsum palatum,

tum, facta ergo purgatione euacuationeq; totius capitis, tunc oportet uos deuenire modo ad ipsum locũ particularem, utemini autem masticatorijs quæ ualent quoq; ad exiccandum, ut si accipiatis masticem, ceræ parum dissoluantur, misceantur postea cum his garyophylli, cinnamomum, moschum, ambraca, ex quibus omnibus fiat masticatorium modo ipsius pillulæ, sed unum aduertatis, quoniam oportet quod conficiatis solum ipsa odorata post remotionẽ ipsius causæ fœtoris, hoc est ipsa putredine, quoniam si imponeretis talia, existente adhuc materiâ fœtida, magis augeretur fœtor. sunt & alia remedia, inter quæ tamen præcipuum est unum uulgatißimum: non dico uulgatißimum eo quia sit in communi usu, pauci enim sciunt illud nisi periti, sed dico uulgatißimum, quoniã faciliter commodeq́; fieri potest ex rebus uulgatis uilibus etiam, ut accipiatis semina illa siue granula pomorum, & illorum quædam masticent cum domo exire uòluerint, & cum masticarint sumant in ore uinũ album aromaticum quo albuatur, & iubeatis sæpius fricare palatum panno aliquo albo ut semper mundũ sit & eo modo curabuntur. Sed quid dicemus de fœtore proueniente propter putridam aliquam materiam existẽtem in ipsis asellis & pedibus? Dico quod sicut admonuimus superius omnis fœtor habet cõmunißimam illam causam.i. materiam ipsam putridam, quæ quidem putrescit aut ratione ipsius, aut ratione agentis, hoc est caloris, de quibus non dicemus, quoniam iam illud uniuersaliter præmisimus, tanquã supponendum

ponendum pro omni fœtore, non est ergo amplius repetendum, sed ueniendum est ad hoc ut uideamus proprie de causis & ijs quæ attinent ad hunc fœtorem asellarum & pedum. cum ergo fœtor prouenerit ratione materiæ putridæ existẽtis in ipsis asellis aut pedibus, tunc proueniet aut propter illam materiam putridam quidem in illis asellis, sed tamen transmissam ad illas ex toto corpore putridam uidelicet, uel materia quæ ibi est putruit in asellis ipsis absque hoc quod transmissa fuerit illuc ex toto putrida, si fuerit fœtor propter materiam putridam in toto sed transmissam illuc, tunc erunt signa manifesta humorum putridorũ in toto, sed si propter materiam putridam in illa parte, tunc uidebitur hoc euenisse propter nimiam humiditatem illius, & si debet fieri talis fœtor, oportet cõcurrere quoq; constipationem ipsorum pororum, ut uidelicet humores ipsi difflari non poßint, nam cum non difflantur putrescunt, existente uidelicet ibi de humido satis, ideo hoc potest contingere dupliciter, quod uidelicet alicui fœteãt pedes, uel asellæ, aut quoniam uapores ipsi eleuati ex materia existente in ipso corpore occurrunt cum exire uolunt aeri frigido, qui quidem cum constringat ipsos meatus, ideo remanet ibi illa materia, ubi quoq; putrida relicta emittit fœtorem, aut etiã potest prouenire fœtor in illis partibus propter materiam existentem fœtentem existẽtem in illis, sicut cum sunt sordes multæ, quibus pori & cutis est referta, tunc enim fœtor eleuatur, unde huius signum illud esse uidetur, quod sunt multi qui-

bus pedes fœtent, quoniam habent in eis multas fordi ties: Sunt modo aliqui qui quidem, & si quotidie lauent sibi pedes, tamen illis fœteant, quoniã non prouenit tunc fœtor ratione forditierum, sed ratione materiæ illuc transmissæ intrinsecus, quoniam si esset fœtor propter fordities auferretur per ablutionem, sed hic modo restat unum soluendum neq; est aliquo modo prætermittendum, cur uidelicet pueri & puellæ uirgines non fœteant ante coitum, tamen statim cum coierint incipiunt fœtere, hoc non est maximum, ut ante coitum nõ fœteant, post coitum autem maxime: aliqui uolentes soluere hanc difficultatem, quàm turpissime putauerunt hoc prouenire propterea quia ad axillas ipsas in coitu mittatur aliqua pars ipsius seminis, ideo cum ante coitum transmissa non fuisset illa materia ad eas, non fœtebant, sed cum post coitum iam transmissa esset fœtent. sed quòd hoc falsissimum sit probo, quoniam si hac de causa fœtor esset post coitũ, sequeretur quod pueri & puellæ magis fœterent.

Sed dicamus nos hoc prouenire potius quoniam cũ animal utitur ipso coitu, tunc læduntur maxime principalia membra, uidelicet cor, cerebrum, & hepar, ideo cum debilitentur, transmittunt sua excrementa, quæ habent ad loca debita, hoc est sua emũctoria quæ sunt inguina, asellæ, & glandosæ carnes in gutture, præcipueq; ipsum hepar transmittitur ad inguina, unde hepar est membrum in quo principaliter cupido reperitur, si modo Galeno, & maximo Plat. credimus, cum illi uapores & excrementa fuerint trans-

missa ad loca illa cum non poßint difflari, neq; euaporari, quoniam constricti sunt pori propter continentis frigiditatem, ideo constricta talia excrementa putrent, & eo modo fit fœtor post coitum, quoniam illa excrementa quæ transmissa erant ante coitum cũ membra læsa non fuissent, neq; stimulata ad hoc quod transmitterent excrementa sua ad loca dicta: cum enim ibi quoq; calor multum sit debilitatus, cũ sint partes humidißimæ ideo excrementa illa transmissa non possunt bene concoqui sicq́; putrescunt & sequitur fœtor, ut ergo optime curetur fœtor talis qua uia procedemus? Dico primum oportere totum corpus exquisite purgandum atq; mundificandum esse, mundificato toto deueniendum est ad ipsa loca particularia, quid ergo agemus? Dico illa loca quàm optime esse euacuanda, & purganda exterius si fœtor talis fuerit ratione ipsarum sorditierum impactarum in ipsis meatibus, huius autem signum quod uidelicet fœtor proueniat ratione ipsarum sorditierum erit uobis, quoniam linteamina erunt immunda, ubi uidelicet iacent cum partibus illis, uel ubi iacent pedes uel inguina, uel asellæ, sed quoniam curari non possunt tales fœtores nisi remoueatur obstructio ipsorum meatuum, ideo primo facietis ut purgata sint loca, deinde utemini illis ualidius exiccantibus, aperientibus, simulq́; resoluentibus & discutientibus ipsam materiã non enim ualerent leuius exiccantia secundum ipsum Gal. in 4. illo de simplicium medicinarum methodo, sicut sunt aqua ordei siue ipsum ordeum mundificantia,

tia, tamen non ualidius sed leuiter, farina uero ipsorum lupinorum, farina quoq; orobi sunt efficaciores ad id, quoniam sunt amara, efficacißima uero erunt ista, oleum amygdalarum amararum, myrrha quoq;, sed non tantum quoniam craßior est in substãtia sua, hinc quoq; accipere potestis quomodo prouenit quod absinthium ipsum cum abstersiuam uirtutem habeat in se, tamen applicitum exterius non abstergit, quoniam crassum & terrestre in sui substantia, ideo non potest penetrare eius uis abstersiua, cuius signum quoque est illud, cum cortices nucum sint acres habeant quoq; uim abstergendi tamen si applicentur ipsi loco non solum non mundificabunt, sed etiam de turpabunt & nigrefacient ut patet in manibus illorum, qui illas tractant, quod ex alia quidem causa prouenire nõ potest, nisi quia cum sint crassæ substantiæ, ideo ad quendam determinatum terminum ingrediuntur cutim, postea claudunt ipsos poros, & cum sint terrestres admodum ideo tingunt cutim ut etiam difficulter postea abijci poßit talis color, ideo in hoc casu quàm conuenientißima erunt amygdalarum amararum olea, neq; ab eis recedetis. et ita cum mundificata fuerint loca particularia fœtor cessabit. hæc sufficiant de fœtore ipso, cras de alijs dicemus quæ pertinent ad artem decoratiuam, hoc est de pediculis & lendibus.

LECTIO XXVII.

CIRCA *materiam de pediculis et lendibus breuis esse conabor. ero ergo breuis, quoniam iam puto*

uos

nos optime intellexisse quæ circa putredinem erant intelligenda, uidelicet suas causas, ideo quoniam etiam pediculi & talia animalia fiunt ex putri materia, prætermittemus tanquam declaratum & intellectum tractatum de causis huius putredinis, differt autem materia istorum animalium à materia ipsius fœtoris, quoniam materia fœtoris.i. ad quam cum putrida sit sequitur fœtor, est subtilis uaporosaq́;, sed materia istorum animalium est crassa uiscidaq́; alioquin quomodo generari possent? Et *ut debitum conueniensq́; principium capiamus de hoc, dicemus quod horum animalium orientium circa cutim ipsam sunt tria genera, quorum unum est illorum pediculorum, quod super cuti & in ipsa cuti manet, & sunt in ea ita infixi, ut eripi aliquo modo non poßint ex proprio loco, materia autem istorum est magis sicca, magisq́; terrestris quàm materia aliorum pediculorum, hac de causa hærent fixi ipsi cuti conseruanturq́; in proprio loco ubi orti sunt, quoniam unum quodq́; in proprio loco conseruatur, locus enim proprius est conseruatiuus locatorum suorum. quod autē sint terrestriores patet sensu ipso, quoniam sunt nigriores, neq; fiunt nisi in ipsis adultis, qui abundant terrestreitate magis quàm pueri teneri. secundum genus horū animalium est illorum pediculorum, qui non amplius figuntur in cuti, sed uagantur & generantur ex materia subtiliori quàm generentur illi primi, quoniam eleuantur uapores materiæ istius ex partibus internis & petunt extrinsecas, cumq; ibi fuerint occur-*

runt frigori continentis, ideo congelantur, & sic existente ibi calore extraneo, fiunt sub forma animalium tales materiæ, non enim possent alio modo generari, nisi ibi adesset calor extraneus putredinalis, cumq; generati fuerint isti pediculi uagantur per ipsam cutim fiunt autem maxime ex pituita ipsa cuius illud signum esse uidetur, quòd nascuntur sæpißime in ipsis pueris qui sunt pituitosi & humidi magis, fiunt etiam in adultis sed humidioribus: dicuntur autem proprie pediculi. est & tertium genus horum animalium dictorum à nostris lendium, quæ quidem lendes modo neq; fixæ adhærent ipsi cuti, neq; uagãtur per ipsam, sed adhærent ipsis pilis, sunt aũt lendes quoddã excrementum ipsorũ capillorũ, et sicciores sunt ipsis pediculis, quoniam ẽt principia earũ sunt sicciora, nã pediculi fiunt modo dicto supra cutim, sed lendes supra capillos, modo capilli sunt sicciores ipsa cuti, tũ materiæ ex quibus generantur lendes sunt subtiliores quàm illorum primorum, qui adhærent ipsi cuti pediculorum. Et *ideo non oportet homines relinqui in huiusmodi fœdißimis rebus: ut ergo poßint mundari quàm optime, oportet ipsos medicos scire omnia ista tum causas horum animalium, tum etiam naturam, tum remedia conuenientia ad ipsorum remotionem. cum ergo huiusmodi animalia fiant ex putri materia, oportet primo quantum ad præseruationem remouere causas putredinis, eoq; modo non poterunt generari.* Quan*tum uero ad illa quæ generata sunt, oportet uos illa interimere: & cum quibus? cum obstergentibus pur*

gan=

gantibusq; quæ quidem exiccant & aperiunt, modo materia istorum pediculorum est humida, non enim alioquin putruisset ob id dico quod talia medicamenta conueniunt, quoniam sunt contraria illi; amplius aperientia conueniunt, quoniam prohibent putredinem cum remoueant causas putredinis. scitis enim illam fieri propter obstructionem pororum ipsius cutis. conueniunt etiam siccantia quæ sint calida & sicca, quoniam exiccant materiam illorum, ut uidelicet non possint generari, & illa non poßint uiuere. conueniunt quoq; incidentia ut est acetum, quoniam materia dissoluitur & dißilit quæ iam collecta erat: conueniunt exiccantia salsa & nitrosa omnia. hæc est uniuersalis methodus curandi, siue remouendi huiusmodi causas pediculorum. neque inuenietis aliqua medicamenta conuenientia ad hoc propositum in ipsa praxi, quæ reduci non poßint sub has uniuersales intentiones, neque enim attinet ad negocium nostrum dicere & numerare illa particularia remedia, nisi forte exempli gratia. Diximus ergo conuenire *abstergentia ut est succus fabarum immaturarum; exiccantia quoque sicut sunt omnia aromata, aperientia sicut sunt omnia amara, amara enim destruent ista animalia, acria quoque conuenit enim etiam sal nitrum, et talia quod plura istorũ uel omnia coniungeretis, tũc sunt perfectißima et conuenientißima, conueniet ergo absinthiũ quod est amarum, exiccabit, aperiet, absterget.* Est *enim regula* Galeni *in illo quarto de simplicium medicamentorum facultatibus, quod conuenientißima sunt*

illa

illa medicamenta, quæ habent plures intentiones simul requisitas curationi, & promitto uobis absinthium exiccare siquid aliud est, quare uidetur quod sit contrarium istis animalibus; conueniens ergo erit. idem quoque dicemus de agarico, rheubarbaro, idem quoque de saxifragia, ista enim multum conueniens est in hoc casu, si quid aliud, est enim acris, amara, calida, sicca, quæ omnia contrariantur materiæ istorum animalium, quæ est frigida humidaq́;. Ista quidem occidunt pediculos, quoniam secundum suas qualitates eis contrariantur, sunt modo alia medicamenta, quæ quidem a tota sua substantia conueniunt, illisq́; contrariantur, non quia sint calida, non quia sicca, non quia amara, non quia acria, sed quia talia sunt occidant ista animalia, sicut est arsenicū quod quidem nouerunt & illi aucupes, cum falcones & accipitres habent lendes & pediculos, tunc enim utuntur isto arsenico. Est & argentum uiuum quod maxime contrariatur pediculis, imò dicebat quoq; Plinius ille, quod quibuscunque animalibus applicitū fuerit contrariatur ita quod ea occidit. Galenus quoque in illis lib. de simplici medicina cap. de argento uiuo dicebat se nihil cognoscere de hoc argento uiuo, nisi quod est purum uenenum, applicatum ergo argentum uiuum occidit pediculos, imo solum ex eius odore fugiunt. Et hoc quoque testantur isti nostri medici uulgares, qui quidem solent accipere cingulum aliquod cum hoc argento uiuo et ligant capillos, quod cum sentiant pediculi solum ex odore fugiunt, tantum

tum

tum abhorrent argentum uiuum, tunc uideretis exer citus militum occidi moriq́; , eodem quoq; modo animalia alia moriuntur ex hoc argento uiuo ; poteſtis enim curare non ſolum pediculos iſto , ſed etiam uermes in inteſtinis , & in aliquibus rebus putridis . His uiſis de lendibus atque pediculis ueniamus modo ad id quod magis attinet , uideamusq́; pauca de pilis , utiliſsimum enim erit uobis ſcire hoc , oportet autem ſcire quoque uos iſta , ut ſupra dixi, quoniam contin get ſæpius uobis curare tales diſpoſitiones, cum uidelicet ipſi pili læduntur , & ut hoc commodius rectius rationabiliusq́; facere poſsitis , oportet primo ſcire eſſentiam ipſorum pilorum , quomodoq́; generentur. in hoc autem tractatu dicam ſolum ea, quæ ad rem no ſtram facere mihi uidebuntur , dicemus quæ ſint quotq́; differentiæ ipſorum ; de his ergo differentijs di camus primo ; dico quod pilorum alij ſunt congeniti , alij uero poſtgeniti , hæc eſt diuiſio ipſius met Ariſtotelis . congenitos illos appello , qui a natiuitate cũ ipſo animali naſcuntur , qui quidem intenduntur ab ipſa natura propter aliquem finem , & propter aliquem uſum , ſunt enim tanquam partes ad totum animal requiſitæ neceſſariæ & eſſentiales quodammodo , quoniam cum illos à principio generet natura, di cendum eſt factos fuiſſe propter aliquid. Naturam enim nihil fruſtra facere eſt quoddam fundamentũ cer tum , atque impermutabile : pili autem iſti congeniti ſunt in trib. locis reperti, in capite, in palpebris, atq; in ſupercilijs . Poſt geniti autem non ſunt a natura fa cti

cti sed oriuntur propter materiæ necessitatem, qui quidem non intenduntur a natura propter aliquem finem, sunt autem & isti in tribus locis reperti, in mẽto, sub asellis, & in inguinibus. Sicut habetis ab Arist. quoque in illo primo de partibus animalium. Cum enim partes illæ sint admodum laxæ, ut possint recipere excrementa transmissa ad ipsa ab ipsis mem bris principalibus, ideo procedente tempore pori ip sius cutis magis laxantur, & cum ibi sit materia con tinue, ideo incipiunt erumpere huiusmodi pili. Quapropter hoc dicens hoc modoq; reddens naturam generationisq; causam pilorum Gal. in illo suo 10. de usu partium deridet ipsum Mosen, præterea et ipsum Epicurum reddentes causam generationis horum pilorum congenitorum, Mosen quidem referentem in Deum primum. dicebat enim Moses omnia referenda in uoluntatem Dei, ut cur pili congeniti hoc modo ge nerantur in uno loco, alio autem modo in alio loco ut longi quidem fiant in capite breues autem in supercilijs? Respondebat Moses quia ita uoluit Deus, Epicurus uerò quia materia huius loci talis est ut ex ea erumpant pili longiores, materia autem illius est talis ut ex ea generentur pili breuiores, inquit modo Gal. quod Deus non dixit pilis capitis uos ò pili capitis crescatis usque in immensum, uos autem ò pili superciliorum & palpebrarum non crescatis, sed estote breues; neque minus capilli fiunt longiores propterea quia materia in capite est talis, ut ex ea fiant pili longi, & pili superciliorum breues sunt, quia

mate-

materia in illo loco existens est talis, ut ex ea fiant breues pili, inquit Galenus male faciunt isti, quoniã contemnunt artificem sapientem, neque considerant ipsum, quoniam uidentur facere ipsum insipientem. Artifex enim cum uult facere aliquid, præligit ipsam materiam, quæ poßit esse apta ad hoc, ut fiat tale, uel tale artificiatum, & ideo Deum optimum elegere materiam aptam ad hoc, ut generentur pili longi in capite, breues uero in superciliis, & in palpebris. hæc enim est sapientia optimi artificis, alioquin esset imprudens, si non eligeret materiam aptam, neque materia talis est, ut ex ea generentur pili uel longiores, uel breuiores, quia sit talis, sed neque quia Deus uult ita, sed oportet dicere generari longos pilos in capite, quoniam Deus elegit materiam aptam ad eorum generationem, ut sint longi in capite, breues in superciliis, & hoc modo artificiose agit Deus & sapientißime. & postea Galenus dicit quòd si cõparemus has duas opiniones simul tum Mosis, tum Epicuri, nos cogemur a rei ueritate dicere melius sensisse Mosem, qui in Deum ipsum retulit, quàm Epicurus, qui in materiam; uterque tamen errauit; causam uero huius rei completam tradidimus nos. sed contra Gal. deridentem Mosen insurrexit, & inuectus est in illum ille Rabi Moses in suis aphorismis, defenditq; Mosen ab eius calumnia, & quam optime certe, uideatis ipsum. hæc satis quantum ad primam differentiam pilorum istorum, secunda modo differentia eorum sumitur ab eorum essentia, quoniam pilorum

rum quidam sunt duri, quidam molles, quidam longi, quidam breues, quidam crispi, quidam lenes, & plani, quidam multi, quidam pauci. Præterea sumuntur differentiæ a coloribus quoniam pilorum alij sunt nigri, alij albi, alij flaui, & consimiles; habent autem omnes pili unam communem passionem quòd possunt scindi, & hæc sint salis quoad differentias ipsorum. Iam tempus est ut ueniamus ad inueniendum modum generationis illorum, idest quomodo generantur, et oportet primo nos uidere locum ipsorum, quare dico quòd locus proprius pilorum est ipsa superficies cutis, & notetis ista quam optime, quoniam uidebitis postea quid conferat scire ista, & quid non conferat; & ne erretis, sciatis quod cutim appello illam crassam quæ sentit, non autem cuticulam illam: dicemus ergo, quòd locus ipsorum pilorum est cutis; sed materia illorum sunt humores glutinosi, cuius signum est quòd non sunt aliquæ cutes, quæ non habeant uisciditatem aliquam propter humores illos ad eam transmissos, unde hoc quoq; patet in corijs ipsis, & hoc quoque sciunt illi, qui conficiunt coria, non est enim aliqua cutis, ex qua non potest fieri gluten: causa autem efficiens horum pilorum sunt duo calores, intrinsecus scilicet & naturalis, qui expelli facit materiam illam ad ipsam cutim, & extrinsecus qui cum materia illa peruenerit ad cutim expulsa per calorem innatum, sunt autem uapores, tunc illos congregat, & condensat, iste antem calor extraneus dictus est calor continentis. his stantibus ueniam modo

do ad dicendum modum, quo nascuntur pili. Dicamus ergo, quod uapores illi eleuati, & expulsi a calore innato ad cutim tendunt, & cum in cuti sint pori, ideo uapores illi prorumpunt per ipsos: postea calor continetis ambiens corpus ipsum condensat et cõgelat ipsos, sicq; fiunt pili, cuius signum illud est, qnod in cicatricibus uos non uidebitis nasci pilos, quoniam ibi non sunt pori, per quos exire poßit materia illa, atque prorumpere, est enim cutis quam durißima: neque ubi fiunt possunt nasci, imò quod plus est si nati sint, cadunt, quoniam sunt ita duri, ut uapores non poßint erumpere ad nutriendum ipsos, sicq; cum careant alimento, cadunt, cum etiam materia nõ poßit exire, non possunt nasci eadem ratione pili. sed uideamus parumper quomodo et a quo sumuntur naturæ illæ, quas supra numerauimus. Dicebamus enim primo quòd pilorum alij sunt duri, alij molles; hæc ergo differentia sumitur hoc modo, quoniam cum cutis dura est, duri quoque sunt pili, si mollis, molles, ita quod qualiscunque sit cutis, tales sunt quoq; ex ea prorumpentes pili. hoc quoque dicebat Aristoteles ille homo diuinus, sed non hoc sufficit, nam oportet etiam concurrere ad hoc ipsam materiam, nam si esset cutis dura, tamen materia mollis esset non fierent pili duri, sed molles, sicut manifestum est in elephantibus nam habent cutim duram, solidamq;, tamen habent pilos quàm remißißimos, quod non ex alio prouenit, nisi quoniam materia illa ex qua eleuata ad cutim fiunt pili, est humida,

mida, mollisq́;, nisi ergo cum cuti dura sit quæq; materia dura, uiscosaq́;, non fiunt duri pili; si ergo cutis sit dura, materia uiscosa per casum tunc pili nati ex eis sunt asperi, sed si materia sit mollis, & cutis quoq; sit mollis, & tenera, sicut in mulieribus et pueris tenellis, pili quoq; fiunt molles, sed cur fiant longi, uel breues, dicamus, nam cum hoc q̃ cutis est mollis, si materia sit multa, fiunt pili longi, sed hoc non sufficit, uerum requiritur etiam agens fortius, quod expellat.s. calor intrinsecus, quanto enim magis expellet materiam illam multam, tanto longiores fient, breues autem fiunt per causas contrarias, quoniam contrarioris sunt contrariæ causæ, nam cum debilis sit ille calor, neq; poßit tantum expellere materiam ad extra, & cum hoc modo materia pauca sit, tunc pili fiunt breuiores; in cerebro ergo fiunt multa excrementa quæ eleuantur ad cutim ipsius capitis, ideo fiunt longi capilli, quoniam semper uapores illi transmißi fouent materiam, ex qua nutriuntur capilli, & cum ibi quoq; sit calor idoneus, & satis potens, qui expellit illam materiam, ideo prolongantur, calor autem nõ est propter cerebrum quoniam est frigidum, sed propter uasa multa ibi existentia, quæ ad ipsum portant nutrimentum, & hæc est causa propter quã capilli longiores fiant, quàm in cæteris locis, cũ hoc modo quoq; cutis non est admodum dura, & ualde porosa, ideo fiunt multi, sed in supercilijs, primo os est ibi durum ualde, ideo materia non potest transmitti in multa quantitate. Amplius calor debilis est, ideo

non

non potest ita transmittere materiam ipsam, propter ea fiunt breuiores hic pili, sed in senibus fiunt longiores, quoniam magis exiccatur os, laxantur pori, & humiditates multæ colliguntur, ideo calor quoq; ille expellit, sicq; fiunt longiores. sed dicamus iam de alijs quoq; differentijs, nam cur fiunt crispi pili, cur plani, & lenes, Aristoteles aßignabat unam causam ipsius crispitudinis, cur uidelicet pili fiant crispi, dicebat enim hoc prouenire propter ipsum calorem adurentem, cuius signum esse potest, quòd chordæ crispantur & torquentur, si nimium calefiant, quod quoque optime cognoscentes mulieres, cum uolunt ipsos reddi crispos, accipiunt aliquod ferrum, & calefaciunt, postea torquent pilos eis applicando illud, & hanc quoq; causam confeßus est Galenus. Sed non ea solum contemptus, sed adiungere uoluit quoq; aliam causam, quoniam dicit quòd aliquando pori ipsius cutis sunt in obliquum tendentes, aliquando autẽ in rectum, cum autem tendunt in obliquum, & erumpunt per eos illi uapores, ex quibus congelatis fiunt pili, accipiunt figuram illam loci uidelicet obliquam & obtortam, & quoniam augentur secundum materiam, non autem secundum formam, secundum quam ea quæ augentur, prompte augentur, ideo non crescunt in omnibus suis partibus manente eadem figura, sed secundum materiam aduenientem attolluntur tantum sicq; pertranseuntes per poros illos obliquos accipiunt eorum figuram, & cum prolongati sunt, postea manent obtorti & crispi, si autem meatus sint

tendentes in rectum, eadem ratione fiunt pili plani, & recti, sed distinguebat Galenus, quoniam si crispitudo pilorum sit propter figuram ipsorum meatuum, tunc pili fiunt tenues, mollesq́;, si autem proueniat propter calorem adurentem, tunc fiunt asperi, unde Aethiopes propter ardentem, adurentemq́; solem et calorem habent capillos obtortos & crispos, tamen asperos, sed Sicambri habent quidem obtortos, crispósq́; capillos, non enim asperos, sed tenues, quoniã crispi non fiunt propter calorem adurentem, unde bene sciens hoc dicebat ille poeta,

Crinibus in nodum tortis uenere Sicambri,

Atque aliter tortis crinibus Aethiopes,

Aduertatis ergo hanc Gal. distinctionem, quomodo fiant crispi a duabus causis, differenter tamen, ut audiuistis. hæc de crispitudine, & planitie: Dicamus *modo a quibus causis fiant multi & pauci: Ista enim est alia differentia ipsorum pilorum.* Dico ergo, quòd *paucitas pilorũ prouenit primo propter ea quia pauci sunt uapores ascendentes ad cutim, cum hocq́; stat imbecillitas caloris innati expellentis ipsam, &* Gale*nus aßignauit causam ipsius caluitij, quoniam uidelicet materia sicca est, & pauca, sed* Aristoteles *quam optime aßignauit eius causam, cum dixit quòd eius causa est paucitas agentis, idest caloris innati expellentis, unde hoc modo refert Aristoteles, quòd huiusmodi signũ esse uidetur iuuenes habere multos pilos ante coitum, sed cum incipiunt coire, quoniam calor innatus debilitatur, fiunt pauciores, & rariores, ca-*

lor

lor autem extraneus magis augetur, postgeniti autem pili augentur, cum minuuntur antegeniti, quoniam multa remanent excrementa propter imbecillitatem caloris non recte concoquentis ideo fiunt multi postgeniti, sicut enim est in paludibus, in quibus sunt multa excrementa non nascuntur herbæ, quoniā non est ibi calor; sic quoq; in nostro corpore inquit Aristoteles, *ut si multa sint excrementa post coitū, tamen quoniam calor est imbecillis; ideo non possunt transmitti ad cutim, ideo non fiunt multi, sed excrementa illa cum debili calore illo sunt causæ cur postea magis augentur postgeniti, sed* Galenus *(ut dixi) hoc retulit ad causam materialem, nam inquit ipse caluitium fieri, siue etiam paucitatem ipsorum pilorum propter defectum materiæ, quoniam cum exsiccatur ipsa & pericraneum, nam aut propter coitum, aut propter ætātem pericraneum elongatur ab ipso craneo; tuncq; induratur, unde uapores postea non possunt ascendere ad cutim, & ideo pili fiunt rariores; & pauciores, cuius signum illud est, quòd qui coeunt magis, fiunt etiam magis, citiusq; calui.* Habetis er*go omnes differentias pilorum, quantum ad duritiem mollitiem, asperitatem, lenitatem, multitudinem, & paucitatem, longitudinem, & breuitatem, crispitunem, & planitiem, sed quoniam sunt datæ quoque differentiæ pilorum à coloribus, dicamus parumper & de his.* Dicamus ergo pilos *uariari in suis coloribus propter uariationem ipsius materiæ, & agentis, propter materiam quidem uariantur, quoniam*

si humor sanguineus peccet in corpore humano, fiunt pili rubei, clari, sicut docebat Gal. in secundo illo artis paruæ, lib. Si uero bilis, fiunt pili lutei, flaui, seu fului, si pituita fiunt albicantes, sicut uobis manifestum esse credo de ijs qui habitant Patauij ad Pratum Vallis, qui exercent artem illam, quam uocant pellizariam, nam fratres, sorores, omnesq; illius domus habent pilos omnes albicantes, quoniam multum in illis peccat humor pituitosus, et habent tantam frigiditatem ipsius cerebri, ut parum uideant. fiunt autem nigri pili propter melancholicam materiam peccantem, & hoc modo fiunt colores propter materiam, sed propter agens fiunt hoc modo diuersi colores pilorum, secundum quòd ipsum quoque diuersatur, nam si peccet in aliquo melancholia tamen calor sit debilis, non propterea fient nigri pili, quoniã sicut dicebat Galenus in lib. secundo de Temperamentis, fiunt potius subnigrescentes & cineritij pili, quoniam propter materiam quidem facti essent nigri, sed quoniam calor, qui est agens, non fuit tantus, & ita fortis, ut reduceret ipsos ad nigredinem, ideo non potuerunt fieri nigri, sed relicti sunt subcinericij, idest coloris illius cineris, sic etiam dicendum est de alijs materijs peccantibus, puta pituitosis, nam cum propter pituitam deberent fieri albi, tamen quia calor debilis fuit, non fiunt albi, sed subalbi, sed cum peccat bilis, aut sanguis, tunc quoniam agens, idest calor non potest deficere, & debilis esse, ideo fiunt secundum humorem abundantem, si sanguis, rubri, si bilis,

lis, flaui. Sed quid dicemus de caluitie? Quomodo enim fit? Dico quòd *fit propter multitudinem pituitæ, & humiditatum, ex quibus generari deberent ipsi pili, tamen putrescunt, ideo pili quoq; cum foueri non possunt, decidunt, aut fit caluitiem propter defectum caloris agentis, unde uidemus quòd in iuuenibus fiunt multi pili & plures quàm in senibus sint, quoniam in eis calor innatus multus est, sed etiam uidemus iuuenes fortes, calidosq́; habentes plurimum de calore innato, & illo quidem forti, tamen propter humiditates multas abundantes & putrescentes fiunt calui, propter defectum autem caloris fiunt calui senes. Quid dicemus de curatione caluitiei?* Dico *ergo quòd non potest curari, neq; pili illi possunt reparari in senibus, quoniam sicut optime declarabat* Aristoteles *in lib. ultimo, de* Generatione *animalium, si tempora ipsius hominis possent redire, posset quoq; caluities reparari, sicut plantæ & arbores reparant sua folia, quoniam singulis annis reparantur sua tempora, nam redit uer singulis annis, postea æstas, autumnus, & hyems, & iterum uer, sed non redit adolescentia, non iuuentus, non senium primum ipsi homini, ideo neque pili illi possunt regenerari.*

LECTIO XXVIII.

CIRCA *eam partem decoratiuæ, quæ uersatur circa pilos docebamus in hesterna lectione unde orirentur, sumerenturq́; differentiæ omnes ipsorum*

pilorum, nam oportebat primo uos præscire illa omnia quantum heri, tum in superioribus lectionibus diximus, si uolebatis recte curare, ubi curatio materia est. supponatur ergo ista tanquam optime declarata & etiam intellecta. Veniamus modo ad curationem ipsam, ne maneamus in his per mensem, & ueniamus ad rem nostram, uidebitis modo nunc quid referat præscire illa. prima ergo differentia pilorum erat ista quod pili sunt in duplici differentia, aut. n. sunt antegeniti, aut postgeniti, & quomodocunque sint, semper sunt in tribus locis, nam antegeniti sunt in tribus locis, in capite, supercilijs, & palpebris, postgeniti autem in totidem locis, in mento, inguinibus, & ascellis. Nunc dicamus de curatione postgenitorum, si in aliquo deficiant, nam hoc genus pilorum habet quod diuersum ab illis naturalibus, uoco naturales illos qui congeniti sunt. Dico ergo primo quod nullus quærit destruere pilos congenitos & naturales, siue sit mas, siue fœmina, immo omnes quoad fieri potest custodiunt illos, sed in postgenitis est dissensio, quoniam sunt quidam qui desiderant illos habere, quidam autem cupiunt non habere, sicut sunt multæ mulieres, & aliqui homines qui malunt esse mulieres, quam uiri. Multi ergo quærent a uobis præseruare ne oriantur huiusmodi pili, siue in mento, siue in inguinibus, siue in ascellis. Amplius sunt alij, qui si orti sint pili, quærunt illos destruere, & quocunq; artificio, ut decidant; tertio alij sunt qui uolunt ut post decessum eorum fiat, ita ut non amplius oriantur.

tur. Quoad ergo primum, Dico quód non debetis quærere præseruationem ortus pilorum eo modo, sicut faciunt isti nostri empirici, sed quæratis ex methodo, & secundum medicos dignos Aesculapio, naturamq́; rei semper præ oculis habeatis, & semper recte procedetis in curatione uestra. Credo ergo quód iam sciatis materiam ipsorum pilorum illam esse, quæ transmittitur ad ipsam cutim, idest uapores illos humidos, uiscidos, uiscososq́; expulsos ad cutim ab ipso calore innato cuius signũ esse diximus supra, quód coria omnia sunt unctuosa, uiscosaq́; & artifices faciunt gluten ex ipsis, quoniam semper est aliqua materia uiscida, quæ transmissa est a calore expellente, habemusq́; poros apertos in ortu pilorum. Quare cum hic habemus tria calorem naturalem expellentem, materiam uiscidam transmissam, & pororum apertionem, habemus quoque tria facere, cũ uolumus præseruare ortum pilorum; primo quidem exiccare materiam illam humidã, uiscosamq́;. Quod hoc sit faciendum patet, quia etiam calui fiunt homines propter siccitatem illius materiæ, ut diximus supra, & uidemus senes siccos esse, cum calui fiunt, præcipue secundum dicta Galeni. secundo quia calor innatus est ille qui expellitur ad cutim huiusmod materiam, ideo oportet debilitare ipsum, ne poßit expellere eam. tertio quoniam habemus poros laxos, oportet nos constringere illos & constipare, cuius signum est quód in cicatricibus non oriuntur pili, quoniam indurata est ibi cutis, & consequenter sunt

pili constricti, ita ut non poßint erumpere pili. Quantum ergo ad exiccationem ipsius materiæ, Dico quòd exiccabimus illam applicando exiccantia, quæ simul cum hoc penetrent, quoniam nisi penetrarent, non haberetis uestrum intentum, sed si debent penetrare, oportet ut sint subtilis substantiæ, tenuisq́; quoniam tunc ad profundum penetrabunt, ex ijs autem quæ sunt tenuioris substantiæ, faciliusq́; penetrant, sunt calida & sicca, quæ si applicentur, non solum non habebitis intentum uestrum, sed etiam magis crescent pili, & ideo non utamini istis exempli gratia, sicut est Cinnamomum, sed utamini exiccantibus quidem quæ sint sicca, cum hocq́; frigida, sicut est acetum, penetrat enim statim ad profundum, frigidum est & siccum, utamini quoq; succo limonum, aut citriorum, siue succo lapatij, ista enim refrigerant, exiccant, penetrant, & ita conueniunt in hoc casu, & cõsimilia accipiatis, nolo enim nunc cumulare syluam medicamentorum, quoniam nimium prolixum esset, satis est ista dixisse exempli gratia, & ut sitis prõptiores ad inuenienda multa alia consimilia, quæ pene sunt infinita, neq; hic sunt dicenda, cum ad nos nunc non attineat. hæc sint quoad primum, uidelicet ad exiccationem ipsius materiæ uiscosæ. Quoad secundum etiam, ideſt quoad extinguendum, debilitandumq́; calorem naturalem expellentem uapores uiscidos illos, oportet quòd inueniatis refrigerantia insigniter, utamini ergo sanguine rubetæ, succo cicutæ, succo mandragoræ, sanguine uespertilionis, ista

enim

*enim omnia refrigerantia sunt quàm maxime; sunt autem alia quæ id conuenientia sunt non propter qualitatem aliquam quia .s. refrigerent, sed à proprietate occulta * substantia extinguentia ipsum calorem innatum, & prohibentia insimul pilos ipsos, sicut est lac canis, & talibus. tertio oportet quòd adstringamus poros laxos, ne possint prorumpere pili per adstriagentia, ut sumantur balaustriæ, uel terra sigillata, uel bolus armenus dictus ab istis modernis gleba armeniaca, & talia, quæ adstringant, postea misceantur simul omnia, quæ .s. refrigerant, & siccant propter materiam, quæ insigniter refrigerant propter calorem expellentem, & adstringentia propter poros cutis, ut esset quoq; cerusa, & ita bene mista facient quoddam compositum medicamentum, de quo superponatur loco, & eo modo prohibebuntur pili, ne oriantur. possetis postea uos augere, minuereq; quantitatem componentium secundũ indigentiam, non enim uolo hic omnia dicere, sed do uobis methodum solum inueniendi conuenientia medicamenta, inuenietis enim ex his plurima alia, ita ut uobis declaro, quia inuenietis in lib. istorum medicamenta alia, sicut oua formicarum, quæ conueniunt in prohibitione ortus pilorum. Alij autem dicunt alibi, immo & illi ipsi quòd non conueniunt, immo faciunt ipsos crescere, inuenietis etiam apud ipsum Archigenem. Quomodo ergo potest eadem causa cõtrarios producere effectus? nam oua formicarum, prohibent ortum pilorum, & faciunt ipsos crescere,*

ideo

pili constricti, ita ut non possint erumpere pili. Quantum ergo ad exiccationem ipsius materiæ, Dico quòd exiccabimus illam applicando exiccantia, quæ simul cum hoc penetrent, quoniam nisi penetrarent, non haberetis uestrum intentum, sed si debent penetrare, oportet ut sint subtilis substantiæ, tenuisq́; quoniam tunc ad profundum penetrabunt, ex ijs autem quæ sunt tenuioris substantiæ, faciliusq́; penetrant, sunt calida & sicca, quæ si applicentur, non solum non habebitis intentum uestrum, sed etiam magis crescent pili, & ideo non utamini istis exempli gratia, sicut est Cinnamomum, sed utamini exiccantibus quidem quæ sint sicca, cum hocq́; frigida, sicut est acetum, penetrat enim statim ad profundum, frigidum est & siccum, utamini quoq; succo limonum, aut citriorum, siue succo lapatij, ista enim refrigerant, exiccant, penetrant, & ita conueniunt in hoc casu, & cõsimilia accipiatis, nolo enim nunc cumulare syluam medicamentorum, quoniam nimium prolixum esset, satis est ista dixisse exempli gratia, & ut sitis prõptiores ad inuenienda multa alia consimilia, quæ pene sunt infinita, neq; hic sunt dicenda, cum ad nos nunc non attineat. hæc sint quoad primum, uidelicet ad exiccationem ipsius materiæ uiscosæ. Quoad secundum etiam, idest quoad extinguendum, debilitandumq́; calorem naturalem expellentem uapores uiscidos illos, oportet quòd inueniatis refrigerantia insigniter, utamini ergo sanguine rubetæ, succo cicutæ, succo mandragoræ, sanguine uespertilionis, ista

enim omnia refrigerantia sunt quàm maxime; sunt autem alia quæ id conuenientia sunt non propter qualitatem aliquam quia .s. refrigerent, sed à proprietate occulta * substantia extinguentia ipsum calorem innatum, & probibentia insimul pilos ipsos, sicut est lac canis, & talibus. tertio oportet quòd adstringamus poros laxos, ne poßint prorumpere pili per adstriagentia, ut sumantur balaustriæ, uel terra sigillata, uel bolus armenus dictus ab istis modernis gleba armeniaca, & talia, quæ adstringant, postea misceantur simul omnia, quæ .s. refrigerant, & siccant propter materiam, quæ insigniter refrigerant propter calorem expellentem, & adstringentia propter poros cutis, ut esset quoq; cerusa, & ita bene mista facient quoddam compositum medicamentum, de quo superponatur loco, & eo modo probibebuntur pili, ne oriantur. possetis postea uos augere, minuereq; quantitatem componentium secundũ indigentiam, non enim uolo hic omnia dicere, sed do uobis methodum solum inueniendi conuenientia medicamenta, inuenietis enim ex his plurima alia, ita ut uobis declaro, quia inuenietis in lib. istorum medicamenta alia, sicut oua formicarum, quæ conueniunt in prohibitione ortus pilorum. Alij autem dicunt alibi, immo & illi ipsi quòd non conueniunt, immo faciunt ipsos crescere, inuenietis etiam apud ipsum Archigenem. Quomodo ergo potest eadem causa cõtrarios producere effectus? nam oua formicarum, probibent ortum pilorum, & faciunt ipsos crescere,

ideo

ideo homo qui habet methodum & naturam rei semper considerat, soluet facillime hanc apparentem cõtradictionem, non enim hoc prouenit propter naturam medicamenti, quoniam semper eundem effectum producit per se, diuersum postea per accidens, nam quatenus tali, & tali homini applicantur ista oua per pilorum prohibitione, taliter etiam & taliter producunt suum effectum modo.s. prohibent, modo uero souent, sunt enim oua formicarum frigida & sicca, ideo debilitant calorem innatum, exiccant etiam materiã illam humidam, uiscosamq;, ideo si cui applicentur, prohibent pilos propter has causas, sed quoniam sunt aliqui calidißimi naturaliter, qui quidem non habent pilos, quoniam scitis ad generationem pilorum requiri moderatum calorem, non autem adurentem, illi enim (ut uidetis) non habent barbam, quod non prouenit nisi hac de causa, quoniam calor ille immoderatus absumit materiam, ex qua generandi erant pili, & ita non generantur, ideo oua formicarum adhibita istis temperant illum excedentem calorem, et cum moderatus fit, non amplius absumit materiam illam, ideo generantur pili, modo illa refrigerantia etiam non sint ita refrigerantia, & extinguentia calorem innatum & absumant quoque simul materiam ipsam, uidete ergo quomodo eadem oua formicarum producunt diuersos & contrarios effectus, nam producunt pilos, & prohibent, hoc autem diximus non esse propter ipsa oua, sed esse ratione illorum, quibus applicantur, & hoc per accidens prouenit.

accidit

accidit enim quòd sunt applicata ipsi calidissimo homini, ideo temperatus est eius calor & generati sunt pili. Postquàm ergo diximus quomodo prohibendus est ortus pilorum, & cum quibus, ueniamus modo ad secundum à principio propositum, & doceamus quomodo & cum quibus possumus facere ut pili decidãt, post medicamenta omnia istorum medicorum nostrorum faciatis ut accipiatis auripigmentum cum calce ipsa æquis portionibus misceantur simul, sunt quidẽ & alia, sed non ita citò expediunt rem, sicut illud nostrum medicamentum dictũm, illa enim si cito faciunt, hoc est in teneris solum ut est in pueris & talibus, sed teneatis ut dixi meum auxilium, quoniam statim incideret detruncat pilos, tanquam si esset quædam nouacula, quæ abraderet, si autem uolumus insensibiliter curare decessum pilorum, non possumus meliori medicamento quam illo, quoniam habet causticam uirtutem; & quod hoc sit uerum patet, quia ubi applicatur, locus ille rubescit, ideo postea ille locus est abluẽdus, ne inflammetur puta decocto fabarum, & maluæ, althеæ, cõsimilibusq;, potestis etiam accipere psilotrum. dicunt enim quòd facit decidere pilos, postquam autem decesserunt pili debemus postea uenire ad ea quæ prohibent pilos, quæ sint autem ista, iam audistis, oportet uos illuc animum intendere, neq; enim uolo bis idem repetere, quoniam eadem quæ conueniunt ad prohibitionem pilorum antequam oriantur, conueniunt etiam ad prohibitionem pilorum post casum ipsorum, ideo cum iam satisfecerimus tribus pro

positis

positis à nobis superius, sufficiant ista de pilis post genitis, ut de ijs quæ sunt in inguinibus, sub ascellis et in mento, sed multi sunt, qui quærunt habere barbam quomodo ergo eis satisfaciemus? Dico quòd ex me*thodo data pro casu pilorum & prohibitione ipsorũ potestis inuenire contrariã, quæ uobis id præstare possint, sed quid dicemus de congenitis, qui sunt in capite, superciliis, & palpebris? quantum ad illos qui sunt in superciliis, quærunt istæ mulieres præcipue habere illos paucos, breuesq;, sed quantum ab illis, qui sunt in capite, quæruntur colores pulchri, ut aurei & lucidi ab istis mulieribus non autem nigri, quærunt etiam illæ habere capillos longos, quoad fieri possit.* Dicebamus *superius quinq; differentias pilorum, ideo omnes sunt singillatim considerandæ, ut si in aliqua illarum deficiunt pili, possimus succurrere. primo ergo dicebamus pilos alios molles, alios duros, mulieres nostræ quærunt pilos molles, ideo oportet si non habeant molles, ut ita faciamus quòd habeant molles, delicatosq;. ex methodo data, credo quòd iam sciatis, quomodo oriantur pili, quoniam requiritur materia uiscosa humida, laxitas pororum cutis, amplius calor moderatus, non adurens, quoniam calor immoderatus facit pilos duros, sicut manifestum est, in* Aethiopibus, *oportet ergo si calor innatus sit immoderatus, ut moderetur, caueant ergo patientes à solaribus radijs, ne ambulent sub sole, eiusq; calore, ex quo potestis colligere quantum errent mulieres nostri temporis, quæ cum putent se colorare capillos*

pillos manendo sub ardentibus radijs solis pectendo, incidunt in maius peccatum, quoniam colorant quidẽ ipsos, sed fiunt postea breues, & duri asperiq;, cuius signum illud est, quòd Scythæ habent pilos molles propter frigiditatem ipsius aeris existentis in Scythia secundum quòd dicebat quoq; Aristoteles. Amplius caueant à frictione cum pannis calidis, neq; exiccent pilos apud ignem propter igneum calorem, sed oportet uti illis quæ moderantur, temperantq; calorem innatum, ut lixiuia, quibus abluuntur, sint dulcia, puta facta ex aqua, & cinere uitium, non autem illarũ arborum fortiorum, sicut sunt quercus & tales, & in eo lixiuio decoquantur mollientia aliqua, sicut esset aliquid de malua aut althea, neq; sit lixiuium illud feruidum, in quo abluuntur, & breuiter caueant ab omnibus immoderate calidis. postquàm autem siccauerint illos, inungantur oleo rosaceo composito, quod fit ex oleo sisamino, oleoq; rosaceo, moschoq; ut sit odoratum. quando postea uellemus colorare ipsos, ut puta aureos reddere, sicut cupiunt istæ nostræ mulieres, tunc ego habeo unũm mirum remedium, ut accipiantur oculi populi, quam nos uocamus albaram, ex illisq; exprimatis & faciatis oleum, uidelicet imponendo in oleo sisamino, de quo illinantur capilli, postquam loti sunt. Dabamus postea aliam differentiam pilorum, cum dicebamus pilos alios esse multos, alios uero paucos, mulieres nostræ quærunt multitudinem illorum, ad hoc autem ut sint multi pili, requiritur primo materia multa, quæ ad cutim ascendat,

secundo

secundo calor innatus, qui moderatus sit, ideo oportet patientes uti illis cibis quæ generant bonum sanguinem, suntq; optimi chymi, quoniam multitudo aliorum humorum facit cadere pilos potius, quàm augeri, unde non esset inconueniens si prius totum corpus purgaretur malis humoribus, utendo postea bona uictus ratione. Dicebamus postea opus esse pilos *aut longos, aut breues esse. mulieres quærunt ipsorũ longitudinem, primo ergo dico quòd oportet caput quàm mundißimum esse, ut materia melius poßit erũpere, & prolongari poßint; & ut euentetur materia illa, ne putrescat; ideò dico etiam quòd non oportet in hoc casu uti exiccantibus, ut sunt illæ suæ aquæ fortes, quibus utuntur, quoniã istæ mulieres semper quærunt peius, nam etsi putant se colorare, tamen adurunt illos, & fiunt breues, destruunt quin etiam substantiam ipsorũ, & quod deterius est, destruunt propriam uitam, & ea quæ conueniunt ad mollitiem ipsorum pilorum conueniunt etiã ad longitudinem ipsorum, quoniam eædem sunt causæ facientes longos & molles, poteritis ergo uti illo lixiuio supradicto, recurratis ad illa, quoniam nolo nunc repetere, sed uolo expedire me, ut hodie poßim perficere materiam istam, & uenire ad res maioris momenti.* Quantum *autem ad crispitudinem & planitiem, dico quòd etiam quærũt istæ mulieres crispitudinem pilorum, sed ego hortarer ut cauerent à rebus incrispãtibus ipsos, quoniam cum hoc quòd incrispant, destruunt substantiam pilorum, sed si uolunt incrispare, utantur calidis illis*

pannis

pannis fricando pilos, hæc patent ex data methodo. Præterea dicebamus pilos alios multos, alios paucos, mulieres quærunt multitudinem illorum, ideo parumper insistendum in hoc, quoniam maximi refert, primo ergo dicamus quòd paucitas pilorum fit, quando cadunt pili, sed quando cadunt, aut cadunt propter materiam nullam ascendentem ad cutim, quæ foueat ipsos, aut propter ipsam deprauatam, aut quia exiccata est cutis, & tunc induratur cutis, neq; erumpere possunt pili, & tunc non est quærenda curatio ut fiant multi quoniam est impossibilis, cum uero uolumus prohibere aliquam caluitiem quæ ideo fit, quoniam paucitas pilorum est, & cadunt, tunc conuenientiori non possumus uti remedio, quam sit illud oleum amygdalarum dulcium, nam conseruat tum humidũ, tum calorem innatum, sicut erat sententia illius magni medici Auenzoar, sed quando fit caluities, propterea quia materia deprauata est, ex qua generari habent pili, fit puta in alopecia & ophiasi siue morphea alba, ut modo istorum Arabum & modernorũ nostrorum loquar. cadunt etiam pili, & fit caluities propter materiam nullam, quæ foueat pilos, sicut aliquãdo prouenit in ægritudinibus magnis, et generantur postea per generationem humorum, qui deficiebant. in morbo autem gallico cadunt pili propter putredinem ipsius materiæ, quoniam cum morbus gallicus sit intemperies in hepate, ut aliàs ostendimus in proprio tractatu, ideo non potest generare bonos humores, & cum concoquit cibum, eleuantur uapores

isti mali putridi ad cutim, & ideo cum non poſsint foueri pili cadunt, ideo quid agemus in isto casu? dico quòd omnium putredinum curatio eſt primo exiccatio, ſed non utendo ijs, quæ abſumunt humidum naturale & utile, ſed utamini illis, quæ parum penetrent, & abſumentibus illam materiam inutilem, quæ putrida eſt, ſed non oportet quòd remedia illa ſint frigida, ſicut eis utebamur quando prohibebamus ortum pilorum, ſed neq; oportet eſſe nimium calida, ſed ſint moderate calida, quoniam calor moderatus cum fiat, concoquit materiam, & facit euaporare putridos uapores, ſicq; conuenientiſsimum erit hoc remedium, hoc enim proprium eſt caloris moderati, quia tolletur putredo humorum. medicamenta autem id nobis præſtantia erunt ſecundum noſtros medicos, ſi ſuccus ipſius Thapſiæ miſceatur cum oleo liliorum alborum. Sed quoniã Thapſia oritur in Regno & Appulia, ideo cum aſportant noſtri Itali in Italiam, longo tempore ſtant in itinere, ideo quoniam eſt genus ferulæ habens radicem raram poſt aliquot dies euaporat ipſius uis, & propterea ego dimitterem ipſam Appulis & ſumerem aliquid aliud, quod loco ipſius ualeret, ut ſi ſumamus euphorbium cum prædicto oleo, ſi autem uolumus medicamenta agentia à proprietate occulta ſumamus oleum illarum lacertarum uiridiũ, quod optime ſciunt conficere homines noſtri temporis, hoc enim oleum à proprietate facit multitudinem pilorum, & eorum pulchritudinem ut uideantur omnino aurei coloris eſſe, uti poteſtis quoq; illo oleo garyophyllorum,

ryophyllorum, oleo quoq; nucis moschatæ, quod incæpit afferri in Italiam, penetrat mirum in modum, exiccatq;, & ego uidi experientiam præcipue dum essem Romæ, unus inunxit sibi manum, & quamprimum illud oleum penetrauit ad aliam partem manus. Sed dicamus modo quædam de coloribus ipsorum pilorum & primo uideamus causam caniciei. Dico ergo quòd canities fit propter putredinem ipsius pituitæ, eiusq; multitudinē, sicut patet in his qui perpessi sunt aliquam ægritudinem, nam in illis calor est debilitatus, & generatur pituita, sicq; canescunt pili, sic etiam in senibus hoc prouenit. quòd autem propter infirmitatem aliquam fiunt cani pili, manifestum uobis est si uidistis illum patauinum nobilē, qui post quādam ægritudinem magnā canuit, tamen postea conualuit, & denigrati sunt pili, quod signum fuit non canuisse ipsum, nisi propter ægritudinem quæ præcesserat, oportet ergo in his confortare calorem innatū & prohibere putredinem, necesse est etiam prohibere sorditiem, ut fiat euentatio materiæ, quoniam nisi euentetur, putrida relinquitur, cuius signum est illud, quòd ij qui portant aliquid super caput, semper citius canescunt, quòd non est nisi, quia prohibetur euentatio materiæ; utamini ergo oleo citoniorū, oleo de garyophyllis, cum hoc enim quòd exiccat, confortatq; calorem, alterat etiam pilos, ita quòd conuenientissimum erit omnium remediorum, sed quando sunt cani homines dicunt aliqui quòd debemus, uti exiccantibus, quoniam albedo illa pilorum non pro-

uenit, nisi propter pituitam dominantem quæ maxime humida est, & nihil præstãtius esse potest ad exiccandam illam, quam sint calidæ ualide, ut quod componitur ex calce lithargyrio & talibus. ad exiccandum etiam possumus uti gumi cedria quæ asportatur ex oriente, loco eius possumus uti oleo iuniperi, sandaraca quoq;, & uernix conueniunt quæ misceantur & ex illis fiat destillatio, et illinatur locus, possumus etiam colorare, ut ex uitreolo, & corticibus granatorum, & omnibus ijs, quæ tingunt, gallam quoq; imponatis, fiatq; coloratio, galla enim fere ubique in ijs quæ tinguntur, imponitur, nam nouerunt quoq; hoc tinctores, qui semper imponunt ipsam in tincturis, sed tamen mihi magis placet, ut exiccationi attendamus, quam colorationi. si autem uultis facere flauos pilos, utamini abstergentibus quoq; ut sulfure, alumine, nitro, talibusq; sed si qui quærant tincturam pilorum existentium in supercilijs, tunc potestis accipere garyphyllos cum radice illa guadi cum antimonia, quæ misceantur quoad fermententur omnia simul, & fiat oleum, de quo illinantur supercilia, optimum nanque est remedium ad nigrescendos pilos illos. Sed hæc iam sufficiant pro hac materia, dixi enim ista ut excitarem potius ingenia uestra quam ut facerem tractatum completum. si haberem tempus docerem etiam facere uirginitatem. i. quomodo appareat, etsi non esset, tamen multa quoq; alia essent dicenda, quæ non dicam hic, quoniam oportet attendere rei naturæ.

Lectio XXIX.

De horis ægritudinum. Cap. VII.

CREDO *uos meminisse quòd sumus in tractatu de dispositionis illis, quæ accidunt corpori humano, sanitate, ægritudine & neutralitate. de sanitate & neutralitate dictum est, tractauimus quoq; de ægritudinibus omnibus, uidimus enim quot essent genera simplicium ægritudinum, quotq; compositarum, & de eis sufficienter dictum est. diximus etiam de illis dispositionibus, quæ non sunt ægritudines, tamē numerantur inter ægritudines, quoniam curantur quoque ipsæ, quæ sunt res attinentes ad decorationem ipsam; superest modo ut expleamus cum Auicen. tractatum hunc de ægritudinibus, quem quidem non possumus explere, nisi ultra hoc, quòd cognoscimus essentiam morborum, cognoscimus quoq; propria accidentia ipsorum, nam secundum Ar. primo de animalib. tex. ij. Accidentia magna ex parte conferunt ad cognoscendum quod quid est, immo accidentia propria sunt illa, quæ demonstrantur, sed inter accidentia propria ægritudinibus est unum proprium, quod ab eis non potest separari aliquo modo neq; actu, neq; imaginatione, quod est tempus ipsum, nam cum ægritudo semper moueatur, & omne quod mouetur, mensuretur tempore, ergo ægritudo mensuratur tempore, neq; possibile est imaginari motum sine tempore, cum tem*

 pus

pus sit eius mensura, & nihil aliud sit, quam prius et posterius, quæ numerantur in motu, cum motus fiat successiue de termino à quo ad terminum ad quem. Dicendum est ergo de tempore ipsius ægritudinis, cũ ipsa aliter se habeat in uno tẽpore, & aliter in alio. et antequám tractemus de temporibus istis, primo uidendum est quid medici, quid Galenus, & quid Auic. intelligant per tempora morbi. Dico ergo quòd medici intelligunt per tempora morbi mutationes ipsius, sed dicamus aliter quòd medici intelligunt mutationes rei per tempora, nam uiderunt illi, quòd aliter se habet res in principio .i. cum mouetur à termino, à quo, aliter cum est in termino ad quem, aliter autem in medio motus, & illæ mutationes habent uarias diuersasq; ideas, & uarios habitus, quæ quidem mutationes sunt in multis rebus, sed secundum diuersa subiecta, in quibus inueniuntur, diuersæ quoq; nominantur; nam si sumantur tempora, & mutationes ipsius uitæ animalis cum aliter se habeat in principio suo, aliter autem cum est in medio, et aliter cum est in termino ad quem.i. ad mortem, ideo tempora sunt illi appellata a medicis ætates, homo enim ualde insigniter & notabiliter diceret in adolescentia a se ipso dũ esset in pueritia, aliter in iuuentute, & aliter in senectute, eiusq; Ideæ sunt diuersæ in his diuersis ætatibus diuersæq; formæ secundum dicta Galeni in proprio tractatu de quatuor temporibus uniuersalibus morbi. Discurratis ergo uos in unaquaq; re, & inuenietis ibi tempora sua diuersa inuicem, nam in motu lo-

cali

cali primo sunt ista tempora, & primum tempus est cum res ipsa mouetur in termino, à quo incipit, postea incipit augeri, hoc est magis accedere ad terminum ad quem, sed inter istos duos terminos, tũ à quo, tum ad quem, est terminus medius, in quo mouetur res, quæ distat æqualiter ab ambobus, & tunc motus est in suo uigore, postea cum incipit accedere propius ad terminum illum ad quem, tunc declinat, et hic est motus localis rectus, sed manifestius mihi esse uidetur in motu locali super linea semicirculi, quæ super linea illa recta, nã sit semicirculus ⌒ *Cum res est in principio, ultq; ascendere, ut tandem deueniat ad finem illius semicirculi, uno modo se habet, cũ uero incipit ascendere, tunc augetur motus, cum iam ascendit, & est in summitate illius, tunc est in medio & uigore motus, postea cum incipit deflectere ad aliud caput tunc declinat, sic non solum dicendum est in motu locali, sed etiam in motu augmenti, alterationisq;, nam in augmento quidem est principium, cum incipit augmentatio, postea augetur augmentatio, cũ magis augetur res, postea cum peruenit ad summam maximamq;, quæ potest quantitatem, tunc est in uigore, neq; amplius potest augeri, quoniam omnium natura constantium determinatus est modus & mensura, secundum Ar. in secundo de anima, postea declinat, cum augmentũ incipit cessare. in alteratione quoque sunt sua tempora, sed sunt magis occulta quam sint in motu locali & augmento etiam, quoniam aliqui sunt, qui negant principium ipsius, & cum hoc*

sit dubium, prætermittatur pro nunc, quoniam est nimis longinquum à proposito negocio. Aliqui alij negant statum quoq; ipsius, ideo demus parumper exemplum in alia mutatione .s. in generatione, nã hic sunt manifesta tempora, cum enim incipit generari homo, tunc est ipsius principium, quoniam modo non erat, tamen nunc incipit esse, postea dum augetur usque ad quendam terminum, dicitur augmentum ipsius, postea cum auctus est, stat neq; augetur, neq; minuitur, sed consistit, & dicitur uigor ipsius; quarto incipit inclinare, & est tempus inclinationis, sic quoq; dicatur in omnibus substantijs, quæ generantur, discurratis in illis, & inuenietis omnia ista tempora, in alijs motibus uidetis quomodo non sunt ita manifesta ista tempora, præter quã in motu locali. uolui pro nunc ista dicere, quoniam conferet multum ista scire ad cognitionem illorum temporum, quæ sunt in morbo, habetis enim quid per tempora intelligant medici. Visis istis, nunc uideamus quantum conferat habere cognitionem ipsorum temporum in morbo. Dico enim quòd tantum confert, ut nihil poßitis rite facere sine illorum cognitione, nisi me fortuna faciatis. Quod autẽ hoc sit uerum declaro, quoniam tempora in morbis sumuntur penes uirtutem, & dispositionem quæ est præter naturam, quæ etiam ipsis facultatibus humanum corpus dispensantibus contrariatur, intelligamus quòd sunt duo inimici, uidelicet morbus & ipsa uirtus, quæ simul pugnent, ideo penes ista duo pugnãtia sumuntur tempora morborũ, nam est aliquod tem

pus

pus, in quo morbus inuadit corpus humanum, & manet sine aliqua resistentia ipsius uirtutis notabili, quæ que sit manifesta sensui, & tunc uirtus præparat se ad pugnandum & ad expellendum morbum illudq́; tẽpus dicitur esse principium, cum uero uirtus quæ iam præparauerat se, incipit pugnare, & expellere morbum tunc dicitur augmentum, cum uero pugnant ambo, tum uirtus, tum morbus, ita quòd alter non superat alterum, tunc dicitur esse status, cum uero iam apparet uictoria unius puta uirtutis, tuncq́; uirtus superat morbum omnino, est declinatio. sed ut faciamus rectam comparationem, ut res ipsa manifestetur, dicamus q̃ uirtus est dux ciuitatis, ciuitas aũt est corpus humanum, postea hostis & exercitus uolens expugnare ciuitatẽ, est ipse morbus. cum ergo exercitus & hostis circuit muros ciuitatis ut incipiat, & præparet se ad pugnandũ, sed dux in ciuitate nõdum incipit pugnare, sed etiam ipse præparat se, ut ueniat ad expellendum hostem, tunc dicitur principium obsessionis, sed cum hostis & dux in ciuitate incipiunt pugnare, tunc est augmentum, cum uero pugna ab utraq; parte ita summa est, ut iam omnia sint permista, neq; possit apparere sensibiliter quis uincat, uel saltem quis uincere debeat, tunc est status obsessionis, cum autem apparet uictoria manifesta ab una illarum partium puta ducis, tunc est declinatio, tunc hostis abit, propemodum sic putandum est de uirtute, morboq́;, penes quæ duo sumuntur tempora ipsa, ideo siquis non cognouerit tempora morborum,

quomodo poßibile est quòd aliquid pronuntiet de ipso pronostico, uel salutis uel mortis? nam comparatio ipsius uirtutis dat nobis quid dicamus de pronostico, si enim uirtus uincitur a morbo habemus pronosticare de morte, cum autem morbus uincitur a uirtute, tunc habemus quid de salute dicendum, sed si ignoramus huiusmodi comparationem, cum ipsa tempora nesciamus, quomodo ergo poterimus pronosticari? Nã *ad pronosticandum oportet nos scire modum inuadẽdi, & modum ipsius pugnæ morbi cum uirtute, & siquis attenderit prudenter etiam in principio sciet quid firmi saltem probabiliter, & si non demonstratione pronosticamur, unde etiam si in statu omnia sint in summo, tamen ex modo pugnæ etiam prudẽs medicus sciet quis uicturus sit an uirtus, an uero morbus, eodem modo dicamus de ratione uictus iniungenda, quoniam nesciemus illam recte iniungere, si ignoremus tempora morborum, nam aliter datur, iniungiturq; ratio uictus in principio, aliter in augmento, aliter in statu, secundum etiam quod habetis ab* Hippocrate *in prima illa particula aph. Amplius medicamenta quomodo applicabimus rectè, nisi scientiam temporum habeamus? nam medicamenta alia dantur in principio alia conueniunt in statu, nam in principio sunt danda medicamenta euacuantia, quoniam in statu postea non conueniunt, secundum quòd clare* Hippocrates *in secunda illa particula aph. in principio morbi siquid mouendum, moue, quoniam in statu postea silentium melius est, uidete ergo quàm necessaria*

ria

ria sit cognitio temporum medicis, cum sine illa nihil recti poßint facere, circa curationem morborum, unde uidens hoc quoq; ille poeta dixit,

Temporibus medicina ualet, &c. Alibi quoq; dixit etiam Lucretius, Medici quoq; tempora seruant, Quapropter non immeritò Auicenna hic uolens perficere tractatum de dispositionibus, uoluit quoq; agere de temporibus morborum, in cap. præsenti, sed in hoc sunt dubitationes quædam tum Antiquorum, tum Modernorum medicorum, quæ antequam ultra procedam, sunt soluendæ. Primo quidem aliqui negauerunt principium ægritudinis, quoniam uident ægritudinem semper in motu & alteratione esse, quapropter aut illud principium est instans, aut non est; sed potius est quædam fabula, in hanc sententiam uenit magnus ille Archigenes, & isti concedunt augmentũ, sed quidam postea ultra principium negant quoq; ipsum statum, quoniã cum ægritudo semper sit in motu & alteratione, nõ inuenietur ergo tempus, in quo morbus consistat, sicq; non datur status. Amplius dicunt aliqui declinationem non esse necessariam, quoniam sunt multi morbi, qui per crisin terminãtur sine aliqua notabili declinatione, si ergo non est necessaria in omnibus morbis, ad quid ergo illam connumerare? Ista sunt quæ dubitarunt medici circa tractatum temporum morbi & non solum Antiqui, sed etiã Moderni nostri, qui postea proponunt alias ualde ineptiores quæstiones, ideo illas ego non recitabo, quoniam proueniunt ex malo intellectu, sed uos uidebitis

quòd

quòd omnes per se soluentur sine labore nostro, dum modo concipiatis tempora ipsa secundum quod concepit etiã Galenus qui primus huius rei declarator fuit, sed radix harum dubitationum contingentiũ tota fuit hæc, quoniam isti considerant omnes ægritudines simul, & putant esse easdem omnes, neq; illas distinguunt, & accipiunt rem, quæ est multiplex, tanquam si esset una, ideo, ut omnes dubitationes appareãt nullæ esse, oportet distinguere id primo quod est multiplex, neq; enim eodem modo sumũtur tempora ista in omnibus ægritudinibus, quoniam cum tempora sint numeri motus secundũ dicta Aristotelis quarto phy. ergo secundum diuersitatem motus diuersabuntur tẽpora quoq;, sed secundum diuersa tempora, in quibus sunt motus diuersantur, ergo etiam ipsa tempora diuersificabuntur secundum diuersitatem subiectorũ, ideo uidemus quòd in uno subiecto principium est breue, in alio autem longum, & in aliquo est ita breue, ut non percipiamus aliquo modo illud sensibiliter, tamen omnia subiecta habent principium, & si hoc perceptibile, illud uero imperceptibile, ideo omnes difficultates soluentur de his temporibus supponendo illud quod diximus & iam concipiendo hoc quod dicemus, quoniam dupliciter possumus considerare tempora morborum, uno modo secundum exacerbationes, quoniam sunt aliqui morbi, qui habent tales exacerbationes & ista dicuntur tempora particularia morborum, alio modo secundum quòd sunt uniuersalia .i. in toto morbo, quare primo consideremus illa

par-

particularia, & dicamus quòd sunt quædam febres, quæ sunt cum rigore summo uel frigore, quædam autem sunt, quæ sunt sine talibus, loquamur de ijs quæ habent frigus perceptibile, & sunt illæ, quæ ad infebricitationem terminantur, hoc enim in ijs plurimum fit, & si quandoq; contingat, ut illis coniungantur paroxysmi alij, ideo in his febribus sunt distincta quatuor tempora, & ne putetis quòd distinguantur ex animo nostro & imaginationis ui; sed ex parte ipsius rei diuiduntur quoniam re ipsa sunt distincta, primo enim habemus tempus illius frigoris, cū uidelicet corpora frigent (& hic debetis reminisci dictorum à nobis in principio huius lectionis) nam calor innatus, qui est uel uirtus ipsa, uel saltem proximum instrumētum ipsius uirtutis insurgit & præparat se ad pugnādum, ut expellat frigus ipsum, quod est suum contrarium, tamen nondum pugnat, nam in hoc tempore frigus ipsum fit propter existentem ibi materiam, quæ inducit frigus, uel propter mordicationē ipsius, uel propter sensum ipsius, quæ frigida sit, nam decurrens ad musculos ipsos mouet sensum tactus, & tunc calor innatus retrahitur ad intima .i. ad principium suum, in hoc ergo toto tempore dum friget corpus, est una distincta idea & forma ipsius febris, postea sequitur secundum tempus, in quo est alia idea distincta à prima, cū uidelicet iam calor igneus incipit expandi per totum corpus expanditur innátus calor ut pugnet cū morbo, incipitq; pugnare, tum frigus adhuc pugnat & tunc hoc tempus à græcis dictum est ἀνομαλία

quia

quia frigus & calor stant in eo corpore expansa. Arabes autem qui uolebant forte proferre nomen græcum, eiq; adhærentes nominarunt hoc tempus Aluiclila, non enim potuerunt proferre nomen græcum, & hoc est secundum tempus paroxysmorum non omnium febrium, sed illarũ in quibus est frigus in principio ut est in ijs, de quibus sermo præsens est, a nostris autem latinis dicitur inæqualitas, postea calor incipit augeri & magis intendi, ita quòd expanditur eo modo per totum corpus, ut non relinquatur amplius aliquid frigoris, & hoc est tertium tempus paroxysmi, quod dicitur augmentum, postea calor peruenit ad summum, quo potest peruenire, & maxima pugna est inter ipsum & uirtutem, ita quòd omnia sunt permista, neq; uidetur quo. uincat, diciturq; status paroxysmi, quod est quartum tempus in his paroxysmis. Accedit quintum tempus in quo calor incipit mitescere circa extremitates ut pedes, & manus circaq; pectus, & tunc signum est quòd uirtus uincit calorem igneum, & ipse fugit, decubuit enim in pugna, unde dicebat Hipp. in secundo de ratione uictus in morbis acutis, quòd cum calor febrilis ad pedes decubuerit, tunc est declinatio febris, ubi Gal. in com. dicebat quòd ultra hoc in declinatione quoq; calor mitescit circa pectus & hypochondria, additur his quin etiam sextum tempus, cum uidelicet iam cessauit febris, neq; amplius febricitat & hoc tempus dicitur à nostris infebricitatio, interuuallum διάσημα, quod est inter declinationem unius paroxysmi, &

prin-

principium alterius, & hæc omnia tempora sunt inter se distincta quoniam febris in ipsis habet aliam & aliam ideam ac formam. Quare in febribus, quæ incipiunt cum frigore, & desinunt ad infebricitationem, sunt omnia ista sex tempora distincta essentialiter inter se, principium, inæqualitas, augmentum, status, declinatio, & infebricitatio, sed in febribus, quæ incipiunt sine frigore, dari quidem non potest inæqualitas, sed principium in omnibus datur, nam illam diximus inæqualitatem esse, in qua calor et frigus simul dominantur corpori modo in his febribus non est frigus secundum nostrum suppositum, sed solum calor, ergo non possunt dominari ambo corpori simul, ergo non datur inæqualitas in ipsis, datur tamen principiũ insensile aliquando, & aliquando sensile, & ideo isti, qui negarunt principium in morbis, moti sunt propter id, quia uiderunt illud esse quandoq; insensile, sed dicebat Galenus quòd nõ propterea debemus nos negare principium in morbis, quia aliquando non percipitur, in paroxysmis ergo harum febrium principium est insensibile & imperceptibile sensu ἀναίσθητον. dicebat Galenus. secundo est augmentum in his ualde insigne tempus, atq; notabile, est quoq; status manifestus, & declinatio omnia inter se distincta realiter, & sic sunt quatuor tempora in his febribus dũmodo non desinant ad infebricitationem, nam si desinunt ad ipsam, tunc in ipsis sunt quinq; tempora, uel ergo quatuor uel quinq; in his febribus sunt tempora, sex autem esse impoßibile est, quoniam natura rei

non patitur inæqualitatem, quæ datur in febribus incipientibus cum frigore, & in his est unum tempus, quod est principium insensile, & sic patet quomodo est principium quoq; in alteratione & si imperceptibile. Isti quærunt multa, utrum detur principium sanitatis, & alia, quæ omnia per uitam meam sunt uana dialectica, & non solum dialectica, sed etiam sophistica, neq; enim considerant naturam rei, sicut nos considerauimus cum Galeno, quoniam si hoc modo cõsiderassent, non intricarentur in his difficultatibus. hæc satis de particularibus temporibus morbi, dicemus modo de uniuersalibus.

LECTIO XXX.

QVANTVM *sit utilis speculatio de temporibus ipsorum morborum, uidimus in superiori lectione, in qua etiam uidimus quid antiqui medici intelligant per tempora, declarauimus quomodo sumantur ista tempora à uaria actione ipsius uirtutis & morbi, hæc enim erat radix, à qua sumebatur tota eorum distinctio. Vidimus quin etiam quomodo tempora paroxysmorum sumantur tum in morbis, qui habent suas periodos, tum in ijs, qui non habent, & dicebamus q; tempora ubiq; ista essentialiter sunt, & omnino diuersa inter se. Amplius diximus morbos, ut febres habẽtes exacerbationes suas aliàs incipere cum frigore, aliàs sine ipso. Declarauimus etiam quomodo in febribus, quæ incipiunt cum frigore, sunt sex tempora omnino distincta, principium, inæqualitas, augmentũ, status,*

status, declinatio cum infebricitatione, siue interuallo, quomodocunq; dicatis. In *febribus autem non incipientibus cum frigore, aut sunt quatuor tempora aut quinq;, nunquam sex esse possunt, quoniam ab eis tollitur omnino inæqualitas, etsi infebricitatio modo ponatur, modo non, hæc sunt intellecta iam.* Reliquum *est modo ut accedamus ad temporum uniuersalium morbi speculationem, & hic sicut in superioribus quoq; diximus sumitur unum commune per se manifestum quòd uidelicet sumi[illegible]r diuersitas istorũ temporum uniuersalium a diuersitate motuum, quorum tempora sunt mensuræ, isti autem motus sunt diuersi secũdum diuersitatem ipsius materiæ morborum, hoc enim repeto, quoniam uolo hoc semper ante oculos uos habere, & diligenter illud aduertere, quoniam multum iuuabit ad curationem ipsorum morborũ, & cum hoc soluetis multas dubitationes istorum modernorum, qui multas mouent quæstiones hic ex malo intellectu eorum, quæ proponuntur, & quod hoc sit uerum patet, quia magis se intricant. sed ut habeamus bonam occasionem exordij huius tractatus, dicamus quòd morborum alij sunt simplices, alij complicati, ubi aduertatis unum, me non intelligere illam diuisionem, quam supra aßignauimus, cum inciperemus loqui de ægritudinibus, sed nunc intelligimus aliam ab illa, nam nunc appellamus morbos simplices illos, qui sunt soli. i. quandocunq; unus est morbus sine alio, siue modo habeat materiam simplicem & qualitates, siue cõpositas, modo enim sit unus morbus, dicitur simplex*

plex nunc à nobis, per complicatum autem intelligimus, cum sunt duo morbi simul, qui tamen distincti sunt inter se essentialiter. simplicium adhuc hoc modo intellectorum, alij sunt cum materia, alij sine materia, qui sunt sine materia, sunt sicut hectica simplex, arefactio uel totius corporis, uel alicuius membri, utputa uentriculi, & alij consimiles morbi, qui uero sunt cum materia, adhuc sunt alij cum defluxu ipsius materiæ, alij autem sunt bene cum materia, sed sine defluxu, si sunt cum defluxu materiæ, tunc possunt duo fieri, aut enim materia fluens colligitur, figiturq́; in aliquo loco, & sic fiunt abscessus, aut non figitur, sed fluit, exitq́;, sicut in mulieribus accidit, cum fit profluuium menstruorum alborum. hæc distinctio necessaria est, alioquin nunquam possetis recte concipere institutionem de temporibus, quam sum traditurus hodie, si enim hoc modo distincte procedetis, non implicabimini, sicut solent implicari isti nostri moderni, qui permittunt augeri dubitationes, & difficultates usq; in immensum, et ita expectant magnam ægritudinem, antequam illas curent, postea faciunt pessimam curam. Nos *autem faciamus oppositum istorum, uolo enim quòd etiã antequam accedat morbus, præueniamus ei, &* prohibeamus *ne accedat, nam faciunt primo quæstionem magnam adducendo in utranque partem rationes sophisticas, authoresq́; postea faciunt quasdam suas distinctiones, & putant se soluere omnia, quæ dubium faciunt.* Q*uapropter consideremus parumper in morbis illis, qui sunt sine materia,*

ria, quomodo sumuntur ipsa tempora. Debetis ergo *scire quòd unumquodq; quod oritur, habet illa quatuor tempora principium augmentum, statum, & declinationem, quare unusquisq; morbus sine materia, habet illa, quoniam oritur, sed hic sunt aliqua, quæ possunt implicare intellectum uestrum, nam quoniam Galenus in illo suo libro proprio de quatuor temporibus uniuersalibus morborum, dicebat quòd tempora ista sumuntur à duobus, à natura.i. uirtute, & à materia, quæ facit morbum, sed nihil dubitat, neq; minus soluit ea quæ dubitanda sunt, cum implicent alioquin intellectus hominum, nam secundum ipsum uictoria & non uictoria sumitur penes ipsam materiam, quæ aut concoquitur, aut non concoquitur, ideo docet quidem, sed non complete Galenus in hoc: principium nanq; est in illis morbis cum materia non concoquitur ab ipsa natura, nondum enim illam natura est aggressa, sed præparat se ut illam aggrediatur, quando autem aggreditur illam, tunc dicitur esse augmentum, cum autem æqualiter pugnant ambæ, ita tamen quòd aliqua illarum magis posit aliquo modo, dicitur status, cum iam natura uincit uel materia, est declinatio, quoniam una illarum fugatur, hæc sunt tempora sumpta in morbis, qui sunt cum materia, sed quid dicemus de morbis, qui sunt sine materia? quomodo sumemus tempora illorum, hic non est materia, & non possumus sumere uictoriam, cum non sint quæ pugnent, uidete ergo quomodo Galenus non soluat hoc dubium cum tamen arduum esse uideatur.* Ego autem

dico quòd regula illa Galeni uniuersalis est, & uera, perpetuæq; ueritatis in omnibus morbis siue sint cum materia, siue sine materia, & sumuntur ipsa tempora semper à natura ipsa.i.uirtute, quando aggreditur siue materiam ipsam, siue morbum, modo hic sit aliquis hostis, contra quem natura poßit pugnare, cum enim natura nondũ est aggressa pugnam contra morbum, sed præparat se contra illum, dicitur principiũ & morbus fit sicut in arefactione ἀτροφία deficiente nutrimento principium dicitur ipsius, cum autem incipit minorari corpus, si est arefactio totius, tum dicitur ipsius augmentum, cum minoratum est, & ideo arefactum, tunc est status, si autem contingat quòd natura tunc incipiat nutricare corpus, dicitur declinatio arefactionis. Amplius in tabe tendente ad mortem, supponatis q natura semper uincatur à morbo, cum fit hectica & incipit corpus diminui, sicut dicebamus quoq; in ipsa arefactione corporis pincipium esse, cum deficit alimentum in huiusmodi hectica nondum natura est aggressa, quæ nondum facta est, sed est in fieri, cum autem facta est omnino hectica, tunc est principium ipsius augmenti, & morbus adhuc superat naturam, tamen facit aliquid quoq; natura, nã membrum adhuc nutritur, est tamen uerum quòd magis resoluitur, & diminuitur, quam augeatur & nutriatur, est tamen hic aliqua actio naturæ adhuc, augetur morbus ad mortem, & hoc est augmentum, cũ autem non apparet omnino aliqua nutricatio, sed iam facta omnimoda arefactio; & tunc moritur homo,

est

est status, nam tales morbi non habent declinationẽ, non enim omnes habent quatuor tempora, qui enim tendunt ad mortem, non expectant declinationem, sed minuuntur in statu, aut in augmento etiam in principio homines ipsi, cum autem arefactio ista seu tabes tendit ad bonum, tunc habet quidem idem principium quando morbus fit, nondum factus est, & natura nondum pugnat, sed præparat se ad pugnandum, sed cum natura incipit pugnare contra morbum, & hic magis potest quam morbus, tunc est augmentum ipsius morbi, sed quando pugna est tota commista, ita quòd nondum scitur manifeste quid futurum sit, tunc est status, sed cum iam apparet manifeste, quòd natura uincit, & iam arefactio fugatur, tunc est declinatio. Sed contra illa, quæ docebamus in superioribus instatur, quoniam uidetur quòd principiũ non detur, nam principium esse debet eiusdem essentiæ, & naturæ cum principiato, si enim non est eiusdem naturæ, tunc non est ipsius principium maxime cum contrarium est ipsi essentiæ principiati, sed in aliquibus morbis est, quod dicitur principium contrarium ipsi principiato, neq; de ipsius essentia ergo non est ipsorum principiũ & hoc præcipue est contra illud, quod dicebamus heri secundum mentem Galeni, quòd in febribus habentibus exacerbationes incipientes cum frigore, principium illarum exacerbationum est cum frigus incipit esse in corpore modo febris est calor igneus, frigus autem non est de essentia ipsius caloris, immo illi contrarium, quomodo ergo erit principium ipsius exa-

 cerbationis

cerbationis febris? quomodo poterit esse illius pars, si est illi contrariũ? Ad hoc ego respondeo q; oportet principium conuenire in materia semper, non autem in forma, oportet enim esse in eodem subiecto, eademq; materia, in qua est ipse morbus totus, sed non oportet habere eandem formam, cum ipso toto morbo, nam fundamenta domus sunt eiusdem materiæ cum ipsa domo tota, quoniam sicut illa fundamenta quoq; sunt composita & aggregata ex lateribus & calce, tamen fundamenta non sunt eiusdem figuræ cum tota domo, sic quoque in motu locali principium ipsius est in eodem subiecto, in quo faciendum est augmentũ, & reliqua tempora, tamen nõ eodem modo se habet tunc illud quod mouetur, neq; est in ea figura uel forma, sicut postea est in alijs temporibus, unde homo, qui non est factus sed fit, est eiusdem materiæ cũ homine illo, qui postea factus est, quoniam ex eisdem nutrimur & augemur, tantum non est eiusdem figuræ cum illo, est tamen in principio ipsius, sed quantum ad illud, quod dicebatur de febre incipiente cum frigore dico quòd frigus est principium ipsius, quod quidem & si contrarium sit in forma toti morbo, tamen conuenit ipsi in materia, quæ est eadem. i. pabulo, nam in febre putrida in principio est materia putrescens, quæ erit quoq; in febre reliqua futura, quæ nondum facta est sed fit, quia si facta esset, tunc esset augmentum, non autem principium ecce ergo quomodo principium conuenit cum augmẽto, & alijs temporibus in ipsa materia, cum tamen forma alia & alia sit intellexistis ergo iam omnia ista & uidetis

detis quomodo soluta illa duo, quæ dubitationem facie bant in his dictis Gal. *& nostris de temporibus morborum sine materia, declaratum estq; quomodo sumantur tempora in illis morbis quomodoq; principiũ est. Restat ut ueniamus ad reliquas differentias datas.* Dicebamus enim quòd alij sunt cum materia, & hi adhuc sunt duplices, aut enim cum defluxu materiæ, aut sine defluxu tamen cum materia, si sine defluxu materiæ, ut cum humor putrescit intra uenas, & fit febris continua, nam materia non defluit, sed ibi existens putrescit. in hoc ergo morbo, quomodo sumenda sunt tempora, & penes quid? Dico sumenda esse tum ab ipsa materia, tum à natura, & ista quatuor tempora fiunt ab illis duobus, uel modo ad bonum, uel ad malum, nam cum est morbus in fieri, neque factus est, materiaq; ibi iam adest, nondum tamen natura cœpit pugnare, sed præparat se, tunc est principium, sed cum iam morbus & materia pugnat quidem, & uirtus incipit expromere suam uim contra materiam, fitq; quædam leuis pugna, tunc accidentia incipiunt augeri, quoniam semper natura facit aliquid contra materiam, ut illam resoluat, unde eleuantur uapores ex illa materia, & fiunt dolores in capite, diuersisq; partibus, fiunt instantiæ uigiliarum, & inquietudines, taliaq; symptomata in principio omnia tacent, quia nondum est pugna, unde dicebat quoque Hippocrates omnia leuiora esse in principio & in fine, & hoc quoque interpretabatur ita Galenus, quoniam natura quidem in principio nondum pugnat, in fine au-

tem iam morbus declinat, natura autem uincit, in statu autem & augmento omnia sunt grauiora, unde dicebat ille idẽ Hippocrates *in aph. in principio. si quid est faciendum, oportet facere, sed in statu est melius silere, & oportet potius uti quibusdam medicamentis mitigantibus morbum, & consolantibus, confortantibusq́; uirtutem, nam si utemur fortibus pro cura morbi, tunc impediremus, & diuerteremus ipsam uirtutem à pugna, nam iam uirtus audax, & uidemus quòd tentat pugnam contra morbum, ad quid, ergo diuertere ipsam? oportet potius ut consoletur, si defatigetur, cum autem iam pugna est in summo, ita quòd hincinde maxima strages est, omnia sunt commista, neque uirtus, neque morbus uincit, neque possumus iudicare quis eorum sit uicturus, nisi sit maximus iudex prudentißimusq́; ex arce prouidens hanc pugnam, iudicat enim quis uicturus est; quoniam optime cognoscit modum pugnãdi utriusque, ex quo modo pugnandi medicus ille iudex iudicat de uictoria, unde ille peritus medicus in statu, etsi accidentia sunt in summo, sperabit, ubi uiderit, uictoriam futuram ex parte ipsius uirtutis, tamen medicus imprudens timet, quoniam uidet omnia esse permista, desperat, ne scit quid agat, sicut dicebat* Galenus *in hoc proposito in primo lib. de crisi, cum autem materia ipsius morbi siue ipse morbus incipit declinare, ita quòd materia abit, & euacuatur, siue per sudorem, aut per lotium, aut per aluum, aut talem euacuationem, tũc est declinatio morbi, si autem sit morbus tendens ad malum,*

lum, sumuntur eodem modo tempora, sed diuersimode quantum ad hoc, quòd sicut semper Natura aliquo modo uincebat supra morbum, hic morbus uincit naturam, nam cum morbus sit nondum uictus pugnat, sed præparat se ad pugnam, tunc est principiũ, cum incipit pugnare, sed adhuc morbus plus potest, est augmentum, & tunc natura aliquid facit apparent tamẽ mala signa, sicut minoratio Vrinæ, *pulsus fiũt paruiores, & alia talia symptomata, cum uero pugna ad summum peruenit, tunc est status, tamen morbus uicturus est, quod ex modo pugnandi fortiori iudicatur, cum uero iam* Natura *decũbit, & morbus fugat iam morbum tunc est ipsius declinatio: uellem tamen pro nunc ut intelligeretis per declinationem, non illam ueram, sed æquiuocam, quæ est mala, quoniam declinatio uera ipsius morbi est bona, nã in illa morbus declinat, cum natura ipsum superauit, hic autem dicitur declinatio ipsius uirtutis, cum illam superauit morbus, ideo in hac declinatione non est uera propositio illa data ab* Hippocrate *in declinatione non contingit aliquem mori, sed uera est illa, in declinatione uera, quæ est declinatio morbi cum uictoria ipsius uirtutis.*

LECTIO XXXI.

DICEBAMVS *in superioribus de temporibus uniuersalibus ipsorum morborum, & uidebamus dubitationes, quæ in hac materia accidunt sicut solent accidere quoq; in alijs rebus, & docebamus quomodo tempora ipsa metiuntur motus, qui sunt diuersi, secun*

dum diuersa subiecta, ideo diuersa quoq; sunt tempora secundum diuersitatem subiectorum, & ut clarius, rectiusq; haberemus ista nos in quibuscunq; generibus morborum proponebamus declarare, & ideo primo faciebamus quādam diuisionem morborum hoc modo, quoniam alijs sunt simplices alij compositi, simplicium autem alios dicebams esse cum materia, alios sine materia, de ijs, qui sunt sine materia dictum est, postea adhuc diuidebamus illos, qui sunt cum materia, & dicebamus quòd alij sunt cum defluxu materiæ, alij sine defluxu, uidimus quomodo sumuntur tempora illa in his, qui sunt cum materia quidem, sed sine eius defluxu, postea quoniam adhuc diuidebamus illud membrum & dicebamus quòd illorum, qui sunt cū defluxu, aut cum defluxu materiæ ita sunt quòd materia colligitur in aliquo loco, aut nō colligitur, sed exit corpus ipsum, dicamus ergo quomodo sumantur in ijs, qui sunt cum defluxu materiæ, ita quòd illa exit corpus nam principium in his est, quoniam scilicet est summa cruditas, & illud quod descendit subtile est, & est signum quòd natura nondum cœperat pugnare, & concoquere ipsam materiam, quoniam omnis concoctio fit per ingrossationem, ut loquamur more istorum, sicut ostendimus alias, cùm exponeremus primam Fen *primi* Auicen. *ubi docebamus pituitam subtilem esse crudam secundum* Galenum *quoq;, cum autem natura incipit concoquere materiam illam subtilem tunc est augmentum ipsius catarrhi in bonum, quoniam natura uincit supra materiam. nam & si accidentia sunt maiora,*

tamen

tamen materia tendit ad cõcoctionem, & morbus ad minorationem, cum autem summa pugna est, ita quòd utrinque conflictus est, tunc est status, apparet tamen ex modo pugnandi quis uicturus sit. s. natura, cum autem minoratur materia, & natura uincit illam, tunc est declinatio, & hæc sunt tempora morborum istorum cum tendunt ad bonum, cum autem tẽdunt ad malum, dico quòd principium eo modo sumitur, quo quidem est sumptum in illis, cum autem catarrhus incipit augeri, & natura incipit pugnare, sed parum facit, immo non solum non concoquitur ab ipsa materia, sed etiam putrescit aliquo modo, & tunc est augmentum, cum uero iam pugna mista, ita tamen, quòd ostenditur ex modo pugnandi materiam nõ posse concoqui, & ideo superare uirtutem, dicitur esse status, cum abit omnino uirtus, ita quòd fugatur, tunc est declinatio ipsius morbi, seu catarrhi, uideatis ergo quo modo male faciunt illi, qui negant declinationem in morbis tendentibus ad malum; quoniam negant ignorantes modum, quo sumuntur ista quatuor tempora, bene uerum est, quòd proprie non est declinatio in his malis morbis, sed dicimus quòd habent quatuor tempora, & declinationem quidem improprie, nam illam uocamus declinationem propriam, quando morbus declinat, sed uirtus superat, modo hic est econtra. impropriam autem illam dicimus, quæ est declinatio uirtutis, & uictoria morbi, sed si loquamur de illis morbis, in quibus est materia, quæ defluit, & colligitur in aliquo loco, non autem exit, tunc principium,

pium est, cum materia defluit secundum ipsum Gale=num, sed quid de Auicen. dicam, nescio, nam nescio an erret, saltem scio, quòd difficulter loquutus est de istis morbis apostematum, ideo in hoc dicamus cũ Galeno, quòd tunc dicitur esse principium apostematis, cum materia ipsa fluit, quoniam tunc apostema fit, et cum fit, tunc est ipsius principium, cum autem materia desijt fluere, fit multus tumor, & materia coarctatur in isto loco angusto, ideo ita coarctata ebullit, ebulliendo putrescit, aut dissoluitur, cũ ergo ebullit materia, tũc est augmentũ ipsius apostematis, quoniã augetur et intumescit mẽbrũ, sicut & in his exteriorib. patet, quãdo aqua ebullit, nã crescit in dimensionibus, ideo mẽbrum in hoc tempore intumescit, incalescitq; propter magnum calorem ibi existentem, doletq; quoniam cum intumescat membrum, soluitur ipsius continuum, ad solutionem autem cõtinui sequitur dolor, habet quandam renitentiã propter illam duritiem quam habet durum enim est, nam diximus superius quomodo tripliciter durum esse aliquid potest, rubet etiam propter magnum calorẽ, quia sanguis concurrit ad illam partem, fitq; pulsatio propter arterias ibi existentes, quæ habent necessitatem, ideo pulsant, et tunc augentur tam accidentia, quàm essentia ipsius morbi, cum autem materia iam suppuratur, tunc est status ipsius apostematis secundum Galenum; hic enim in summo sunt omnia tam accidentia, quàm morbus, nam in generatione saniei, & puris febres sunt atq; dolores secundum Hippocratem ideo sunt hic sæuissima accidẽtia, tamen

uirtus

*uirtus stat, & pugnat quàm maxime, ut expellat inimicum, cum autem iam suppurata est, tunc aut dissoluitur, aut erumpit per locum, & exit, tuncq; est declinatio, quoniam hostis fugatur, uirtus autem superauit ipsum, & hæc sunt tempora sumpta, cum apostema tendit ad bonum, cum autem tendit ad malum est eadem ratio sumendi principium, nam principium est cum materia defluit, & colligitur, est tamē magna multaq; materia illa, quæ fluit, cum autem nigrescit, refrigeraturq; tunc cessat dolor consequēter, nam parum agit, & iā incæpit decumbere prostrata à multitudine materiæ, & est augmentum apostematis, cum autem iam natura decubuit, ita quòd destructa est & morbus superauit hoc modo ut facta sit cancrena, & morbificatum sit mēbrum est status, & declinatio uirtutis cum uictoria apostematis, sed hic quæritur, quoniam dictū est de resolutione materiæ & cancrena & * quomodo sunt declinationes, aliæ in bonum, aliæ in malum an cum apostema mutatur in ipsum scyrrhum, scyrrhus fit status, uel declinatio, an aliquid aliud tempus ipsius apostematis. Ad hoc respondeo & dico quòd scyrrhus nō est de temporibus ipsius apostematis, quoniam neq; est de eius essentia, & ut hoc intelligatis distinctius, sciatis quòd ægritudines aut declināt aut mutantur in aliam ægritudinem. quæ declinant, habēt illa quatuor tempora, quæ autem mutantur in aliam ægritudinem, habent etiā ista tempora distincta à temporibus illius, in quam mutantur; ideò cum apostema mutatur in scyrrhum, dico quòd habet principium, augmentum*

mẽtum, statum declinationemq; distincta omnia à temporibus quatuor ipsius scyrrhi, qui habet quoq; omnia illa, unde declinatio apostematis est principium ipsius scyrrhi, quod non incõuenit, ideo studeatis naturæ rei, nunquam errabitis, sed omnia soluetis, quæ contra ueritatem sunt, sicut faciunt Galenus & Aristoteles ille magnus, & fugite dubitationes quæso, quoniam sunt scopuli, nam inuenietis plures quæstiones quàm uelitis, studeatis semper naturæ rei, & soluetis omnia sophismata, exerceatisq; uos in istis omnibus generibus ipsorum morborum, ut sciatis in eis sumere tempora ista quatuor, tum in ijs, qui tendunt ad bonum, tum qui ad malum, in omnibus enim sunt ista tempora sicut in pluribus exemplis nos manifestauimus, hæc sunt, quæ uolebam ego de temporibus istis docere, quorum cognitionem quantum referat habere, credo iam uos intellexisse, in hoc nihil aliud dico.

De dispositionibus ægritudinum. Cap. VIII.

EST *modo aliud caput, quod subiungit Auicenna in quo sunt res non multum difficiles usq; ad dimidium fere capitis.* Nam *uidebatur ipsi* Auic. *quòd cum tractasset de ipsis morbis non esse iustum discedere ab eorum tractatu, nisi prius diceret quædã pro complemẽto huius tractatus, ut postea sigillaret eum, ideo optime composuit hoc caput, quod rectißime inscripsit hoc modo:* Cap. *ad complementum de dispositionibus*

bus ægritudinum, & in hoc ſunt omnia ſcitu iucunda, & deſiderabilia, aliter non haberemus cõpletam ſcientiam de morbis, & in hoc cap. tria facit Auicenna, ita quòd diuidemus illud in partes tres, in prima quarum tractat quomodo denominantur ægritudines & à quibus; In ſecunda autem tractat de morbis manifeſtis, et occultis; In tertia & ultima, quomodo ſunt aliqui morbi in membro proprie, aliqui autem per conſenſum alterius membri, & hæc erit illa pars, in qua eſt maxima doctrina danda uobis de conſenſu ipſo, ſed dicamus primo de illis duabus primis etſi ſunt pauci momẽti; neq; enim contempſit docere illa quoq; Gal. in ſecũdo lib. Therap. à quo iſta ſumpſit Auic. ibi in principio libri. Quoad ergo primum dico domini, quòd ægritudines denominantur uario modo, aliæ enim ab accidentibus, aliæ à locis, in quibus fiunt, aliæ à ſuis cauſis, & conſimilibus alijs. inquit ergo Auic. quòd ægritudines multis modis ſortiuntur nomina, aut à membris, in quibus fiunt ſicut illa quæ eſt lateris, & illa quæ eſt pulmonis. i. ægritudines aliæ denominantur à membris & locis, in quibus fiunt, ſicut eſt apoſtema lateris. i. pleuritis, quæ eſt apoſtema in membrana ſuccingente coſtas, quæ pleura appellatur, unde nomen ſumpſit pleuritis, ſicut etiam apoſtema pulmonis, quod quidem fit in ſubſtantia ipſius pulmonis, à quo nomen traxit peripneumonia, & ideo Auicenna præſupponit uos ſcire nomina græca, quoniam illa ſunt clariſſima quomodo ſumantur à loco, ipſe uero appellat apoſtema lateris, & apoſtema pulmonis, poſtea inquit, aut à ſuis accidentibus

*dētibus sicut epilepsia, nā nihil aliud significat hoc no
men, quàm correptio ipsius motus, & sensus, tamen
hoc est symptoma consequens morbum illum, qui à ta
li symptomate dictus est epilepsia, corripiuntur enim
epileptici in motibus suis & sensibus, cum autem uo-
lunt mouere se, non possunt, tamen tremunt, neq; dica
tis, sicut ausi sunt dicere illi nostri Moderni, & ma-
gni quidem uiri, qui quidem parum aduertentes dixe
runt epilepsiam dici hunc morbum ἀπὸ τοῦ ἐπὶ καὶ
λευτὶς, sed dictum est λευσὶς, postea λεπτὶς, quasi
morbus, qui sit supra, ideo cum errent, neq; cogno-
scant, neq; habeant iudicium in nominibus, quomodo
iudicabunt recte de ipsa re? permitto uobis conside-
randum, neque enim uident, quomodo epilepsia dica-
tur ab accidenti, quod illum morbum consequitur .i.
à correptione, epilepsia enim est correptio. Amplius
sunt aliquæ ægritudines quæ denominātur à causis, à
quibus fiunt, & dat exemplū Auic. cum inquit sicut di
cimus ægritudinem melancholicā, nā ista ægritudo cū
fiat pp spiritus atros maleq; qualificatos. i. melan-
licos, qui quidem cum occupent cerebrum, offuscant
sensus interiores, præcipue imaginationem, cuius si-
gnum est, quòd illi homines habent malas chimericasq;
imaginationes à sua causa ista ægritudo nomen sum-
psit, ut dicatur ægritudo melancholica, à nostris uul-
garibus melācholia.* (Præterea aliquando ægri
tudines sumunt sua nomina à similitudine, si
cut dicimus ægritudinem Leoninam, & ægri
tudinem Elephanticam.) *sicut dicimus quoque*

cancrum

cancrum à similitudine cancri animalis, nam cancer est apostema rubrum habens radices infixas in membro, in quo fit sicut sunt tibiæ cancri animalis, & mouetur, quia repit sicut animal, sic quoque ægritudo dicitur, quia assimilatur Leoni, sic ægritudo elephantica, id est elephantiasis ab ipsa similitudine Elephantis, quæ est lepra detestabilis, quoniam segregat hominem illum, qui eam patitur à societate aliorum hominum, & facit quòd sibimet olet male, & quia ista lepra est quæ facit hominem illum esse sine pilis, cum turpi cuti, ideo dicunt aliqui illam dictam esse elephantiasim, quia elephas habet in pedibus turpissimam cutim sine pilis, à similitudine ergo ipsius nomen sortita est ista ægritudo, neque credatis dici elephantiasis, quia eam patiatur elephas quoque, quoniam hoc est falsum. (Amplius sunt aliæ ægritudines quæ denominantur comparatæ ei cui primo accidisse dicuntur, sicut dicimus ulcera balchiæ,) *id est sunt aliæ ægritudines quæ sumunt nomen suum ab autore, qui scilicet primo passus est illas, sicut dicimus uulnera thelephia, quoniam scilicet primus thelephus passus est. uulneratus enim fuerat ab Achille. & quia uulnera illa quæ inferebantur ab Achille non poterant sanari, nisi iterum intulisset in eundem locum suum gladium, secundum quòd narrant poetæ, ideo cum intulisset iterum in eodem loco, in quo Telephus fuerat uulneratus ab eo sanatus est, tamen perseuerarunt illa uulnera in alijs hominibus, & dicta sunt telephia. Auicen. autem pro telepho dicit balechiam,*

chiam, nescio cur isti Arabes nesciunt proferre nomina Græca. *Videte modo uos quantum differat telephus à balechia, uolebat tamen dicere telephũ* Auic. (Aut comparatæ ei cuius fama fuit, quòd medicando eas curabat, sicut dicimus ulcera charoniæ.) *idest, sunt etiam ægritudines, quæ nomina sumunt ab excellentißimo aliquo medico qui eas curabat quàm fœlicißime & solus, sicut dicimus ulcera chironiæ ab illo excellentißimo chirurgo, qui dicebatur chiron. Nam medici apud antiquos erant solum chirurgi, neque enim exercebant hanc partem, neque discebant, quam uocamus nos physicam. Cum ergo chiron curaret solus quàm fœlicißime quædam ulcera maligna, ideo illa nomẽ sumpsere, ut dicta sint chironia ulcera.* (Aut à sui substãtia & essentia, sicut dicimus febris & apostema.) *i. sunt aliæ ægritudines quæ denominãtur à sui intrĩseca rõne, sicut dicimus febrim. Nã febris cũ græce dicatur* πυρετὸν *nomen sumpsit ab intrinseca ratione* ἀπὸ τοῦ πυρ, *quoniam fit calor igneus, siue accipiamus etiam nomen nostrum latinum, nam cur dicta est febris, nisi à feruescendo, sicut dicunt isti nostri medici quoque, quoniam febris est feruor maximus, & ita idem habebimus.* *Postea inquit* (& apostema.) *Sed apostema cum dupliciter dicatur, & secundum Arabes, & secundum græcos autem apostema sit abscessus.* Ideo *dicitur abscessus à propria essentia, quoniam facit discessum, sicut plebs Romana in Capitolium. & sic ista est prima pars huius cap. quæ iam declarata est.* Ve-

niamus

niamus modo ad declarationem secundæ quando dicit. (Inquit Galenus ægritudines aut sunt manifestæ, quæ sensu cognoscuntur aut sunt occultæ quas facile est cognoscere, sicut dolores stomachi & pulmonis &c.) *hic est pauca speculatio. permittatis me dicere duo uerba, & expediam hanc partem. permittatis, quia cras incipiemus postea illam auream partē tertiā. dicit ergo quòd ægritudines, aut sunt manifestæ, quæ scilicet sensu cognoscuntur, sicut sunt scabies, & tales ægritudines quæ φαινόμεναι sunt. Aliæ sunt occultæ, quæ .s. non sensu, sed tantum ratione deprehenduntur. & istarum aliæ deprehenduntur non sensu, sed firma cognitione rationis, aliæ uero non firma cognitione rationis, aliquæ tamen ratione, aliæ autem sola coniectura, & aut facile, aut difficile cognosci possunt istæ omnes. facile quidem ex coniectura cognoscimus epilepsiam qualis morbus sit, ex actionum læsione, sic quando uidemus fluere bilem non coniectura percipimus hepar supercalefactum esse, alia autem cum maiori difficultate cognoscuntur, sicut cum quis expuit sanguinem, tunc iudicamus esse ulcus in membris spiritalibus, puta in pulmone, tamen non possumus scire hoc firmiter nū sit propter ulcus in pulmone an uero in cerebro. discurrimus postea per alia signa ut distinguamus locum, sed difficulter hoc cognoscimus. Aliæ autem sunt ita difficiles ita quòd non aliqua firma ratione cognosci possunt, sed sua coniecturali demonstratione quæ dubia est. sicut cum uidemus dolorem*

in hypochondrijs, uel dextro uel sinistro, nos iudicamus esse dolorem colicum tamen potest esse dolor renum. Vnde Gal. *quoq; narrat de seipso in secundo de locis affectis, quòd est deceptus in seipso, uideatis cap.* v. *illius lib.* Nam *narrat cum haberet maximum dolorem in partibus illis existimabat esse calculum. sed cum excreuisset parum quid fecis, & cessasset etiam parum dolor, statim cognouit esse colicum dolorem.* Ideo *cũ uidemus, quòd est dolor in hypochondrijs, & illi homines patientes iuuãtur à clysterijs impositis iudicandum est illud esse colicum dolorem, non calculũ. sed non semper inde clysteria iuuant pro hoc dolore. nam cum materia aliqua uel inflammatio est intra mẽbranam interiorem intestini tunc non iuuatur à clysterijs impositis, tunc iudicandum est, & hoc artificiali quadã coniectura illud esse dolorem colicum, aut calculum. & hæc sufficiunt pro nunc.* Iam *enim omnia intellexistis quo ad istas secundas primas partes cap.* Cras *modo uidebimus tertiam partem, & loquemur de consensu & contagio. uidebimus quid contagium, & quid illud nomen significat multaq; dicemus cõtra illum nostrum* Veronensem.

LECTIO XXXII.

INTER *reliqua quæ necessaria sunt ut medicus possit recte exercere suam artem, oportet etiam eum scire qui sint morbi in membro principaliter, & qui non per se à primo sed per consensum alterius membri. postquam ergo loquimur de ipsis morbis et*

curatio uaria est secundum uarias indicationes. Indicationes sumuntur ab essentia ipsorum morborum ergo uariæ erunt indicationes huius morbi & illius quoniam illorum essentiæ uariæ sunt, sed uariæ sunt essentia morborum, qui principaliter sunt in aliquo membro, & eorum qui per consensum, ideo etiam loquendum est à nobis, de his morbis maxime, Cum etiam Auic. de ipsis tractet confuse tamen & breuiter obscureq́; sic ut & male moderni nostri Gal. quoq; incomplete & si ea quæ dicit in hoc sint lucidißimè dicta in secundo lib. de locis affectis. Quapropter uidens ego neminem distincte hucusque tractasse de his uolo ex methodo necessaria ut tradamus doctrinam horum distinctam, oportet ergo quòd uos sitis attenti, & aduertatis neq; perturbetis me, quoniam ista non ubiq; inuenietis & si sunt noua tamen omnia ex fundamentis methodoq́; antiquorum. Dicemus enim quid sit contagium, quoniam sunt aliqui ex istis modernis qui de ipso tractant, sed nesciunt quid dicant. Antiqui etiam de ipso nullam mentionē fecerunt quā ego uiderim. ita quòd usq; ad ista tempora nostra neminem uidi optime declarantem, quid sit contagium, nescitur ergo quid sit nunc, sed uidebitis clare à nobis quid sit. Debemus ergo scire quid sit consensus ut deueniamus postea ad contagium. quo ad nomen ergo dico quòd consensus apud latinos nostros medicos est, quando unum membrum immutatur, uel aliquo modo afficitur propter immutationem affectumq; alterius membri. hunc autem appellant græci συμπάθιαν

ἀπὸ τοῦ συμπάθειν hoc est compati, suum autem oppositum.i. quando non compatitur membrum dicitur ἀπάθια nos propter indigentiam uocabulorum; non nominamus nomine recto, sed si uellemus recte transferre diceremus impaßibilitatem, quando .s.unũ non potest pati aliquo modo propter aliud, motus autem qui fit dicitur ἀπάθειν exempli gratia albedo nõ patitur à dulcedine hoc dicitur ἀπάθειν. Est adhuc unum quoddam medium inter συμπάθιαν, & ἀπάθιαν uidelicet, δυσπάθια quando aliquid quidem patitur, sed tamen difficulter, sicut quando ferrum colliquatur ab igne, nam difficulter patitur ab ipso igne, possumus quidem nos dicere dissensum, sed felicius dicunt græci hæc nomina. Quare his stantibus ueniamus modo ad nostrum propositum. Dico enim quòd consensus est pati simul unum membrum cum altero patiente, oportet ergo hunc consensum fieri ab aliqua causa, quoniam quod cumq; quod fit, fit à propria causa, causæ autẽ erunt quas aßignabimus nunc nunc. summum autem fastigium huius diuisionis causarum erit istud quòd consensus, aut prouenit propter unitatem compositionis, aut propter conuenientiam naturæ, intelligo autem propter unitatem compositionis, quando sunt duo membra quæ ita componũtur in partibus suis, ut si una pars patiatur ex partibus unius membranæ partes quoq; alterius membri compatiũtur, & ut hoc clare habeatis exemplũ profero tam in rebus naturalibus quàm artificialibus. In naturalibus quidem sit hoc exemplum in corpore humano

humano cũ membranæ ipsius cerebri afficiuntur tunc oculi dolent quoniam ita colligatæ sunt membranæ cum oculis ut cum patiatur ipsum, oculi quoq; compatiãtur, unde uidemus illos qui uulnerantur in illis membranis habere inflatos oculos. Amplius *si sit læsa ligula ipsius arteriæ, tunc totum instrumentum.s. aliæ eius partes læduntur, tamen non per essentiam patiuntur, sed per consensum ad ipsam ligulam, cui compositione sunt alligatæ, quocirca operationem suam edere non possunt, cum non edant uocem, quare unitate quoq; compositionis compatiuntur membra, & quòd dictum est de ipsa naturali arteria, dicatur quoq; eodem modo de artificiali. sed sciatis modo quòd unitas ista compositionis multiplex est, nam uno modo dicuntur esse unita duo membra in compositionem quotiescunq; unum ad alterum est principium, illud uero alterum ut principiatũ, hocq; modo ad passionem ipsius cordis omnia alia mẽbra patiuntur, quoniam illud est principium illis, illa uero principiata, aut patiente cerebro cõpatiuntur omnes partes nervosæ quoniam ad illas est tanquam principium ipsum cerebrum, nam omnes nerui à cerebro ortum habent. alio modo dicuntur duo membra colligata cõpositione pati simul cum communicant ad se inuicem per unam quandam uiam inter medium uel per transitum, uel per loca ipsa, & hoc multipliciter potest fieri.* Diuidamus *ergo differẽtijs essentialibus hunc modum consensus, per compositionis unitatem.* Dico ergo *quòd huiusmodi* συμπάθια *fit aut quia aliquid deriuatur*

ab uno illorum membrorum ad alterum, ad illas uias & transitus, quod tum non debebat tranferri, & deriuari ad illud, uel non deriuatur quod debebat deriuari. postea accipiamus primum membrum, & dicamus quòd quando deriuatur illud quod non debebat, aut illud est tantum quædam qualitas exempli gratia, si quis habeat in una parte corporis bubonē propter calorem igneum, qui est in eo transeuntem ad alia membra per communes uias, tunc illa mēbra huiusmodi calore quoq; ipsa afficiuntur, uel quod defertur & deriuatur nō est qualitas sed materia, & hæc materia duplex esse potest, aut enim est materia spirituosa, aut crassa, spirituosa quidem, ut cum ex uentriculo ascendunt uapores ad oculos qui faciūt quasdam apparentias, & ascendunt ad cerebrum sicq; faciunt imaginationes & uertiginem, quando uero est materia crassa? exempli gratia quando ex cerebro descendit materia pituitosa, catarrhosaq; ad neruos & facit paralysim, uel descendit ad pectus uel ad fauces sicq; secundum loca diuersa fiunt morbi diuersi, quoniam illa membra cōpatiuntur, & hoc modo consensus fit, quando transfertur de uno membro in aliud, illud quod non debebat. Videmus modo de altero membro, dicebamus enim aut non transfertur illud quod debebat transferri, & eodem modo diuiditur. nam aut illud debebat transferri & non transfertur, est solum qualitas, ut cum quis percusserit alicuius cerebrum quod est principium ipsorum neruorum, aut propter aliud accidens illi superueniens

amittatur

amittatur motus, quoniã uirtus motiua non põt trans ferri postea per neruos ad mouendum ipsa membra, sicut narrabat quoq; Gal. de illo qui percussus fuerat in dorso, ubi est spinalis medulla, & ubi incipiunt nerui tendentes ad brachia, ideo cum motiua uirtus non posset transferri ad ipsa non poterat mouere ille brachia sua, nam inflammata fuerat spinalis medulla ex illa percußione, & ideo intercipiebatur uirtus transire solita & amisit sensum motumq́; brachiorum. manifestum autem est, quòd uirtus motiua ac sensitiua sunt qualitates, & si Gal. de hoc uideatur ambigere 8 & 7. de plac. Hipp. & Plat. tamen certum est, ꝗ sunt qualitates, aut illud est materia & hæc duplex, aut enim materia uaporosa, aut corpulenta & crassa, de uaporosa materia sit exemplum hoc, cum inciduntur nerui intercostales, tunc nõ potest transmitti spiritus ad pectus & ideo læduntur partes, quæ circa ipsum sunt quoniam operationem suam edere non possunt. s. uocem, non enim possunt facere exsufflationem spiritus, qui non transmittitur, cũ tamen trãsmitti deberet, quando uero materia crassa corpulentaq́; est, sit hoc exemplum puta in atrophia, quoniam chylus non transmittitur ad hepar. non enim potest transmitti propter obstructionem ipsorum uasorum, ideo non potest nutriri, neq; præparare cibum alijs membris, ideo neq; illa nutriuntur, & per consequẽs demacerantur, & arescunt per consensum ad ipsum hepar. Hepar autem habet se ad illa tanquam principium ad principiata. uidete ergo hanc diuisionẽ pri-

mi membri uniuersalis diuisionis. Nam *cum aliqua membra patiuntur, quoniam alia patiantur, quibus sunt tanquam principiata, aut cum illis coniunguntur per aliquas uias, hoc euenit quia non transmittitur id quod debebat transmitti, aut transmittitur id quod non debebat, & utroq; modo aut est qualitas, aut materia, si est materia aut crassa, aut uaporosa. habetis declarationem modo huius diuisionis*. R*estat ut uideamus reliqua quæ uidenda sunt*. D*ico igitur quòd cum transfertur illud quod non debebat transferri, tunc efficitur ægritudo in illo membro ad quod trãsfertur, nam cum humores mali descendunt in ipsos oculos, ita quòd ex eis replentur oculi, tunc nemo diceret q̃ illi non ægrotent, sic etiam cum catarrhus ex cerebro descendit in pulmonem nemo diceret quòd pulmo non ægrotet*. C*um autem non transfertur illud quod consueuit, & debet transferri, tunc illa membra quidem impediuntur in suis operationibus aliquando, tamen non ægrotant uere, nam cum uirtus motiua non transit ad manus, manus quidem non potest exercere motum quem consueuit exercere, tamen non ægrotat, quoniam complexio ipsius non mutatur ad malũ. neq; compositio neq; solutio continui fit. q̃ aũt non læ dantur in complexione sua patet, quia exercẽt operationes suas quæ solent prouenire à bona cõplexione concoquit enim & alterat alimentũ translatum ad ipsum neq; in compositione eam lædi manifestum est, minus in cõtinuo, sic etiã cum spiritus non transmittuntur ad guttur non possunt illæ partes gutturis exsufflare*

flare, consequēter neq; edere uocem, quoniā per con sensum ad alia membra aliqua lædūtur, tamen non di cuntur ægrotare uere. Ideo aliquando membra affi= ciuntur solum per consensum ad alia, aliquando etiam ægrotant: quæ omnia sunt à uobis quàm optime aduer tenda. uerum tamen est quòd cum materia crassa cor pulentaq; non transfertur ad membra ad quæ solebat transferri, quòd tunc alia per consensum non solum afficiuntur, sed ægrotant. Nam cum chylus (ut ste= mus in exemplis propositis) non transmittitur ad he= par, qui transmitti debebat, tunc alia membra ægro= tant, quoniam calor illorum diminuitur, et tendunt ad mortem, & ideo in complexione læduntur. Amplius læduntur in plasmatione, quoniam cū hepar non con coquat & præparet alimentū illis, neq; minus trans= mittatur ad illa uasa inaniuntur, inanitaq; concidunt, cum non posit dari uacuum, & hoc modo afficiuntur membra per consensum ad alia propter unitatem ali cuius compositionis, hæc satis sint quoad primum mē= brum. Quantum autem attinet ad secundum dico ꝗ membra aliqua afficiuntur per cōsensum ad alia pro pter conuenientiam alicuius naturæ. Nam posui illam notam alicuius, in prædicato non autem in subiecto, et hoc artificiose factum est. ratio huius est, quoniam semper quidem patiuntur per conuenientiam cum pa tiuntur hoc modo secundo, sed tamen nō semper pro pter conuenientiam eiusdem naturæ sed alicuius uel huius uel illius, quoniam sunt multiplices naturæ. Na tura enim multipliciter dicitur, sed tamen principa=

liter

liter dicitur tum de forma tum de materia sicut habetis ex Aristotele secundo phys. in principio principalius de forma prædicatur. Amplius natura dicitur secũdario de aliquo accidente consequente cõpositionẽ unam, sicut dicimus nos naturam scamonei esse ut euacuet bilem.i. scamonium habere hanc proprietatem, ut trahat bilem: lactucæ dicimus naturam esse ut refrigeret, piperis autẽ ut calefaciat. Quare cũ natura dicatur de huiusmodi rebus, dico quód quando dicimus consensum fieri per conuenientiam alicuius naturæ intelligimus aut propter conuenientiam materiæ, aut formæ, aut accidentis proprij consequentis compositionem ipsius rei. Cum ergo aliquod consentit alij per conuenientiam formæ aut in dolore aut uoluptate, & bona ualetudine tunc est, puta cũ sunt duo quorum duæ sunt formæ, altera autem earum uoluptate affecta reliqua quoq; compatitur in hoc. Vnde philosophi dicunt elephãtem delectari hominis præsentia, quoniam habet quandam conuenientiam formæ. Delphinus quoq; delectatur humano aspectu, est autem alia conuenientia, cum sunt duo quæ sibi contrarientur in forma, tamen in genere conueniant propterea habent communes actiones, & passiones, est autem hæc conuenientia quodammodo materiæ, quoniam genus est quoddam formale confusum, & ideo lupus & agnus maxima inimicitia se prosequuntur, homo & uipera maxime se oderunt non alia de causa, nisi quia habent formam quidem diuersam, ideo non delectantur præsentia alterius, sed quia conueniunt in genere

ideo

ideo compatiuntur inuicem, per conuenientiam autē materiæ aliquando unum alteri consentit in paßione, & hic notatur quoniam sano modo oportet intelligere hanc materiam, nam intelligimus nos materiā propinquam non autem illam primā de qua laborant philosophi, & hoc modo dicimus carnem pullorum gallinaceorum esse conuenientem homini non per formam sed per materiam, unde ex illa nutritur. Disconuenientiam autem materiæ est inter aconitum & hominem. loquor ego nunc de Aconito *uiridi quòd habet propriam materiam dispositam, ideo ad ipsius præsentiam patitur homo, nam cum est desiccatum non est aconitum uere neq; habet materiā primam illam quā habebat uiride.i.ita dispositam, neq; eandem formam nam * ista simplicia dum exiccantur. Vnde dicebat Mesue quòd rosa sicca non est rosa nisi æquiuoce dicta.* Nunc *modo dicamus quòd aliquando unum alteri compatitur per conuenientiam in aliquo accidente, & primo quidem in habitu, nam pulchritudine unius animalis alterum animal delectatur, turpitudine autem tristatur. Animalia enim in his maxime sibi inuicem compatiuntur atq; consentiunt. Amplius in primis qualitatibus conuenientia delectantur. Scitis enim uos, quomodo afficiuntur homines à talibus qualitatibus caliditate frigiditate humiditate & siccitate. In qualitatibus secundis idem dicendum est.nam sapores multum afficiunt homines siue modo delectatione siue dolore, secundū quòd sunt odorabiles quoque facultates & tales qualitates, alterāt hominem,*

audibiles

audibiles gustabilesq;. Quod enim diximus de tactilibus putetis dictum de alijs omnibus, quæ mouent sensus. Vnde quòd hoc quoq; sciuerint antiqui philosophi patet quoniam Arist. in procemio metaphys. dicebat tactum in uno melius affectum esse, in altero autem peius secundum quòd sunt qualitates ipsæ aut cōuenientes aut non. His ergo sic uisis restat ut uideamus modo cras quid sit contagium, & de ipso pertractemus quoniam nullus adhuc qui à me uisus sit tractauit perfecte de illo, multaq; dicentur contra illum maxime Veronensem nostrum, qui ausus est scribere de contagio & reprehendendo Gal. cum tamen ipse magis damnandus sit. uidebitis omnia.

LECTIO XXXIII.

AGEBAMVS *in superiori lectione de consensu & uidimus quid sit consensus quoniam est transitus de uno subiecto in aliud & quidam affectus propter unitatem compositionis uel conuenientiam alicuius naturæ, declarauimusq; exemplis quomodo est consensus tum per unitatem compositionis, tum per conuenientiam alicuius naturæ. Cum autem contagium sit quidam consensus quoniam contagium est quidam affectus transiens de uno subiecto in aliud, & maxime cum hic sint plurimæ difficultates, quæ soluēdæ sunt. Nam cum hac nostra ætate multi conati sunt aggredi cognitionem contagij quid sit non potuerunt pertingere essentiam ipsius & cum dicant multa de ipso nihil intelligunt neq; adhuc sciunt quid sit conta-*

gium immo non intelligunt significationem nominis. Quare dicturi de ipso incipiamus declarare quid significet hoc nomen contagium, non enim dixerũt aliquid de hoc græci doctores. Nam ego ut ingenue fatear nunquam uidi apud Gal. aut Oribasium aut Paulum aut alium quempiam hoc nomen contagium græce de ipsoq́; nomine dicamus. Contagium à contactu deuenit & est transitus alicuius affectus de uno ad alterum corpus. Quare contagium primo non poterit fieri nisi sint duo corpora. Nam non possunt se contangere nisi corpora, modo contagium fit per contactum, ergo non potest esse nisi sint duo corpora, quoniam oportet de uno ad alterum transire affectum, alioquin non fit contagium. Contactus enim cum duplex sit secũdum q habemus ex Auer. 5. physi. tex. com. 30. & ibi alias mathematicus & naturalis, de naturali nunc loquimur, quoniam mathematicus non fit semper inter duo corpora sed inter magnitudines. naturalis autem fit semper inter duo corpora, quæ in loco sint alioquin contangere se non dicuntur naturaliter. præter corpora ergo se contangere nihil potest hoc cõtactu naturali quod cognouit quoq; Lucretius ille Poeta, dum dixit. Tangere enim & tangi nisi corpus nulla potest res. Declaratus est ergo modus contagij quomodo scilicet fit consensus & quidem per contactum duorum corporum, neq; hoc solum est in motu contagij, sed in omnibus motibus alterationis. His sic firmiter constitutis, dico modo quòd contactus dupliciter fieri potest aut enim mediate aut immediate.

te.

te. immediatum autem illum contactum uoco qui sic quotiescunq; sunt duo corpora se contangentia ita q̃ nihil inter ipsa mediat sed unũ quod dat affectũ, alterũ uero quod suscipit est, & ita seipsa contangunt, sicut contingit in morbo gallico de quo dicemus ẽt infra. diximus autem de ipso aliàs ex professo loquentes; mediatum autem dico illum cum sunt duo corpora quæ contangunt se non immediate sed alio aliquo corpore intercedente, ut cum ego tango lapidem baculo, non autem propria manu sentio enim num sit durus, aut mollis, nam cum lapis afficiat baculum, baculus refert postea manui qualitatem illius lapidis. Quare dico quòd per medium aerem cõtangere se possunt duo corpora, & ita quod unum afficiat alterum, nam primo afficitur, aer, qui postea affectus afficit alterum corpus, potest quoq; medium esse inter illa aliud corpus ut aqua & hmõi. supponamus ergo nos hæc omnia quæ dicta sunt tum de modo ipsius contagij, tum de nomine à quo deriuetur, & quomodo fiat. ueniamus modo ad intelligẽdam ipsius essentiam, de qua multum dixere moderni nostri sed nihil penitus profectò intellexere. Dico ergo quòd iam manifestum est contagium fieri per contactum duorum corporum, ita quòd affectus de uno corpore in aliud transit, ideo quidam consensus esse dicitur. Cum ergo contagium sit quidam consensus, dico quòd necessariũ est ut fiat aut propter unitatem compositionis illorum duorum corporum, aut propter conuenientiam alicuius naturæ, sicut declarauimus superius in uniuersali de ipso

consensu,

consensu, sed cum non fiat per unitatem compositionis, quod palàm est quia uidemus illud fieri inter corpora duo penitus disconuenientia in compositione, & diuersa, ergo relinquitur secundum ex sufficiente partium enumeratione, quòd.s.fiat propter cõuenientiam alicuius naturæ. Cum ergo contagium fiat per conuenientiam alicuius naturæ uideamus modo quomodo fiat, & cuius naturæ sit ista conuenientia, semper sequimini naturam rei, neq; aberrabitis nam natura rei indicabit uobis, quod contagiũ est affectus inductus ex uno corpore transiens in aliud, sed iste affectus potest esse uel conseruãs illud corpus in quod transit & est, cum similis est ipsi corpori, quoniam manifestum est quòd simile conseruatur à suo simile sicut in philosophia habuistis, aut est immutans cum est dissimilis, conseruans autem potest esse uoluptas mediocris, sed quoniam omnis mutatio quæ fit de uno termino in alium terminum fit de contrario in contrarium, ergo in hoc motu contagij cum affectus transit de uno corpore in aliud oportet esse contrarietatem, ita quòd contrarius sit terminus à quo & terminus ad quem. oportet ergo hanc contrarietatem esse aut ex parte materiæ aut formæ, aut alicuius accidentis proprij. Ex *parte quidem ipsius materiæ hæc cõtrarietas esse nõ potest, quoniam materia solum apta est & disposita suscipere & pati, non enim habet in se aliquod principium actiuum, est enim illa quæ immutatur, aut conseruatur, non autem immutat aut conseruat. nos autem quærimus contrarietatem*

trarietatem illorum, quæ agunt & immutant, non autem illorum quæ immutantur & patiuntur, ergo ex diuisione illa relinquitur quòd sit contrarietas aut ex parte formæ aut ex parte accidentis. sed contagium cum fiat per motum, ergo in cõtagio aut est motus localis, aut corruptio, aut augmẽtum, aut alteratio: non enim sunt plures motus secundum quòd Arist. demonstrauit. 5. phys. sed in eo non est motus localis cũ non uideatur aliquid moueri de loco ad locũ, non augmentationis motus, nihil enim ibi augetur, ergo relinquitur quòd in ipso sit aut corruptio, aut alteratio. Illud ergo corpus quod recipit per contagium illum affectum aut alteratur, aut corrumpitur, sed non alteratur quia semper corrumpitur in illa parte in qua contagium sit, non dico autẽ propter ea quòd nõn sit semper necessaria alteratio. semper enim alteratur corpus illud, si modo uerum est quod dicebant philosophi omnem corruptionem præcedere alterationem, sed quoniam alteratio nõn est de eius essentia, sed necessario requiratur in ipsius essentia corruptio alioquin contagium non diceretur esse, ideo cum accidentia solum alterent, non autem corrumpant, alteratio enim est inter accidentia, corruptio autem in substãtia, erit ergo hæc contrarietas in substãtia, si corruptio fieri debeat, si est in substãtia, aut est in materia aut in forma, non in materia per iam declarata superius, ergo in forma, formæ ergo horum corporum se contangentium sunt contrariæ, non enim dicimus compositum composito esse contrarium sed formam simplicẽ quæ

est

est pars illius substãtiæ compositæ formæ simplici, sed quoniam unum uni contrarium est ut audiuistis alibi, ergo una forma alteri erit contraria, si autem debeat fieri destructio et corruptio, oportet essentiã destrui et corrumpi ipsius corporis. Quare essentia illius per putredinem corrumpitur, forma ergo inducens illam putredinem erit forma putredinalis contraria illi alij formæ cum corrumpere quærat illam, putredo enim quædam corruptio est secũdum Arist.4. meteor. *contraria ergo forma putredinalis est illi, quam destruit per putredinem, cum autem actio fiat merito cõtrarietatis, ut patet ex rei natura et philosophis, et contrarium non suscipiat suum contrarium, relinquitur quòd hic sit subiectũ quoddam, quod recipiat ista contraria. istud autem est materia ipsa communis, tum huic, tum illi contrario, non enim agerent inter se contraria nisi conuenirent in aliquo quod quidem susciperet utrunq; huius gratia dicitur quòd contraria sunt in eodem genere, nam si omnino differrẽt, nec in aliquo conuenirent, non fieret actio. habemus ergo hic* Domini *tum principium actiuum huius corruptionis & motus quod est contraria forma putredinalis. s. habemus quoq; principium paßiuum quod est putrescibile & suscipere aptum ambas formas contrarias siue generationem & corruptionem. nam illa contraria appellamus pro nunc formas, quoniam alia nomina non habemus, ut poßimus autem expedite & breuiter loqui appellamus illa formas. non enim sunt propriæ formæ. satis est quòd intelligatis rem*

ipſam de nominibus quoque non curetis. hic ergo eſt conuenientia in materia, quoniã poteſt ſuſcipere tum hoc tum illud contrarium, & diſconuenientia, ſiue contrarietas ratione formarum ipſarum. ergo contagium fiet ratione cõuenientiæ materiæ cõis ambobus contrarijs. & diſconuenientiæ formarum. per deſtructionem enim unius formæ & introductionem alterius in illam materiam corruptio fit eſſentiæ illius corporis, ſiue partis recipientis contagium, omnem autem generationem, & omnem corruptionem, ſicut dictum eſt, præcedit alteratio cum ipſius fines ſint iſtæ duæ mutationes, alteratio autem omnis eſt inter qualitates, per qualitatesq́; perficitur, quoniam omne agens naturale indiget inſtincto aliquo ſi agere debeat, oportet ergo quòd cum inuenerimus agẽs principale quòd inueniamus modo alterationẽ, quæ eſt in huiuſmodi contagio, & inſtrumenta, hoc eſt qualitates, cum ergo putreſcat illa pars quæ ſuſcipit contagium, oportet quòd prius alteretur, quoniam putredo eſt corruptio, ſicut diximus, alteratio autem iſta erit calefactio, calefactio autem in membro illo, aut corpore præcedet putredinem, ſed iſta calefactio facta eſt per ſuum inſtrumentum ab agente principali, per inſtrumentum, dico calorem ipſum, qui cum agat in humidum & ſiccum paſsiuas qualitates non omnino conuertit illas & concoquit. ideo dicitur quòd cũ paſsiuæ qualitates uincunt actiuas, tunc ſequitur putredo. Nam calor agendo in humidum & ſiccum modo facit elixationem modo aſſationem. cum enim calor

lor agat in humidum, ita quòd ferè ſolum ſiccum re-linquatur tunc aſſatio fit, ſicut cũ os aſſatur, ſed cum agit in illas qualitates ut conuertat quidem eas mul-tum ad ſui naturam, ita quòd calor ſuperet illas, ſit autem non ſuperabundantia unius ſuper alterum, ſed ambo ſint æqualia, & calor finem ſuum attingat fit elixatio, ſicut cum ſanguis elixatur, ſi autem contin-gat ut ita ſit debilis calor quòd non attingere poßit finem ſuum ſuperando humidum, immo humidum ad-huc ſuperabundet tunc non elixatur illa res, puta ſan guis, ſed potius coinquinatur, & cum in aſſatione non pertingat finem ſuum adhuc coinquinatur, ita quòd calor dominatur ab ipſo humido, coinquinatio autem eſt uocabulum & nomen ipſiusmet Ariſtot.4. meteor. quæ quidem eſt debilis aſſatio ſiue elixatio, quoniam prouenit à debili ori quàm proueniat elixa-tio, nam propterea quia calor non poteſt ſuperare ipſum humidum, ideo coinquinatio fit, ad quam coin-quinationem ſequitur putredo, quoniã ſcitis uos quo que ex illo.4.meteor.putredinẽ fieri propter redun-dantiam humidi ſuper calidum. habemus ergo princi pium actiuum huius putredinis, habemus inſtrumen-ta, habemus alterationem præcedentem, habemus quin etiam ipſam putredinem in contagio, unde uide-mus illa quæ habent intenſum calorem et magnũ non putreſcere, quoniam illa potius exiccant, unde audi-mus nos quòd in tertio climate, id eſt in Arabia, quo-niam eſt quædam uia per quam incedunt mercatores omnes ad orientales regiones plena ipſa harena, quo

niam est propinqua mari cum sit in littore, & ita feruida est & calida propter ardentiam solis ut moriantur in illa uia, ita quòd exiccantur à radijs solaribus ut totũ humidum in eis uideatur esse deperditum. ex illisq; fit mumia quæ in nostras regiones affertur nunquam putrescens, propterea quia humidum non redundat supra calorem, ita quòd poßit fieri putredo. Amplius propter maximum frigus nõ putrescunt res. nam in illis montibus Galliæ sanctiq; Bernardi, ubi sunt ingentißima frigora mercatores quandoq; morientes non putrescunt, immo remanerent in sepulchris illius sancti Bernardi per multos annos, quòd non putrescerent. quid uis dicere propter hoc? Ego uolo dicere & inferre quòd putredo fit à modico debilitatoq; calore cum dominio ipsius humidi, quoniam non potest illi dominari calor, sicut dictum est iam satis. Quare habetis omnia requisita ad contagium. omnes causas, scilicet naturæ habetis principium actiuum, paßiuum, instrumenta, & effectus. in hac autem re non est requirenda causa finalis, quoniam contagium est res præter naturam, & habet rationem mali, modo finis habet rationem boni, quomodo ergo in contagio potest requiri causa finalis? Quando iam facile erit cognoscere definitionem ipsius contagij & consequenter ipsius essentiam quam nũc inquirimus. poterimus ergo hoc modo illud definire. Contagium est affectus transiẽs de subiecto corpore in subiectum corpus per contactum uel immediatum, uel mediatum propter conuenientiam ipsius materiæ, disconuenien-

tiam

tiam autem ex parte formæ mediante alteratione ca
loris indebite excoquētis ipsum humidum subiectum,
hæc est completa & perfecta ipsius contagij defini-
tio. Ex quibus omnibus iam declaratis & expositis
patent modo consequentia multa. patēt enim cur quæ
dam corpora recipiunt contagium, aliqua uero non,
ad hoc enim quòd corpora suscipiunt illud requiritur
uis agentis quæ poßit inducere illud & dispositio pa-
tientis in quod est inducendum, unde quia sunt uariæ
dispositiones corporū ideo si est corpus aliquod quod
non sit dispositum ad recipiendum contagium immo
sit illi contrarium in dispositione, non recipit illud. pa-
tet autem secūdum quòd sunt uaria contagia nā quia
sunt uariæ dispositiones patientium corporum uariæ
quoq; fiunt ipsæ inductiones contagij. unde ad hoc
quoq; potest facere exemplum quod dat Gal. in illo
suo secundo lib. de differentijs feb. ubi inquit quòd exi
stentibus decem milibus hominibus in Theatro sub so-
le feruente abibunt quattuor febrientes, omnes au-
tem alij nihil perpeßi sunt, hoc autem inquit Gal. un-
de prouenit nisi quia isti sunt uariæ dispositi ab illis,
idem enim est agens inducens febrim. s. sol tamē nō in-
ducit illam in omnes sed in hos non in illos autem sic
quia erant dispositi ad recipiendam illam, sic quoq; in
proposito nostro sunt aliqui qui conuersantes & dor
mientes cum scabiosis capiunt scabiem, aliqui autem
non quoniam illi sunt dispositi ad recipiendū scabiem,
isti autem non, & isti capient parum illi multū. Qua-
re ille noster Veronensis quantum errarit in quæren

do uana in hoc nescirẽ dicere non enim debebat ita in colsulto repræhendere homines, sed debebat prius optime aduertere contra quos loqueretur quoniam loquebatur cum hominibus doctis & qui magis sciũt quàm ipse: cum enim repræhendat illos nescit quid dicat in hac re immo nihil recte dicit, & somniat credite mihi quæ dicit iste homo. errat enim quando quærebat ex Gal. quoniam etiam audet in hoc irridere cum ipse sit irridendus, non enim considerauit quantum referat intelligere Gal. & homines doctos, audiatis quæso quæ iste homo errauit. Quærebat enim interrogãdo ipsum Gal. cur est quòd quidã homines sunt qui recipiunt contagium quidam uero non, & irridet Gal. quòd huic dubitationi respondere nesciat, ideo respondet ipse formando quoddam suum imaginarium seminarium quòd nõ est sed proprie est imaginarium, non enim uidit neq; minus intellexit Gal. iste pauper homo, nam Gal. in illo secundo lib. de differentijs feb. nonne causam huius reddidit quemadmodum docuimus superius parum, nam hoc diximus prouenire ratione diuersitatis ipsarum dispositionum, quoniam alij sunt dispositi ad recipiendum contagium alij uero nõ, & propter ipsam magnitudinem fortitudinẽq; uirtutis agentis, quoniam etsi quandoq; recipiens corpus non esset dispositum ad recipiendum contagium immo agenti resisteret, tamen quia agens esset ita ualidum in agendo ut superaret illius resistentiam ideo induceretur in ipsum contagium: unde homines quoq; sani qui non sunt dispositi ad illud immo contrarie dispositi & anima-

lia alia quandoq; alia moriuntur cum ita ualidum est agens cum. s. est multum infectus aër ita quòd inducat quàm maxime ipsum contagium, sicut dicebat quoq; ipse Gal. in illo secũdo lib. de pronosticatione per pulsum, ubi docebat quomodo quandoq; fiant feb. pestilentes becticæ sine putredine antecedẽte ipsorum humorum. ex quo loco illud sumite quoniam possunt fieri feb. pestilentes becticæ sine putredine humorum secundum Gal. mentem, nam spiritus putridus & aer ipse intro sumitur & ita uadit ad ipsum principium uitæ quod est cor, cumq; multum potens sit tabefacit ipsum cor, & consequenter totũ corpus, & sic moriuntur ipsi homines in duobus uel trib. diebus, aliqũ etiam in eadem hora immo quandoq; statim cum tãta uis est agentis ut inducat quamprimum ipsam putredinem in corde. quomodocunq; autem fit siue ex putredine intrinseca. i. humorum siue extrinseca. i. quæ inducitur ab agente sicut diximus semper est eadẽ putredo quæ facit illam feb. pestilentem becticam semper est idem effectus. Quapropter dicunt quoq; nostri moderni illud quod est pestilens esse Venenum quoniam interficit & contrariatur ipsi homini. Quare hoc uidens quoq; ille noster Veronensis uir parui ingenij & quidem falsi quærebat quomodo est uenenum? non enim intelligit rei naturam ideo non est mirum si cecidit. Dico quòd est uenenum propter putredinem ipsam contagium, quoniam illa putredo est contraria formæ ipsius hominis & ubi etiam putredo ad summum uenerit, dico quòd est ita uenenosa ut immutet quoq;

materiam ipsius hominis non solum formam ideo cum est magnus gradus ipsius putredinis mutatur forma, & materia alteratur, itaq; illud quod est putridum et pestilens omnino contrariatur homini in tota ipsius essentia & substãtia, quomodo ergo sit uenenum manifestum homini quoque indocto esse potest, neque enim hoc ignorant medici ideo non debebat quærere iste homo à uiris doctis, & ab ipso Gal. quidem maxime ista uana, debebat enim prius tacere & cogitare quid dicturus esset, antequam aperiret os et loqueretur, nam omnia ista sunt clarissima etiam ignaris ad quid ergo reprehendit doctores, & putat se pulchra dicere in rebus his, laudando & extollendo doctrinã suam cum tamen magis erret dum magis protrahit sermonem suum; credite mihi quòd iste homo nihil sciebat penitus de philosophia, minus de medicina, ideo intricatus est.

LECTIO XXXIIII.

IN præcedenti lectione uidimus quid sit contagium de quo sermonem habemus in præsenti tum quo ad nomen, tum quo ad essentiã ipsius, declarauimusq; quomodo intelligeretur illa diffinitio contagij, illucq; uentum est, ut definiremus ipsum cum diceremus, q. contagium est affectus transiens, de substantia in substantiam, mediate uel immediate per conuenientiam ipsius materiæ & disconuenientiam siue contrarietatem ipsius formæ mediante alterationem caloris indebite excoquentis humidum, per hoc ergo quod dicebamus

bamus contagium esse affectum oportet ibi adiungere destructiuum substantiæ ut hoc pacto dicamus contagium est affectus destructiuus substantiæ. per hoc enim intelligimus primo quid sit, quoniam est affectus sed ita quod destruit subiectum per hocq; distinguitur ab alijs affectibus, qui non sunt destructiui substãtiæ, est autem transiens de subiecto corpore in aliud subiectum, quoniam illa duo corpora se contangunt, postea dicebamus mediate uel immediate, per hanc enim differentiam nos distinguimus contagium ab alijs affectibus, tũ qui semper mediãte aliquo fiunt tumq; semper immediate & sine aliquo medio, postea adiungebamus aliam differentiam, cum dicebamus per conuenientiam materiæ disconuenientiam formæ, & per hanc differentiam distinximus ab illis affectibus, qui quidem fiunt ex transitu materiæ de loco ad locũ. postremo diximus mediante alteratione caloris indebite excoquentis humidum, quoniam non fieret destructio substantiæ per ipsius putredinem nisi prius fieret illa alteratio stãtibus illis quæ supra sunt declarata. Quare exposita huiusmodi definitione ueniamus modo ad alia, nam uidentur hic esse difficultates contra talem definitionem primo quidem cõtra illud quod diximus, contagium affectum esse destructiuum substantiæ, nõ enim uidetur esse de ipsius essentia, quod destruat essentiam, quoniam scimus in morbo gallico esse contagium & manifestum est, tamen in illo non est destructio substantiæ, sic in scabie est contagium, tamen ibi non est destructio substantiæ, quomodo ergo uerum

est

est illud quod diximus in principio illius definitionis quod destructiuum est substãtiæ. Accipiamus feb. pestilentem quæ si debet esse oportet in corpore ipso esse putredinem, nam putredo in corpore est sua idea suusq; characterismus per quem ab alijs feb. distinguitur & per quem in esse cõstituitur, nam cum aer inspiratur qui putridus sit, & communicetur cordi ita quòd in illo fiat putredo tunc fit feb. pestilens, aut cum uirtus debilis est ita quòd superatur à qualitatibus paßiuis. cũ ergo fit ista feb. ex inspiratione aeris putridi tunc fit una species febrium pestilentium sine materia, de qua diximus superius quoq; Gal. loqui in lib. de pronosticatione per pulsum si bene memoria tenetis, appellabat autem eam febrim pestilentem hecticam, dicitur enim hectica quoniam illi aßimilatur, est enim sine materia cum dixerimus fieri ex inspiratione aeris putridi, quoniam autem ponitur cor in calefacto esse sic etiam aßimilatur illi. Est autem alia species feb. pestilentis quæ depẽdet, & ipsa ex putredine sed tñ putredine humorũ ipsorum corporeorũ qui sunt tanquã materia illius, & hæc conuenit cum alijs feb. putridis quoniã in ea est calefactio humorũ, sed est quoq; ĩ illa putredo humorũ quæ nõ requiritur in omnibus alijs. satis enim est quòd in alijs humores ipsi alterentur in corde, illæ enim dicuntur proprie febres putridæ, sed cum propter magnam uim agentis in humores in corde non solum ponuntur in calefacto esse, sed etiam putrescunt ita quòd fiunt accidentia sæuißima tunc dicuntur esse feb. non solum putridæ sed pestilentes. si

autem ultra maior ſit uis agentis ita quòd non ſolum putreſcãt humores in corde ſed etiã ſubſtantia ipſius cordis in calefacto eſſe tunc ultra hoc quòd eſt feb. peſtilens eſt quoq; hectica & hæc dicitur feb. peſtilens hectica quoniam illi in hoc aſsimilatur quòd cordis ſubſtantia poſita eſt in calefacto eſſe, ita quòd ſi magis perſeueret uel propter maiorem uim agentis tunc putredo non ſolum in humoribus ſed etiam in ſubſtantia cordis inducitur & tunc homines ſtatim moriuntur quoniam non poteſt pati cor corruptionem ſubſtantiæ ſuæ uiuens, immo quandoque ita eſt ualida uis agentis. ſ. caloris putredinalis ut ſtatim ferè in inſtãti temporis cordis humores non ſolum ponantur in calefacto eſſe & putrefiant, & ſubſtantia ipſius cordis putrefiat et in hoc caſu homines quoq; ſtatim moriuntur. eſt enim feb. peſtilens pernitioſa ſicut contingit tẽpore peſtilentiæ & ita uidetis quomodo ſe habeant ipſi gradus febrium quoniã primo eſt feb. putrida, ſecundo eſt peſtilens ſimplex, tertio eſt peſtilens hectica, quarto eſt peſtilẽs pernitioſa. ex hoc poteſtis quoque deducere quantum craſsi fuerunt illi homines qui quærebãt quomodo poſsibile eſt ut putredo ſit in corde tamen animal uiuat non enim uidetur hoc poſsibile eſſe. Nam dicimus nos quòd hoc eſt poſsibile cum tantum modo humores ipſi putridi ſunt & ſubſtãtia cordis calefacta eſt, tunc autem dicimus eſſe feb. peſtilentem hecticam in hac poſsibile eſt animal uiuere ea laborans, male enim arguunt & quærunt iſti homines neq; ſciunt diſtinguere feb. iſtas. nam alia eſt feb. cum

tantum

tantummodo humores sunt putridi in corde tuncq; ui detis homines illos quòd percipiunt se ægrotare, sed cum postea substantia cordis non solum calefit sed etiam putrescit alia est febris, alia est etiam cum humores putridi sunt & substantia cordis calefacta est solum, tunc enim uidetis homines illos non percipere ægritudinem suam immo delirantes dicunt se nõ ægrotare, hæc enim dicitur hectica quoniam substãtia cordis calefacta est sicut cõtingere solet in uera hectica, dicitur pestilens quoniam ipsi humores putridi sunt. cum autem substantia cordis putrescit tunc homines statim moriuntur & in hoc uerum est quòd dicunt illi, quoniam non est possibile animal ea laborans uiuere. sed in alijs possibile est, sicut iam patet unde etiam possumus dicere, quòd non omnes feb. hecticæ sunt incurabiles immo possunt curari omnes gradus ipsius nisi sit tertius gradus cum. s. iam factus est marasmus tunc enim sine dubio homines moriuntur neq; curari possunt. hic autem gradus est incognitus nõ enim possumus habere cognitionem in quo gradu sit talis & talis feb. quoniam dicebat Gal. in primo lib. de feb. ad Glauc. & in illo tertio Therapeutice quòd non possumus cognoscere gradus ipsarum complexionem, hoc enim solus Aesculapius nouit qui est Deus nos autem qui sumus homines non possumus illos cognoscere. Quare dicamus iterum, quòd non potest esse febris pestilens nisi humores in corde putridi sint, sed cum putrefacti sunt nõ sunt amplius humores quoniam amittunt suam formam per putrefactionem ipsorum &

substan-

substantiam: quapropter ubicunq; est putredo ibi est destructio substantiæ. Cum autem contagium non possit esse sine putredine non potest esse sine destructione ipsius substantiæ. in feb.ergo pestilētibus est destructio substantiæ ipsorum humorum cum autem cor ponitur in calefacto esse nondum putrescit sed cum ipsi communicatur contagium ipsius putredinis tunc putrescit substantia ipsius & consequenter destruitur cum autem destruatur cor homo moritur propter ipsius nobilitatem cum sit totius principiū.eo modo quo uidimus fieri dēstructionem substantiæ in feb. pestilentibus uidemus quoq; in scabie et morbo gallico de quibus isti faciunt instantias, cum dicunt quòd in scabie quidem primo est contagium non tamē destructio substantiæ.quòd hoc sit uerum declaro quoniam uidemus in scabie esse magnum pruritum ubi sunt pustulæ ipsæ propter.s. putredinem humorum generantium ipsam ideo in scabie est putredo humorum, & partium ipsarum in quibus fit scabies non totarū ita quòd omnino putrescāt sed ubi est scabies.s.pustulæ ipsæ ideo ibi est destructio substantiæ, quoniam ostendimus iam quòd ubicunq; est putredo, ibi est destructio substantiæ, sic quoq; dicamus in morbo gallico quoniam cum in ipso sit contagium est quoque destructio substantiæ nam siue in morbo gallico sint ulcera in inguinibus siue sint ulcera in toto corpore, siue sit casus pilorum siue sint illi tophi, semper est ibi materia putrida, faciens huiusmodi symptomata, discurratis modo uos per omnia accidentia quæ solent contingere in ipso,

&

& ubique inuenietis esse putredinem materiæ ergo ibi est destructio substantiæ, unde etiam Gal. in illo primo lib. κατὰ γένη quòd cum pili cadunt signum est materiam illam ex qua generantur esse putridam & ita discurratis uos per omnia symptomata quæ cōtingunt in illo, nam etiam cum per contagium fiat, nascuntur ulcera in inguinibus, & membro uirili siue pene ita quòd destruitur substantia illarum partium, & ego super hoc testari possum, nam semel uidi quendam hominem qui corrosum habebat totum penē ita quòd nihil de ipso habebat. Quare manifestum est q; in ipso fit putredo alicuius substantiæ, non enim euadit ab aliquo illorum symptomatum modo in illis omnibus est destructio substantiæ, bene uerum est, quòd ad omnem destructionem substantiæ in contagio præcedit alteratio sed requiritur necessario, ut sequatur putredo in ipso modo, ut dictum est, putredo est quædam corruptio substantiæ. probatum ergo & demonstratum esse uidetur satis quòd in contagio omni sit destructio substantiæ quod intendebamus prius declarare in ipsius definitione, ex quo modo patet quare sint aliquæ ægritudines contagiosæ, aliquæ autem nō .i. sunt aliquæ ægritudines, quæ contagio capiuntur aliquæ uero non, nam febris ipsa est non contagiosa quoniam si quis dormiat cum febricitanti contangatq; ipsum non cōmunicabitur illi febris, ita quòd destruatur in ipso quoq; substantia, inflammatur quidem & incalescit, quoniā dat ipsi calorem dat.n. quod habet, dat calorem quoniam potest recipere ipsum, sed non

dat

dat destructionem ipsius substantiæ, quoniã in illo fomentum nõ est quod quidẽ possit sustinere talẽ feb. & in quo esse possit, bene possumus distinguere de hoc quoniam non negare possumus quia quandoq; etiam feb. illa communicetur. nam potest esse ita præparata materia hoc est humores in illo homine ut cum cõtangat alium febricitatem recipiat ipsam feb. ita quòd humores quoq; putrescant & nõ destruantur in sua substantia nõ omnino enim putrescunt sed solũ alterantur, ideo potius est non contagiosa feb. in ea enim est sola alteratio, non autem substantiæ destructio. unde Arist. *in illa sep. particula problematum problemate quoq; illo, quare sanitas non inducit sanitatem, cum tamen ægritudo inducat ægritudinem, sanitas autem non inducit sanitatem, dicebat quòd ægritudo est quædam alteratio sed sanitas est quædam quies sicut quoque notabamus in lectionibus transactis hac de causa dicebat ægritudo inducit aliam ægritudinem sanitas autem non inducit sanitatem, sed nolo ut audeamus dicere tantum philosophum errasse in hoc cui tantum debemus sed dicamus quòd optime dixit dum consideravit rem ipsam in se & diuinus philosophus fuit in hoc quoniam philosophi non considerãt ægritudinem alio modo & sanitatem nisi isto, quoniam autem non erat medicus nõ considerauit illas dispositiones ut medici considerant.* Nam *ipsi dicunt sanitatem posse inducere aliam sanitatem sicut ægritudo aliam ægritudinem inducit. unde* Hipp. & Auic. *omnesq́; medici dicunt uno consensu optimum esse & sanum ægris amplexari*

plexari puellas & fouere intestina & membra ipsa, siue etiam puerum paruum amplexando & tenendo eum super membris neutrum duorum quoniam sanitas illius pueri uel puellæ inducit sanitatē in illum hominem, si ergo hoc uerum est ut experimento cōprobatum est & quotidie potest probari manifestum est quòd tam sanitas est alteratio ad bonum quàm ægritudo ad malum, non autem est quies sicut dicunt philosophi & Arist. & hoc quantum ad experimentum, quantum autē ad rationes probatur quoq; quòd sanitas ita est alteratio sicut ægritudo, nam nisi hoc esset sequæretur quòd sanitas & ægritudo non essent contraria duo sub eodem genere, quod tamen falsum est & contra medicam artem, præterea est ita ratio de sanitate sicut de ægritudine quòd sit alteratio quoniā hoc probatur ex suis terminis, nam sicut in ægritudine est semper fluxus de uno termino ad alium terminum neq; quiescit in uno illorum sic quoq; est fluxus in sanitatem de uno termino in alium terminum. neq; permanet parum in uno termino. Vnde Gal. quoque dicebat quòd nō eadem sanitas mane & sero sed semper alteratur. Quare dicamus quòd quo ad sensibilitatē sanitas est quies et hoc modo optime dixit Arist. cum philosophis, sed si insensibiliter cōsideraretur est alteratio quoniam semper mouetur nūquam est in eodem termino sicut declaratum est. ergo tam sanitas quàm ægritudo sunt alterationes, uidete ergo quòd Arist. neque dedit propter quid neque quia in hoc secundum quòd diximus nos cum medicis, sed ipse non

erat

erat medicus: Quare contagium fieri dicimus, cum forma putredinalis quæ primo est in uno corpore inducitur in aliud corpus quod contangit, ideo nisi forma ista putredinalis sit in illo corpore, quomodo poterit alteri communicare ipsam? sunt ergo illæ ægritudines contagiosæ, in quibus est illa forma, illæ uero non sunt in quibus non reperitur, sicut declaratum est, ex his sequitur quòd contagium siue fiat mediante aliquo corpore, siue nullo mediāte sed immediate nihil refert quoniam semper est contagium, nam si fiat per medium aliquod oportet illud medium prius alterari, postea illud inducat illam formam in aliud corpus, quod contangit, medium autem illud potest aut realiter aut formaliter alterari, realiter quidem sicut in scabie & huiusmodi dispositionibus, nam uapores, & spiritus illi scabiosi retinentur in uestibus & cum alius contangat illas inficitur scabie. maxime autem hoc manifestum est in phthisicis quoniam uidemus uapores illorum eleuari & inficere uestes ita quod istis pertinaciter inhærent, nam cum sint raræ facile imprimuntur in illis, & cum ita realiter sint alteratæ, si illis quis alius uestiatur in eum imprimuntur huiusmodi uapores & alterant ipsum sicq; fit putredo & consequenter phthisis in ipsis. sed hic statim quæret aliquis ex uobis cur est, quòd sunt quædam ægritudines quæ dant contagium per quoddam medium, & ex his non solum per medium alteratum realiter, sed etiam solum formaliter, quædam autem sine medio, ita quòd non communicantur alicui, nisi corpo-

ra ambo se contangant, quædam autem quæ uix quoque communicantur per contactum immediatum. Ad hoc ergo dico, quòd ad hoc quòd ægritudines cõmunicentur per medium aliquod uel longinquum, maxime facit, quòd illæ sint in superficie corporis, & maxime in ipsa cuti, quæ tota est transpirabilis ut patet sensui, nam tunc magis communicantur per medium, etiam lõginquum, unde uidemus quòd si dormiatis cũ aliquo scabioso, etiam si non contangatis ipsum capietis scabiem, quoniam faciliter inficiuntur ipsa media, cum scabies sit in superficie & cuti corporis, si etiã quis abluat manus in panno, quo ablutus est scabiosus quoniam in illo impreßi sunt uapores illi putridi scabiosi, faciliter communicatur ei scabies. lepra autem alterat realiter, non solum ipsum medium propinquum, ut uestes, sed etiam aerem longinquum, ita q̃ potest recipi in aliquo corpore, cum infectum sit ab aere qui est infectus, per uapores in ipso congregatos exhalantes ex corpore alio. In phthisicis etiam uidemus quòd phthisis communicatur de uno corpore in aliud per aerem medium inspiratum, nam si materia parumper parata sit in quodam corpore, & illud contangat aerem, ita quòd illum inspiret cum infectus sit per uapores exhalantes à corpore phthisico, tunc corpus illud phthisicum redditur, quoniam inficitur per aerem infectum ab alio corpore phthisico: immo etiam uidemus hoc experimẽto fuisse comprobatum. uidemus, quòd medici cum nolunt sentire num quis sit phthisicus nec ne, imponunt igni sputamina illius ut

comburantur

comburantur, & fumus ascendat ad eorũ nares sicq; odorant, periculum est enim ne cum ingrediantur nares illi fumi atque uapores, si materia sit præparata fiant phthisici sicut Gal. probat hoc experientia, nã declarat de quodam medico, qui cum uellet odorare eo modo uapores illorum sputaminum, ita infectus est cum esset quodam modo præparatus, ut factus fuerit phthisicus. Amplius etiam contagium fit, per mediũ cum soli spiritus multiplicantur in medio, puta aere sicut patet in ophthalmia, nam cum in ipsa sit forma putredinalis spiritus ipsi putridi exeunt de illis oculis & multiplicantur in medio aere eumq; alterant, & cum ad oculos alterius, qui respicit ipsos peruenerit huiusmodi alteratio, in ea quoque fit putredinalis illa forma & sequitur ophthalmia, ualde enim paßibilis est, inter membra ipse oculus, nam illa quidem forma potest induci in alias partes corporis puta in nasum, & tales partes, sed quia in illis materia non est apta ita ad recipiendum illam alterationem consequẽterq; putredinem, sicut oculus ideo sequitur quoq; ex hoc quòd oculus solus inficitur illa ophthalmia. modo sunt aliæ ægritudines, quæ non communicantur nisi per immediatum contactum, ita quòd si fieri debet cõtagium requiritur, ut duo illa corpora se inuicem contangant, nam in morbo gallico nos uidemus quòd non cõmunicatur de uno corpore alteri nisi per immediatum contactum, nõ autem per medium aliquod. Nam morbus gallicus sicut alias declarauimus (cum de ipso ex professo loqueremur) fundatus est in hepate,

ideo non poteſt recipi niſi contangant ſe corpora niſi modo ita ſit in cuti, ut ſcabies, quoniam poſſet per medium fortaßis capi puta per ueſtes, & huiuſmodi media, eadem enim eſſet ratio ipſius ſicut eſt ratio de ipſa ſcabie, ſed cum non eſt ita in cuti, dico quòd non communicatur uni corpori de altero, niſi per contactum amborum inuicem puta per fricationem ipſorum membrorum inſimul, ut in coitu, facilior enim eſſet communicantia quàm ſolo contactu, abſq; confricatione, nam per illam confricationem ſpiritus putridi, & uapores communicantur alteri corpori, ſicq; aſcendunt ad ipſum hepar per uenas & ita inficiunt eius complexionem, & hoc modo cõmunicatur morbus gallicus per contagium, neque enim fortaſſe per ſolum contactum capietur, niſi fiat confricatio ipſorum membrorum inſimul ſicut dictum eſt. Quare manifeſtum eſſe puto omnibus uobis, etiam de nouo medicinam profitentibus, ex his quæ ſunt dicta hactenus quomodo ægritudines quædam fiunt per medium propinquum, quædam etiam per longinquum, quædam autem non per medium, ſed ſolum per contactũ immediatum duorum corporum, ſed ſemper in his quæ fiunt per medium alterari oportet mediũ aliquo modo uel realiter, ſicut diximus in ſcabie ſiue modo illud medium ſit aer, ſiue ueſtes, ſiue panni, ſiue quid aliud huiuſmodi, uel formaliter, quod quidem reperiri non dabitur in aliјs conſenſibus præter quàm in cõtagio. Cum ergo iam dixerimus ſatis de cõtagio quod ſit quidem per medium alteratum realiter, cras modo

uidebimus

uidebimus, quomodo fiat per medium solum formaliter alteratum.i. per solam speciem quæ congregatur puta in medio aere, cum non sit res corporea sed spirituosa & incorporea.

LECTIO XXXV.

IN *præterita lectione uidimus de definitione ipsius contagij declarauimusq; præcipue, quomodo in contagio semper necessaria sit destructio substantiæ, idq; clarißime ostendimus exemplis, & diximus quæcunque dicenda erant, in illa definitione quoque contagium aliquando fit cum medio, aliquando sine medio, cum autem est cum medio dicebamus, quòd contingere dupliciter potest, aut cum medio realiter alterato de quo satis diximus, dedimus quoq; exempla, aut cum medio solum formaliter.i. per speciem incorpoream alterato, credo ego me fecisse officium meum circa illa non discedendo à principijs peripateticis unquam immo semper illis adhærendo, etsi ipse* Arist. *diminutus sit ualde in illa sep. problem. particula ubi tractat de hoc contagio, tamen nunquam ut dixi ab illius principijs discesßimus, sed omnia si recte aduertistis sunt descēdentia ex illis ut et sine labore hoc cognosci poßit; supererat modo tractare de affectu qui communicatur de subiecto in subiectum, per quoddam medium non corporaliter alteratum, sed in quo solum diffundatur quædam species incorporea quæ ipsum alteret, deinde medium illud inficiat corpus tertium quod contangit, sicut dicitur de magnete lapide*

qui trahit ferrum, nam hoc non prouenit propter ali quem uaporem transeuntem per medium aerem à magnete ad ferrum, sed solum per speciem diffusam in medio, & si Auer. in hoc ualde damnandus est, quoniam de hoc loquens in 7. phys. com. 10. dicebat ferrum quidem trahi ad magnetem non quòd ferrum trahatur ad ipsum, quoniam illa moueat ferrum, sed quia ferrum mouetur ad illam tanquā ad desideratā, nam quoniam desiderat ad ipsam ire, ut perficiatur ideo mouetur ad illam, sed tamē quòd magnes habeat quandam qualitatem ad hanc tractionem ferri fauentem non negat Auer. sed non exprimit illam, immo non solum dicit de ferro ad magnetem, sed etiam de cibo qui attrahitur ad membra ipsa, ut ab illis perficiatur. sed ista oppositio, quàm absurda ac uana sit manifestum est per se quoniam nihil penitus docet, immo nescit quid doceat quoniam rem ipsam non intelligit, q̃ autem hoc sit uerum patet, quia ipse sibi non constat nam oppositum huius dixit postea in 8. phys. comm. 35. quomodo ergo uerum dicit, si in tam pauco spatio sibimet contradicit à 10. tex. 7. phys. ad 35. 8. quia uidebat ipse quoque quòd uero non consonabat dictum suum. nam illo 8. phys. com. allegato, inquit de motu ferri ad magnetem, quòd fiat propterea q̃ complexio ipsius magnetis talis est, ut immutet aerem in illoq; imprimat illam cōplexionem, qui postea immutatus disponit illa ferrum, quod cum dispositum est tali complexione mouetur ad ipsam, ecce oppositum illius quod dixerat 7. phys. si enim per complexionē

ipsam

ipſam magnetis Auer. intelligeret formam ipſius ipſe ſibimet contradiceret etiam, ſicut uidetis quoniam ſubſtantia eſt ipſa forma complexio, autem qualitas ſecundum ipſum non intelligit ergo formam magnetis ſed per complexionem intelligit qualitates ipſas magnetis, per quas aer diſponitur, qui poſtea diſponit ferrum. cuius quoq; ſignum manifeſtum eſt illud quòd ſubiunxit quoque dictum de ipſo electro, quod uocãt ambram. electrum enim inquit quod adtrahit paleam confricatum, quoniam habet illam qualitatem qua diſponit aerem medium, qui poſtea afficit ipſam paleam tali qualitate, & eo modo mouetur ad ipſum, ſed quã debiliſſime, cum autem confricatur aliqua re tunc, in calefcit & calor ille alterat aerem magis ſicq; etiam magis alteratur ipſa palea, & facilius trahitur, alioqui etiam ſi palea paruula ſit, non adtrahit niſi exiſtente iſto ductore medio uidelicet fricatione, quoniam ergo non adtrahit illam paleam, etiam ſi paruula ſit, niſi confricata fuerit, quoniam excitatur calor per quem alteratur ipſa palea, ideo ſignum eſt ꝙ forma ipſius electri non eſt illa quæ mouet, & alterat medium conſequenter ipſam paleam, quoniam niſi adiuuetur illo ductore .ſ. fricatione non adtrahit ipſam paleam. Quare exemplum paleæ eſt non de ipſa forma electri, ſed de qualitate.ſ. caliditate, ergo etiam eodem modo intelligendum eſt de magnete, quoniam alterat aerem ſuis qualitatibus. Quare uidete quam abſurda ſit opinio iſta, quoniam dicimus nos cũ ueritate, quòd magnes trahit ferrum, quoniam alte=

rat medium ipsum aerem per species ipsius multiplicatas in eo, non autem quód corporaliter alteretur, sed quæ sunt istæ species intentionales quæ in hoc medio multiplicantur? Dico ꝙ *est formæ uirtus ipsius magnetis præcisa, quæ decisa ex illa diffunditur per aerē et sic peruenit per aerem ad ipsum ferrū quod postea mouetur ad magnetem. nam sicut lux quæ est uirtus ipsius formæ solis multiplicata in medio cum attingat corpora alia per illud mediū reddit ea lucida, sic quoque dicendum est de ipsa spetie quæ multiplicatur in medio, eadem enim de ambobus ratio est, differunt tantum in hoc quód speties est spiritualior ipsa luce, nam speties illa est solum intellectui subiecta non autem sensui alicui, lux uero subiecta est ipsi sensui uisus, ea autem de causa quoniam. s. lux multiplicata in medio reddit lucida corpora cum sit uirtus formæ solis ab ea decisa* Arist. *aßimilauit solem ipsi intellectui sed de hoc aliàs.* Diceret *modo aliquis hic quoniam dixi speties illas multiplicari in medio. s. aere sicut lux, uidetur enim nimium informe et impoßibile hoc, sunt. n. aliqui qui negāt hanc pōnem, sed neq;* Arist. *neq;* Platonici *negarent illam, bene negant illam sicut* Epicurus *ille &* Democritus *qui quidem introduxerunt illa sua seminaria hoc est corpuscula infinita & atoma quos quoque secutus est illè noster* Veronensis *quē confutauimus quoque in alijs rebus superius.* Nos *autem probabimus tum cum peripateticis, tum cum* Platonicis *speties has diffundi multiplicariq; in medio sed non à priori quoniam non scimus nos causas*

sas immediatas illarũ ſpeticrũ in corporibus genera bilibus & corruptilibus in quibus eſt ſolum demonſtratio à poſteriori, ideo à poſteriori quoque demonſtrabimus, quòd diffunduntur huiuſmodi ſpeties in medio aere, & primo quidem oſtendemus in duobus ſenſibus dari huiuſmodi ſpeties. ſ. uiſu & auditu quoniã tam uiſibiles quàm audibiles ſpeties diffunduntur in medio primoq; in uiſu. Nam quis eſt ille qui negabit ſpeties uiſibiles multiplicari in medio? ſicut ſpeties coloris albi & coloris nigri cum uiſio fit. i. cum illæ mouent uiſum nam ambæ ſimul poſſunt mouere ſenſum ita quòd in illo ſimul ſunt. nam contrarietas in ſenſibus poteſt ſimul eſſe. i. duo contraria poſſunt eſſe in his corporalibus materialibus. Quapropter intellectus quoq; intelligit ſimul contraria. nam & ſi in materialibus ſint contrariæ ſpeties, illæ tamen in immaterialibus ſicut in intellectu non ſunt contrariæ, cuius ſignum eſt etiam; quoniam ſi offeruntur ſpeties contrariæ ſenſibus materialibus confuſe ſentiuntur ab illis ſicut à tactu & guſtu. ſed in ipſo uiſu & auditu quanto ipſæ ſpeties ſunt contrariæ non ſentiuntur confuſæ, immo potius fit quidam concentus ſicut & in auditu accidit, nam quanto uox grauior, & acutior iunguntur tanto magis faciunt harmoniam apud ipſum auditum, quod non prouenit ab alia cauſa, quàm quoniam ſpeties ipſe in medio multiplicãtur, & ſi refranguntur, & fit conſonantia. Amplius nos uidemus ẽt quòd ſol quandoq; tranſit per herbas ipſas. i. radij ſolares, & cum offendat poſt aliquem murum planum

poſt

post illas herbas, tunc in illo muro multiplicatur color uiridis illarum herbarum. & etiam hoc uidemus in speculo clarius in quo remanēt speties illæ, tñ nihil aufertur ab illis herbis sed solum uirtus suarum formarum puta coloris multiplicatur, cuius quoq; signū est illud quòd & si in muro ipso appareat ille color uiridis, tamen non est coloratus, ergo uidetur manifestum esse quomodo speties istæ multiplicantur. istæ enim sunt rationes demonstrantes à posteriori quòd speties istæ multiplicentur, & secundum authoritatem Arist. & Platonis datur multiplicatio huiusmodi spetierum, ergo credendum est dari. Neq; hoc mirandum est, magna enim uis est formarum ipsorum mistorum. unde uidemus quòd piscis ille Remora si casu occurrat naui retinet ipsam firmam ut inde moueri nō possit etiam si maximi uēti impellant eam, cum sit paruissimæ staturæ, hoc autem prouenit propter uim suæ formæ quæ potest hoc, ut retineat nauim. hoc enim uerißimum profertur à nautis. Amplius est alius piscis qui Torpedo nominatur, à græcis autem νάρκη, est enim huiusmodi habēs formam ut cum piscatores tendant retia pro capiendo ipso uel alijs piscibus facit brachium ipsorum piscatorum torpere cum tamen rete nihil patiatur sed quousq; funiculus retium non fuerit incisus illuc usque torpebit eorum brachium. Nos quidem miramur huiusmodi uim formarum cum imperitißimi in philosophia & propter inconsuetudinem sensus mirantur, sed si consideraremus res quæ quotidie uidemus sub oculisq; habemus magis miraremur

mur quoniam sunt maiores uires cæterarum forma-rum quàm istorum piscium, sed quoniam sumus con-sueti in ipsis non miramur, non enim miramur natu-ram ipsam ordinatam, non miramur ipsam formã quæ in materiam inducitur siue de ipsa educitur tanto ar-tificio, illamq́; esse principium omnis actionis. quid. n. magis est mirandum subiectum fieri ex substantia eo modo. s. compositum ex materia, & forma, uidemusq́; subiectum transmutari. Amplius non miramur ipsa-rum uirtutem formatiuam existentem in semine quæ facit, & fabricat tanta arte ipsa membra connexa maxime ex tam turpi materia. s. sanguine menstruo, magis enim mirandum est hoc quàm de formarum ui-ribus. sed hoc prouenit ut dixi propter consuetudinẽ & inconsuetudinem. quid magis mirandum cum uide-mus ex sanguine fieri semen, ex semine ipsum animal, ex pane ipsum sanguinem, non debet ideo esse nobis mirum de ipsa uirtute formarum quomodo diffunda-tur per medium, nam incorporea statim se diffundunt per magnum etiam spatium unde uidemus solem illu-minare totum hoc hæmisphærium statim, sic quoque non est mirum de forma piscis illius intrinseca quo-modo ipsius uirtus diffundatur per medium, nam ista-rum uirtutes statim se diffundunt, sed citius etiam se diffundunt formæ illæ diuinæ quæ sunt nobilio-res maxime forma prima, quæ est Deus *gloriosus, per omnia enim diffunditur* Deus *in instanti.* Vn-*de dicebat ille.* Plena Iouis omnia constant. *secun-dum ergo magis & minus diffunduntur quoque citius*

istæ

istæ formæ . quanto enim nobiliores sunt tanto se diffundunt citius. inde scd͞m quandam tractationem universalem poßumus quidem cognoscere, quomodo istæ species diffunduntur, sed non secu͞dum particularem, quoniam non possumus attingere gradus certos illarum, sicut neque illos possumus cognoscere in his corporalibus; sed cognoscimus illud quod patitur nostri intellectus imbecillitas. Nam melius est, quòd pauca sciamus de talibus quæ honorabiliora & difficiliora sunt, quàm si sciremus multa de uilibus & facilioribus, sicut dicebat Arist. ille diuinus, qui comparat intellectum humanum ipsi uisui, sicut enim se habet uisus noster ad ipsum lumen Solis, sic se habet intellectus noster ad intelligenda diuina. Ideo mihi est obscure quidem habere paucam doctrinam de diuinis quàm de corporalibus magnam & claram. Quærere ergo cur uirtus formæ huius magis agit in hunc quàm in illum est uanum, quia illi non possunt in hoc respondere, non enim habemus harum rerum ultimas differentias, satis est quod dedimus, quod possumus de his cognoscere. Gale. quidem reduxit ad conuenientiam ipsarum formarum, & dixit hoc esse quoddam diuinu͞. Sed cum Auer. uidisset hoc impugnauit ipsum Gal. & reduxit hoc non ad conuenientiam formarum, sed ad identitatem potius, quoniam si esset propter conuenientiam solum, tunc alia quoque præter magnetem traherent ferrum, quæ sunt illi similia in forma, sed quoniam iste homo sæpius gratia contradicendi ipsi Gal. errat, ideo sciatis, quòd hic reprehendit ipsum,

&

& quidem temere, immo cum ipsum reprehendat, obliuiscitur suiipsius, & suorum principiorum iacto-rum. Nam ego bene scio & pro certo habeo, quòd ipse quoque Auer. cognouit aliud esse conuenientiam formæ, aliud identitatem, & hoc prouenire propter conuenientiam formæ, non propter identitatem, nam lupi amant lupos, quia aßimilantur & conueniunt in forma, per quam sunt lupi, nam semper in ista forma conueniunt huiusmodi animalia quæ amãt se, sed non semper est identitas ipsius. nam quòd identitas hoc non faciat, manifestum est, quia efficeretur solum, ut idem seipsum amaret & appeteret. similitudo etiam huius est, quoniam similitudo est causa faciendi multas operationes, nam multa indiuidua non sunt eadem, etsi in eadem specie sint bene sunt similia, quia conueniunt omnia in huiusmodi forma specifica, unde uidemus, quòd multi sunt gradus inter indiuidua unius speciei. nam unus est doctus, alius doctior, alius indoctior, & sic de singulis, unde dicebat quoque ipsemet Auer. quòd homo doctus est homo indoctus absq; hoc quòd sint idem, non sunt similes, immo differũt, neque sunt homines ambo uniuoce, sed æquiuoce, sicut homo lapideus, & homo uiuus, credo quòd hoc dicat si bene memini in primo physi. in procemio. Fit ergo huiusmodi appetentia inter quædam animalia etiam differentia specie propter occultam similitudinem formarum, unde maior pars uirorum doctorum dixit hoc esse à proprietate occulta, quòd una res magis aliam amet quàm aliam, & uni noceat, alteri non,

neque

neque enim altius de hoc quærere debemus. dicebat quoque Gale. quoniam non possumus alia scire. Sed his stantibus statim insurgeret aliquis uestrum, & diceret mihi contra, quoniam tu dicis, quoniam species diffunduntur per medium intentionaliter ex ipsisq; fieri aliquam actionem. nam nos uidemus quòd faciunt huiusmodi species mutationes corporales, quomodo ergo possibile est, ut solum intentionaliter diffundantur? facerent enim hanc mutationem, aut per alterationem, aut per actionem ipsius substantiæ. si per alterationem, hoc esse per accidētia quæ realiter sunt in materia, sicut qualitates sensibiles. si per actionem substantiæ, tunc esse per formam quæ nō potest esse, nisi cum est in materia; modo ista species non est in materia, ergo non potest fieri ista mutatio corporalis à specie solum intentionali. Ad hoc ergo respondeo & dico, quòd principaliter, & primo species sunt illæ quæ faciunt huiusmodi mutationes, etiam si sicut corporales, sed non solæ, sed aliquo mediante tanquam proprio instrumento. medium autem istud est ipse spiritus, qui est medius inter corpus et incorporeum omnino, ita quòd neque omnino corporeus est, neq; omnino incorporeus, sed est mediæ cuiusdam naturæ. Nam cum etiam corpus patitur calorem propter uirtutem syderum, uel solis, ille calor per spiritum ipsum imprimitur in illud corpus, secundum Aristot. quoque in. 2. lib. de generatione anim. Calor autem et spiritus sunt idem subiecto, differunt sola ratione, sicut docuimus alias, dum loqueremur de spiritibus. se-

cundum

cundum nobilitatem ergo ipſius formæ, & ipſius ſpiritus fiũt impreßiones uariæ. cum enim incorporeum non poßit agere in ipſum corporeum, opus fuit quadam media natura inter utrunque, ſcilicet hoc ſpiritu qui medius eſt inter diuinam formam, atque naturam, & puram corporeitatem, ideo etiam natura prouiſit de ipſo, ut cum anima non poßit iungi corpori, cum ſit incorporea, quòd iungeretur hac media natura, propterea dicitur quòd anima magnam habet affinitatem cum ſpiritu. Immo *dicebat ille quòd ſpiritus aut eſt anima, aut proximum inſtrumentum ipſius.* Spiritus *autem affinis eſt duobus, tum ſcilicet incorporeo, tum corporeo. per hoc ergo mediũ contingit, quòd corpus realiter, corporaliterq́; alteretur ab agente tamen principali, id eſt ſpecie intentionali multiplicata, & per hunc ſpiritum quoque anima alterat corpus.* Spiritus *autem quædam diuina res eſt, immo angeli nihil aliud ſunt, quàm ſpiritus iſte, per ipſumq́; patitur & afficitur corpus aliquod à ſpecie incorporea in media multiplicata, & ſecundum quòd diffuſa eſt ipſa ſpecies. ſpiritus quoq; per totum illud medium dilatatus eſt, propterea bene dicebant illi magni philoſophi, qui putarunt totam diuinitatem eſſe in aere propter huiuſmodi ſpiritum circumuagantem, nam iſte ſpiritus alterat corpora iſta ſecundum qualitatem qua qualificatur à ſpeciebus. non eſt ergo mirandum, cur ſpecies intentionaliter multiplicatæ poßint realiter alterare corpora noſtra, nam uirtus formarum diffunditur per aera, ſicq́; qualificat*

qualificat ſpiritum ipſum qui dum contangit ipſa corpora, corporaliter quoq; immutat, cum ſit ferè corporeus. ſunt poſtea aliqua quæ agunt, cũ tamen non requirant medium ipſum ſpiritum, ſed tantum mediã ipſam facultatem animalem. Nam *uidemus quòd ſi quis cum duobus ſocijs ſit, illi autem duo oſcitent ille tertius uidens illos oſcitantes, ipſe quoq; uidetur oſcitare, immo ſtatim incipit oſcitare, ſic quoq; ſi hic ſint duo, unus guſtat quid acerbum & acidum, alius uidens illum guſtantem tale acerbum uidetur quòd ipſe quoq; guſtet acerbum illud, & ſic dentes acerbitant, & congelantur, multiplicatur ne hic forma in medio, illa uero ſpecies alterat ne medios ſpiritus, qui poſtea alterent corpora illa realiter?* Dico quòd *alius eſt modus iſte à modo dicto, nam primo dũ quis uidet alium oſcitantem, ſenſus mouet imaginationem, imaginatio imaginatur illum ſic oſcitantem, & cum imaginetur hoc ſubit motum ipſis inſtrumentis quæ tendunt ad ipſum os & ſic oſcitat ille homo, eodem modo poſſumus reddere cauſam illius, quod diximus cum quis uidet alium guſtantem quid acerbum ſtatim recordatur, quòd omne acerbum congelat dentes, illoq; exacerbat, ideo incipit imaginari, quòd acerbũ congelat dentes, & ideo imaginatio iubet motum quendam ita quòd uidetur illi homini, ſibi perfundi linguam & dentes huiuſmodi re acerba. multa enim poteſt facere quæ appareant tanquam uera ipſa imaginatio ultra hoc quod diximus, aliquando enim erit, aliquis qui imaginabitur ſanari, cum æger ſit, & ſanabitur*

nabitur & quod plus est, sunt aliqui stulti, qui cũ hic sint, dicent duo uel tria uerba, & trahent hic multos serpentes, quoniam imaginationẽ fixam habent, quòd ueniant isti serpentes, & credunt pro certo. q; autem non ueniunt in uirtute illorum uerborum patet, quia si quis uestrum postea dicat illa eadem uerba, quoniam forte non creditis illos uenturos, neque imaginamini, quòd ueniant non uenient, & si fixi imaginemini quòd ueniant illi serpentes, dicatisq; non illa præcise uerba, sed alia quæ etiam ad propositum non sint, uidebitis huc concurrere illos serpentes, quòd non fieret nisi esset imaginatio fixa, non enim uis uerborum hoc facit, quoniam illa mutare potestis, & ego credite mihi, uidi quendam hominem, qui fecerat circulum in terra, signando ipsum statimq; dixit quædam uerba sed fixæ imaginationis erat, & conuocauit plusquam centum serpentes. Et *ego uidi hoc meis oculis, immo quòd multa complura possit etiam imaginatio, uideatis* Auic. *in quarta particula animaliũ suorum, ubi uult ex proposito, quòd imaginatio non solum possit in materia propria, sed etiam in aliena.* V*nde dicit, quòd si quis dum coit imaginatur puerum coloris rubei, ille puer erit coloris rubei, dum in lucẽ exierit postea, & dixit quòd pueri teneri imaginatione sola ab istis, quas nos fascinatrices, siue incantatrices appellamus molestantur.* Nam *illæ imaginãtur se molestare illos, eo modo, & sic molestantur, quoniam si aspiciant illos, illi spiritus ingrediuntur in ipsos, ita quòd afficiuntur.* Immo Auic. *putat, tan-*

tum posse imaginationem, ut si quis fixam habens imaginationem, quòd montes locum cedant, dicatq; eis montes cedite, quòd cedent, mutate locum, & mutabunt, & alijs rebus inanimatis, & nisi quis credat, hoc posse fieri, adiungit propterea ista pauca uerba, in loco citato, quòd illi qui negāt huiusmodi dicta sunt inexperti in naturalibus, & philosophia quasi quòd per huiusmodi uerba uelit firmare dicta sua experientia. s. quòd illi qui negant talia dicta nesciunt quid dicant quoniam ipse hoc expertus est. ideo non sunt contemnenda neq; neganda quoniam super id experientia testatur. Et ipse B. Thomas uidetur uenire in hanc sententiam ut dicat multa huiusmodi posse imaginationem quod neq; Albertus qui dicitur Magnus negabit neq; nostri philosophi moderni, immo illud asseuerant uerum esse. Nam ille Petrus Pomponatius Mātuanus qui me docebat, tantum ascripsit ipsi imaginationi ut retulerit quoq; multa miracula per imaginationem posse fieri, & ita posse in materiam alienā ut si quis dicat cadaueri, mortuo. s. homini surge, surget, & ideo neq; nobis miranda sunt talia, quoniam si ignoraremus illa essemus inexperti philosophiæ naturalis sicut dixit Auic. uidete modo uos Arist. & suos comment. in. 7. illa particula Probl. & uidebitis quantum defecerint in hac re. Quapropter poteritis quoq; ex dictis soluere unum pulchrum problema quod solet in ore Doctorum esse. Cur. s. mortuo homine & occiso ab aliquo si interfector accedat & sisterit sanguis iterum tamen præsente interfecto-

re

re sanguis fluit de illo cadauere. Nam male conciliator in com. illius particulæ referebat hoc ad ipsos spiritus, quoniam. s. spiritus ipsius interfectoris iterum ingrederentur cadauer, & commouerent sanguinem, immo hoc est propter illius imaginationem de uulnere illato, & emissione sanguinis quod solet uideri in Germanicis regionibus, in quibus (sicut mihi narrabat quidam scholaris Germanus fidelis, & doctus) mos est non sepelire interfectum per aliquod tempus ut si interfector accedit cognoscatur quis sit ille quoniam cum accedit sanguis exit propter illam imaginationem.

LECTIO XXXVI.

POSTQVAM *uidimus de ipso contagio quid sit, quomodo fiat & quotupliciter, uniuersaliusq; de ipso consensu secundum omnem modum, & iam audiuistis in superioribus illam summam diuisionem ipsius consensus quando dicebamus omnem consensum, aut fieri propter quandam unitatem compositionis quoniam ista potest multipliciter, aut propter conuenientiam alicuius formæ. cum ergo sit ita diuisus consensus medici tractant solum de consensu mẽbrorum propter unitatem compositionis, sed quoniam unitas ista (ut dixi) multiplex est ideo diuidebamus adhuc hoc membrum primum summæ diuisionis & dicebamus quod cum mẽbra consentiunt alijs mẽbris propterea quia sunt inter se unita compositione, aut unũ membrum quod principaliter affectum est tanquam*

præparatum ad alia quæ per consensum illius afficiũtur, illa uero tanquam præparata, & dabamus exemplum sicut si ad effectũ ipsius hepatis paterentur aliqua alia mẽbra quæ respectu illius sunt principiata, aut potest esse ista unitas compositionis propter aliquam conuenientiam ipsarum uiarum. Nam *si sint duo membra quorum unum præparatũ afficiatur sit tamen cõueniens in uijs cum altero membro ita quòd illæ uiæ sint ambobus communes si patiatur quoque istud dicetur per cõsensum pati istæ sunt principales diuisiones, & sunt alia quæ supra connumerauimus. non enim sunt hic omnia repetenda. sed est hic unum declarandum quod ponebat quoq;* Auic. & Gal. *explicabat*. Nos *quoq; exposuimus iam si aduertisti, cũ consensus fit per conuenientiam in uijs, aut hoc est quoniam de uno membro ad aliud per illas uias nõ trãsit illud quod debebat transire, aut transit illud quod non debebat transire. omnia ista explicauimus superius, nolo amplius repetere*. Nam *dicebamus quòd illud quod transit, aut non transit est uel materia uel qualitas sola, si materia aut uaporosa, aut corpulenta & crassa. His uisis modo* Auic. *postea transit ad alia docenda pro quorum intelligentia, primo animaduertere debetis hic unum maxime memoria repetendum*. Nam *debetis meminisse* Auic. *in principio diuisisse hanc secundam* Fen *in tres tractatus, secundũ quod sunt tria præter naturam quæ tractanda erãt, de morbis, de causis, de symptomatibus. Cum ergo in principio proposuerit primo agere de ipsis dispositionibus*

ſitionibus, tum illis quæ ſunt ſecundum naturam, tum quæ præter naturam .ſ. ſanitate, ægritudine, & neutralitate. egit primo de ſanitate & neutralitate deq; ægritudine hucuſq;, & parum etiam infra. Sed quoniam ſanitas & ægritudo in ſe conſideratæ ſunt indiuiſibiles, non enim ſunt plures ſanitates, neq; plures ægritudines in ſe conſideratæ, ſed una tantum eſt ſanitas unaq; ægritudo, uerum quia medici non conſiderant hanc ſanitatem, & hanc ægritudinem ſecundum ſe ſed in ipſo ſubiecto, & cum ſunt in ſubiecto, ſunt indiuiſibiles. non enim hoc modo una eſt ſanitas, neq; una ægritudo, ſed multæ ſanitates ſunt multæq; ægritudines. Semper enim alia & alia eſt ſanitas, unde dicebat Gal. *quòd mane et ſero non eſt eadem ſanitas ſed diuerſæ. ſic ægritudines ſunt diuerſæ hoc modo cõſideratæ.* Ideo *quoq; medici tractamus de huiuſmodi diſpoſitionib. in ſubiecto quæ ut ſic ſunt diuiſibiles, diuidunt quoq; ipſas. propterea Auic. cum de ægritudinibus ageret in concreto non ut in abſtracto uoluit diuidere ipſas, nam plures ſunt gradus ipſarum quæ tamen omnes ſunt diſpoſitiones. Sed antequam dicamus de huiuſmodi gradibus, primo uidendum quid in hac re Gal. ſenſerit, qui quidem huius rei author fuit & princeps.* Ex*poſita opinione Gal. uidebimus poſtea quid ſenſerit Auic. Cum expoſuerimus hanc utranque opinionem cum una tantum ſit ueritas, uidebimus quis illorum magis acceſſit ad ueritatem comparabimuſq; utroſq; inuicem, natura enim rei ex ſe manifeſtabit quæ opinio uera quæue falſa, ut ferè*

nihil laboremus, Nos *hunc ostendere uerum dixisse illum uero falsum*. Quare *quantum attinet primo ad opinionem ipsius* Gal. *de qua clarius uidebimus* Deo *fauente in futuro anno dum legemus, & exponemus artem paruam* Gal. *& tunc uidebitis opinionem ipsius clarißimam. Sed pro nunc dicamus quòd hoc opinatus est Gal. de huiusmodi gradibus. posuit enim nouem gradus dispositionum huiusmodi, quorum graduũ unum qui est nonus, perfectißimum putauit, qui esset tanquam regula & exemplar aliorum omnium, alios uero gradus imperfectos existimauit. secundum enim quòd magis ad illum nonũ accedunt tanto magis perfecti sunt, quanto ab illo recedunt tanto sunt imperfectiores. Cum ergo poneret unum illorum perfectißimum absolute, non autem secundum quid, sed simpliciter posuitq; unum imperfectißimum absolute simpliciterq; non autem secundum quid. alios autem gradus iudicauit perfectos, & imperfectos secundũ quid. perfectos ratione habita ad illum gradum imperfectissimum*: Imperfectos *ratione habita ad perfectißimũ. Cum enim corpus sanum actu sit omnino appellat illud perfectum gradum. Cum uero actu ægrum est appellat illum gradum imperfectißimum*. Illud *corpus salubre, illud insalubre*. Isti *sunt duo termini & extremi totius latitudinis graduum, ostendemus autem ibi* Deo *fauente, quomodo omnes interpretes halluci nantur quàm maxime. Sed ista nunc non sunt repetenda. facit ergo hos duos oppositos gradus, & quidem utrinq; ultimos. Cum hos extremos gradus posuerit*

fuerit Gal. postea tanquam a regula, & quodam exẽplari deducit a perfectissimo alios gradus semper imperfectiores quanto magis recedentes ab huiusmodi gradu usq; quo deueniat ad illum gradum imperfectissimum qui est aliud extremũ latitudinis huius. A summo ergo ad ultimum deducit multos intermedios gradus qui sunt septem numero. Quare primo facit hãc diuisionem quoniam corpus salubre simpliciter & absolute non secundum quid dupliciter potest accipi uno modo pro corpore sanissimo quod semper sanum in actu est, neq; habet aliquod minimum uitium in cõplexione & compositione, sed omnia bene se habẽt, & hoc non datur. nunquam enim actu repertum est, neq; reperietur, immo potius est imaginarium, imaginationiq; subiectum. Aliud est corpus sanum ut plurimum non semper. sicut dici solet de Milone quòd fuit sanus, ut plurimum non semper, & de Hercule. Amplius est alius gradus corporis sani cum.s.non est corpus sanum semper neq; ut plurimum, sed ut nunc & diminute. Cum autem præterimus hos gradus, Incipimus accedere ad èa corpora quæ omnino quidem non sunt sana, sed tamen non omnino ægra et insalubria, & hæc potius appellantur à Gal.neutra, hanc autem neutralitatem tripliciter diuidebat, aut enim est corpus neutrum quoniam non est omnino salubre, neq; omnino insalubre, sed medio modo se habens, secundo modo cum.s. habet duo contraria simul, & quòd ægrotet in aliquo, & quòd sit salubre in alio, tertio modo cum est unum corpus quod quidem

dem uno tempore est salubre, alio uero insalubre, et sic sunt sex gradus hactenus tres quidem ipsius sanitatis, tres quoq; neutralitatis, reliqui modo sunt tres gradus ipsius ægritudinis, nam cum corpora sunt insalubria, aut dicuntur esse insalubria, quoniam non sunt quidem actu ægra, sed sunt facile suscipientia ægritudines ita q. ad ægritudines sunt apta, quia sunt distemperata a principio generationis ægrotant quidem, sed tamen non manifesto, & sunt insalubria simpliciter, alia sunt insalubria ut plurimum quæ parum absunt ab illo primo gradu, alia sunt corpora insalubria, ut nunc, quæ quidem nunc actu sunt ægra, non tamen ut plurimum, neq; semper, & isti sunt nouem gradus dispositionum. cum enim sint tres dispositiones, in singulis illarum sunt tres gradus sicut iam audiuistis, hæc est profectò opinio ipsius Gal. *breuiter recitata, super qua declaranda nostri* Doctores *qui docebant nos dum essemus iuuenes per annũ manebant, & cum eramus nos scholares in fine anni nihil penitus didiceramus.* Restat *modo ut ueniamus ad expositionem opinionis ipsius* Auic. *qui quidem non posuit nouem gradus, sed tantum sex, horum autem sex ipse certos ponit, uerum sextum illum ponit quidem, sed quoniam fortasse non assentit illi opinioni* Gal. *qui posuit neutralitatem, ideo excusat se cum dicat (ut dicunt) isti ergo sunt ipsius* Auic. *gradus. primus est cum corpora sunt in ultimo sana quoad fieri potest, alio modo sunt sana corpora cum non sunt sana in ultimo sanitatis non sunt sana, tertius gradus*

est

est cum corpora neq; sunt salubria, neq; insalubria, & quoniam ut dixi ipse nō admittit fortasse hanc neutralitatem, Ideo adiunxit, ut dicunt, quoniam ipse non admittit eum: tamen quia omnium modestissimus est Auic. in reprehendendo homines doctos ponit excusationem. quartus autem est cum corpora sunt insalubria, quoniam sunt apta ad recipiendam ægritudinem cito, & facili de causa. quinto autem sunt corpora in actu quidem ægra, sed tamen non sunt in ultimo ægra, sed paruam habent ægritudinem. Sexto sunt corpora omnino, et in ultimo ægra, hiq; sunt sex gradus secundum opinionem Auic. in ipsis dispositionibus. Cum ergo iam absoluerimus opinionem tum Gal. tum ipsius Auic. reliquum est modo ut comparemus utranq; opinionem inuicem, ut ex comparatione recti ad obliquum remaneat manifestum ipsum uerum, necesse enim est unam illarum opinionū magis ueram esse aliam uero falsam: Incipiamus ergo ab opinione ipsius Auic. qui in rei ueritate considerauit magis naturam rei. Nam nouit falsam illam diuisionem Gal. esse quando dicitur quòd salubre corpus dupliciter potest esse, aut semper, aut ut plurimum, quomodo enim potest esse illud corpus in actu sanum semper, quòd quidem non habeat minimum uitium in complexione & compositione, ita quòd in summe sanum sit, bene potest esse sanum corpus in actu primo modo, & quòd una sit solummodo sanitas, hoc modo absolute patet. Nam cum Gal. ponat unum gradum perfectissimum, in quo sit sanitas omnimoda, scitum

tum est quòd sanitas consistit in bona complexione, primo secundum quòd habuimus supra. Cum enim bona est temperatura, tunc natura habens bonam materiam facit quoq; ut in illam materiam pulchra, honestaq; forma inducatur quæ quidem est ipsa compositio, & hoc modo sanum est simpliciter corpus cum nõ habeat tum æqualitatèm temperiei quæ haberi potest tum bonam compositionem, cum autem corpus habuerit inæqualitatem aliquam tunc est secundum quid sanum & non in ultimo. Quare sunt duo gradus ipsius sanitatis, non autem tres sicut posuisti tu ò Gal. Est enim primo corpus illud in ultimo sanũ quod Græci appellant εὔκρατορ, & unum sanum secundum quid, idest quod nunc sanum est, uel ergo gradus istius sanitatis erunt duo tantum, uel erunt octo quidem excedentes, unus autem medius, si enim non sunt duo, sicut Auic. dixit, tunc dicam ego quòd nouem, probatur quoniam erit unus gradus, in quo quidem erit corpus temperatissimum in qualitatibus alteratiuis facientibus complexionem ipsam, & in compositione. Amplius erunt quatuor gradus sanitatis in quibus dominabitur, & excedet una qualitas siue materia aut calidum, aut frigidum, aut humidum, aut siccum, erunt præterea alij quatuor in quorum singulo excedet una qualitas dictarum cum materia uel duæ, non curo pro nunc, & sic erunt nouem gradus sanitatis totidemq; ægritudinis ex opposito, nam eadem ratio contrariorum est. Quare non erunt solum nouem gradus, sicut dicit Gal. sed erunt 18. Quare

dico

dico quòd Auic. magis rei naturam perspexit in hoc cum posuit illos duos gradus sanitatis. Cum enim ponat Gal. tres gradus sanitatis fatetur quoq; ipse unũ illorum non reperiri in actu, immo esse imaginarium, sed si est imaginarius, itaq; soli intellectui subiectus est, non autem extra animam in actu. ad quid ergo ponis talem gradum. Nam medici sunt sensitiui artifices, ideo solum considerant ea quæ uident in subiecto sensibiliter nihil imaginarium uolunt, illud enim remittunt ad ipsos mathematicos, sensibilia istis subijciuntur. Ideo cum medici considerent ea quæ in actu reperiuntur & sentiuntur merito Auic. hoc aduertens posuit solum duos gradus sanitatis, quoniam illi soli in rebus reperiuntur. Cum autem ponat Gal. tres gradus sanitatis adiunxit quoq; tres gradus ægritudinis, quæ quidem ægritudo est dispositio contraria ipsi naturæ, idest facultati quæ quidem forma est ipsius membri & corporis animati. Cum ergo hic habeamus ipsam naturam, idest facultatem, tum ipsum morbum, aut ergo natura dominatur, aut morbus qui quidem est illi contrarius, si ergo natura dominatur tunc est unus gradus sanitatis, si morbus est unus gradus ipsius ægritudinis, neq; dari aut inueniri potest gradus medius qui quidem sit inter hunc & illum gradum. omnino enim unum istorum uincit & dominatur, sed quicunq; dominetur semper erit unus illorum graduũ ergo non datur gradus medius neutralitatis. Aut ergo ægritudo est in ultimo in corpore hominis, aut non in ultimo, idest aut tendit ad mortem, aut ad sanitatẽ,

&

& sic erunt solummodo duo gradus ipsius ægritudinis, non autem tres secundum quòd Gal. posuit, sed cum sint hi duo gradus hoc modo ipsius ægritudinis addit postea unùm aliud Auic. quod penè est intelligibile, nam ponit quendam medium gradum inter hos gradus, & ideo sunt tres, nam dicit unum esse illum gradum ægritudinis, cum.s. unũ corpus est quod quidem sanum est in actu sed est ita imbecille puta uentriculi, ut si quid nocui, & minima causa accedat ægrotet, quoniam enim facillime aptum est ad recipiendam ægritudinem, ideo ægrum dicitur & ista corpora dicuntur media ægrotatiua, modo autem neutra secundi modi secundum quòd Gal. dicebat. Ideo dico quòd fecisset melius Gal. Si cum ipso Auic. dixisset solum duos gradus esse sanitatis duosq; ægritudinis, & addere tertium quoq; ægrotatiuum medium, quàm ponere illum gradum neutralitatis, quoniam corpus neutrum non datur eo modo quo inquit Gal. neq; enim eo modo est corpus neutrum. Quare cum non sit huiusmodi corpus neutrum, neq; esse debet nostræ contemplationis, quoniam quod non est non debet considerari. hæc sint satis quo ad hoc. nolò enim amplius protendere meum sermonem quoniam patet & clarum est omnibus, quanto melius senserit Auic. quàm Gal. de hoc autem latius aliàs dicemus, satis est monstrasse illud quod ad nostrum propositum attinebat. Cum ergo sint hoc modo dispositi isti gradus dispositionum secundum Auic. & hæc sint clara, nunc Auic. deducit quædam consequentia uolens tractare de proprietatibus

tibus ipſarum ægritudinum, ut earum tractatum compleat, & diuidit adhuc ipſos morbos, dicit enim quòd ægritudines ſunt adhuc in duplici differentia quo ad earum curationem, aut enim ſunt ſanatiuæ, aut non ſanatiuæ, poſtea declarat quid intelligat per ſanatiuas ægritudines, quidue per non ſanatiuas, & inquit. (Et ſanatiua quidem ægritudo eſt quæ non habet quòd prohibeat quin medicetur ut debet, non ſanatiua autem eſt illa cum qua eſt aliquid prohibens, & non conceditur medico, ut curetur ſicut debet, ſicut dolor capitis, ſi cum eo fuerit rheumatiſmus.) *Dicamus ergo quòd ægritudines non ſanatiuæ eſſe poſſunt dupliciter, aut enim ratione euentus, ut ratione difficultatis quæ eſt in hoc quòd talis ægritudo ſanetur, dicitur etiã non ſanatiua, cum eſt quidem ægritudo in ſe debilis, paucíq; momenti tamen uia ſtricta eſt ad ipſius curationem. Sanatiua eſt illa in qua quidem uia ad medicandum ipſam non eſt ſtricta, ſicut cum quis febricitat febre ardenti ſimplici ſine aliquo ſymptomate. nam ægritudo quidem magna eſt, & ardua in ſe, tamen quia habet uiam non ſtrictam per quam curetur, ideo dicitur ſanatiua, ſi enim utamur recto tramite, non eſt dubium de ſalute neq; difficilis eſt curatio illius, quoniam hic non ſunt ſymptomata quæ impediant ipſam curationem. Eſt autem non ſanatiua cum uia ſtricta eſt, ad hoc quod curetur ſicut cum quis laborat febre quadam debili, & hac debilitate ipſius uentriculi, tunc accidunt ei multa ſymptomata,*

mata, nam incidit in defectum animi, in instantiam uigiliarum, tantum enim nõ possumus attendere ad remotionem ipsius ægritudinis, sed cogimur attendere illi quod magis urget .i. symptomati ne uirtus cadat, & sic moriatur patiens. Ideo *quoniam non habemus uiam latam, per quam poßimus curare huiusmodi ægritudinem dicimus, quòd illa ægritudo est non sanatiua sicut solet quoq; accidere in colicæ curatione. colica autem est mala cõplexio ipsius coli intestini propter ipsius obstructionem eueniens, ad quam consequitur dolor maximus propter solutionem continui, quæ in ipso fit. nam non possumus attendere ad remotionem ipsius malæ complexionis, & inductionem bonæ quoniam periculum est de morte ne uires sternantur, sicq; moriatur æger.* Ideo *cum claudatur à symptomate ipsa uia curandæ malæ complexionis adseq; trahat ipsam curationem, dicitur ægritudo non sanatiua, cum enim symptoma urget trahit ad se curationem, non ergo intelligit primum modum Auic. hic cũ dicit quòd ægritudines aliquæ sunt non sanatiuæ, quoniam. s. sunt in se arduæ, quoniam iam dixit gradus illius ægritudinis supra, sed intelligit illas ægritudines difficiles curatione.*

LECTIO XXXVII.

VIDIMVS *in superiori lectione, cum ipso Auic. quomodo ægritudinum, quædam sunt sanatiuæ, quædam uero sunt non sanatiuæ, quidque intelligeremus per sanatiuas quid per non sanatiuas, dixi*

mus

mus satisq; declarauimus. Cum ergo hoc fecerit Aui. consequenter modo inquit. (Et est tibi sciendũ, quòd ægritudo proportionalis complexione ætatis temporis est minoris timoris ea, quæ eis non proportionatur. non enim accidit hæc nisi propter causæ eius magnitudinem,) *uult dicere quòd ægritudines illæ quæ proportionantur, similanturq; tum tempori in quo accidunt, tum ætati corporis cui accidunt, tum eius etiam temperaturæ sunt meliores sanatu, atq; curatu quàm illæ quæ dissimilantur his dictis. exẽpli gratia, ut hoc intelligatis. sit unus iuuenis in æstate temperaturæ calidæ & siccæ, qui inuadatur à causo. i. febre ardente, tũc inquit Auic. melior est ista febris faciliorq; quàm sit febris hæc eadem causus nominata, quæ quidem inuadat hominem temperaturæ frigidæ humidæ in tempore hyemis, & quanto ista plura sunt diuersa ab illa ægritudine, tanto ægritudo peior est, quanto uero pauciora, tanto leuior, quoniam si causus accidat iuueni, temperaturæ tamen frigidæ humidæ in æstate, tũc leuior erit adhuc quàm illa hominis illius, adhuc leuior est illa prima quàm secunda, sed si est iuuenis, qui inuadatur hac febre, temperaturæ frigidæ humidæ in hyemeq;, tũc dico quòd melior leuiorq; etiam est illa hominis illius, sed tamen peior est alijs duabus dictis, quoniam in ista plura sunt diuersa ab ægritudine, quam sint in illis ut patet per dicta.* Ideo *legemus literam disiunctiue, non autem copulatiue, quoniam unum istorum, quod sit diuersum ab ægritudine*

dine facit illam peiorem. hæc est sententia ipsius A- *uic. hoc in paragrapho, quæ fuit antiquior quam ip- sius, nam prius fuit data formaliter ab illo diuino ho- mine* Hipp. *in 4. aph. 34. Vbi inquit in morbis mi- nus periclitantur ægrotantes quibuscunq; propriæ naturæ ætatis, & habitudinis temporis, & regionis & horæ ægritudo inest magis quam quibus non pro- pria est secundum aliquid horum.* Ecce ergo quomo do est legenda litera Auic. quoq; distunctiue sicut no- tauimus.*hæc sunt uerba* Hipp.*uel similia saltem, hanc autem similitudinem inter ægritudinem, & ipsam æ- tatem tempora &c. uolo uos intelligere esse secundũ speciem non autem gradus, quoniam dicimus exempli gratia, causum febrem. s. ardentem similem esse ipsi adolescentiæ ætati, uel tempori æstiuo, uel tempera- turæ calidæ siccæ, non quia adolescentia habeat puta 4. gradus caliditatis & siccitatis, sic febris causon aßimilatur ei secundum hos gradus, sed quia adole- scentia est calida siccaq; similatur ei causon, qui est calidus & siccus, sic de tempore & alijs.* Sicut dici- *mus quoq; calorem aßimilari calori secundum suam speciem, non autem in gradu: sed bene uerum est* ꝙ *calor remissus augetur & intenditur à calore inten- so, sed explanato aphor. secundũ* Auic. *appello enim eum aph: quoniam formaliter est ipsius* Hipp. *ut uo- bis citaui, uidetur modo quòd in eo sint multæ difficul tates & arduæ quidem quæ soluendæ sunt, alioqui ui debitur falsus uobis istæ aph. uidetur enim primo* ꝙ *sit falsus quoniam potius est res econtra quam dicit,*

nam

nam uidetur quòd illæ sint perniciosæ magis, quæ inuadunt proportionales ipsi ætati, tempori, & temperaturæ quàm illæ quæ improportionales eis inuadũt; & hoc argumento fortificatur primo, quoniam simile conseruatur à suo simili, & ab eo souetur augeturq;, à contrario autem remouetur facilius, hoc probari uidebitis ex se cum tamen uideatur manifestum per se, tunc adiungatis, sed si sic est sicut dicit Hipp. *ò* Auic. *quòd leuiores sunt illæ ægritudines, quæ quidem similantur ætati tempori & temperaturæ quàm quæ dissimilantur, uidetur immo sequi oppositum huius, quòd uidelicet sint magis perniciosæ, quoniam à simili fouentur, augentur, & conseruantur, magis autem remouentur à suo contrario ergo &c. præterea arguit sic quoniam nos uidemus in æstate cum causon inuadit iuuenem temperaturæ siccæ calidæq;, si sequatur aer frigidus, propter aliquid sanatur quod nõ uidetur alio modo esse nisi quia à contrario febris magis remouetur, quàm cum est cum suo simili, ergo falsus aph.* Amplius *longe deterior est febris ardens in* Aethyope, *in* Aethyopia *quam illa eadem causon in* Germano, *in* Germania *in æstateq; tamen longe similior est causon tempori inuasionis æthyopis, temperaturæq; ipsius quã ipsi Germano ergo falsus aph. præterea longe sunt catarrhi peiores in ipsis senibus, quàm in iuuenibus, tamen catarrhi magis similãtur ipsis senibus, & proportianãtur quàm ipsis iuuenibus sicut dicunt* Hipp. *&* Gal. *ergo &c.* Præterea *sic cõfirmatur quoniam in autumno in sene quartanæ sunt*

longiores quàm in iuuene in æstate eadem incidentes ergo sunt periculosiores. dicebat enim Hipp. quartanas illas, quæ æstate inuadũt esse breuiores ergo &c. Amplius uidemus nos quòd illi qui sunt præparati ad phthisim citius corripiuntur à phthisi, sicq; citius à phthisi moriuntur quam illi qui incidunt in phthisim impræparati tamen magis erant proportionales illi, cum essent similes præparatione illa antecedente, quàm illi qui non sunt præparati, sunt autem magis præparati illi qui habent collum longum pectusq; strictum, quam illi qui habent latum. antecedens huius argumenti probatur per Hipp. primo Epid. ubi loquitur de illa constitutione aeris, in qua moriebantur omnes præparati ad phthisim. dicebat enim Hipp. omnes illos qui præparati erant ad phthisim citius mortuos esse in eà constitutione. hoc stante patet falsitas aph. Amplius arguitur ad idem, & hoc aduertatis quoniam mihi uidetur admodum difficile inter alia, uolumus enim confutare fundamentum, quo nixi Auic. & Hipp. protulerunt hunc aphor. fundamentum autem tale est, quòd ubi ægritudo similis est ipsi corporis temperaturæ, ætati, & tempori in quo accidit, tunc est melior quàm quando est dissimilis his dictis, quoniam exempli gratia causon quæ accidit iuueni in æstate, qui sit temperaturæ calidæ & siccæ, melior est quàm si idem causon accidat homini frigido humido in hyeme, quoniam proportionalis est illis quàm huic modo ad causandum illã requiritur paruus calor, quoniam ubi est similitudo requiritur minor impressio,

preßio, quàm ubi non est similitudo, quapropter sequitur quòd cum requiratur melior impreßio, in illo frigido humido, oportet esse maiorem agentem, & ideo maior est ægritudo illa accidens in hyeme homini illi quàm ista quæ accidit iuueni in æstate. nam ferè quilibet calor potest imprimere in ipsum causonidem sicut maius est uulnus factum atq; infixum à Milone, *uel ab* Hercule *in uno corpore quàm si infigatur ab uno puero, tamen est uulnus quomodocunq;. Quare sequitur aph. quòd ubi ægritudo aßimilatur tempori ætati, & temperaturæ tũc melior est quam illa quæ non aßimilatur eis, sed est contraria uel si etiam eadẽ febris imprimatur in eodem iuuene, temperaturæ calidæ siccæq;, tum in hyeme accidat ei maior erit quã si accidat in æstate, quoniã requiritur maior impreßio, maiusq; agens. Ad hoc autem sic respondetur destruendo illud quòd ad hoc quòd fiat maior impreßio uel mitior, requiritur non solum uis agentis sed etiã proportio ipsius paßi hoc est resistentia ipsius. dicebat enim Arist. 4. phys. quòd si mittatur lapis in uacuo, & in pleno certum est quòd citius mouebitur in uacuo ad suum terminum, quam in pleno, quoniam habet minorem resistentiam, cum in uacuo nihil sit, immo inquit ipse mouebitur in instanti quoniam nullam habet resistẽtiam. Sic propemodum dicamus nos quòd in iuuene cum imprimitur causon in æstate non solùm requirendũ est quòd uidelicet agens sit debilior quàm debeat esse si in ipsam eandem febrem in hyeme impri mere debeat quoniam tũc febris illa aßimilatur tem-*

pori, in hyeme autem ei contrarietur, sed oportet etiã perſpicere, quòd in æſtate eſt minor reſiſtentia, in hyeme autem maior. Ideo *in ipſa æſtate cum agens non inueniat niſi paucam admodum reſiſtentiam, in hyeme autem magnam, ideo in æſtate magis imprimet quoniam nihil uel paucum ſaltem habet, quod quidem ei occurrat. in hyeme autem cum habeat quod illud impediat non poteſt tantum imprimere eandem febrem.* Q*uare ſi bene aduertitis concluditur oppoſitum illius quod dicit argumentum quæ inferre poſſent aliquam noxam iſti aph.* Q*uibus non obſtantibus dico quod aph. datus eſt uerißimus & hoc declaro, quo declarato uidebitis argumenta illa per ſe cadere. dicimus ergo nos quòd cũ quis ægrotat alteratur ab una diſpoſitione in aliam a ſanitate in ægritudinem, & de contrario in contrariũ. Si ergo debemus curare oportet ipſum reſtaurari, & redire de illo contrario in aliud contrarium in terminum uidelicet priſtinum, a quo facta fuerat alteratio, & a quo receſſerat, hoc certum eſt modo quãto maior erit uirtus ipſius agentis tunc maior erit uiolentia, maiorq́; diſtantia, & requiretur longius tempus, ut redeat ad illum terminum, maioribusq́; remedijs quoniam eſt longe periculoſior. declaro ſic, ſi debet fieri actio ab agente in ipſum paſſum oportet quòd ſuperet illud ad tantam magnitudinem quo fit cauſon, ad hoc autem quòd fit cauſon requiritur unus determinatus, certusq́; gradus. nam unuſquiſq́; morbus habet proprium quẽdam terminum, ut uidelicet lædat ſenſibiliter operationes,*

ſic

sit ergo calor ille causonidis, ut 4. si debet causon, si ergo calor extrinsecus, uel putredinalis, quisquis sit ille, debeat inducere tot gradus in corpus passum necesse est quod superet illud in sua ui. alioqui non posset educere ipsum ad 4 gradus, consequenter neq; ad causon. Sed si modo sit corpus frigidum humidum, uel propter ætatem, uel propter tẽperaturã, uel propter tempus, uel aliquid tale tunc oportet maius esse agens ut possit superare talem frigiditatem, & humiditatem resistentem, & cum eas superarit inducat in illud corpus maiorem caliditatem. Ideo maior uis ipsius agentis requiritur in hoc corpore educendo ad 4 gradus uel plures quàm in bilioso, quoniam iam ibi sunt aliqui gradus caloris, quilibet enim paucus debilisq; calor potest inducere in ipsum causonidem. si ergo debemus curare hanc febrem in illo primo frigido humido cum egemus contrarijs, contraria enim contrarijs curantur. Ideo egemus primo longo tempore ad hoc quòd reducamus ipsum in illum pristinũ gradum quoniam maior uiolentia facta est maiorq; ab illo distantia, egemus quinetiam fortioribus remedijs & maximis quidem ideo periculosa est hæc febris, sed febris hæc necessario inducta in bilioso est minor, leuiorq; quoniam pauca facta est uiolentia, paucaq; distantia a pristino termino à quo factus est recessus. Ideo leuioribus quoq; medicamentis indigemus breuioriq; tẽpore, quoniam exempli gratia in illo factus est recessus a frigiditate & humiditate per gradus x. ad causonidem calidam siccam. Sed in hoc bilioso in tempo-

re æstatis factus est recessus a caliditate sua, & sic= citate naturali ad causonidem per quatuor gradus. Indigemus ergo remedijs maioribus, longioriq; tem= pore ubi debet fieri recessus iterum atq; reditus de causonide in frigiditatem & humiditatem per decem gradus quàm ubi per quatuor ad caliditatem & sicci tatem. secundo etiam addo argumentum hoc consti= tutum regula topica a maiori ad minus destructiue hoc modo. Si quis senilis ætatis inuadatur a causoni= de in hyeme qui esset temperaturæ frigidæ, & humi= dæ certum est quòd magnus erat calor præpotensq; qui potuit superare tot contraria; hic enim omnia e= rant contraria tamen illa superauit. Ideo signum est quòd magnus erat, ideo fecit quoq; magnam impres= sionem, sed si sit iuuenis temperaturæ calidæ & sic= cæ, qui inuadatur ab huiusmodi causonide in hyeme certum esse debet quòd corripietur ab illo agente ca lore quoniam si ei non potuerunt ita resistere, ut illa non uicerit, tria unita tempus, ætas, & temperatu ra, quomodo ergo ei resistet solum unum eorum? Vi delicet aer, modo iam calefactum est ipsum corpus, quoniam temperaturæ calidæ, siccæq;, Ideo facilius imprimetur in ipso causon quoniam solum hic est aer resistens cum sit frigidus, humidus. ideo si aer non potuit resistere calori febrili unitus illis alijs duobus, quanto minus resistet solus? Videte ergo ueritatem ipsius aph. neq; enim fingimus somnia. Immo est aliud argumentum ex rei natura tractum ne uideamur in sophisticis manere. nam si sit homo ætatis iuuenilis bi liosus

liosus a prædominio in æstate qui incidat in morbum aliquem sibi proportionatum & similem tum tempori etiam, certum est quòd leuis erit. nam si huiusmodi iuuenis sub sole moratus fuerit incidet in causonidem, quoniam iam habet multos gradus ipsius caliditatis, & ideo propinquus est ipsi febri, & cum in ipsum agat calor solis faciliter reducitur in febrem sed si sit homo frigidus humidus, ætatisq; senilis qui moretur sub sole certum est quòd non reducetur ad causonidem, quoniam multum distat ab huiusmodi gradu caloris qui requiritur ad causum, requiritur enim alia causa quæ ipsum inducat in talem febrem fortior quàm sit aer. Requiritur dico causa magna quæ ita ipsum immutet, ne faciat in eo generari bilem, quæ quidem foueat talem febrem postquam inducta est, alioqui non incidit in eam. Sed ad hoc requiritur non dicam magna, sed maxima causa. quomodo enim ab aere, aut a tali causa poterit fieri, ut talis homo recedat a tam distanti temperatura frigida humida? cum etiam habeat ætatem iam resistentẽ, oportet ergo quòd si in tali homine induci debeat febris talis, ut habeat materiam, causamq; corpoream, non autem extrinsecus occurrentem, quoniam sicut leuius tollitur, atque facilius, sic etiam leuiorem facit impreßionem, ob id cum tanta sit resistentia, tum ætatis, tum temperaturæ, non poterit facere in ipso Causonidem, stabit ergo ueritas aphorismi nostri, quoniam ubi similis est ægritudo tum temperaturæ, tum ætati, tum tempori leuior

est, quoniam à leuiori quoq; causa generatur, & ideo parum imprimitur, sed ubi est eis dißimilis, tunc est difficilior & maior, quoniam signũ est magnam fuisse causam, quæ potuit superare tot resistentia. Visa ueritate aph. oportet modo uidere quid faciant difficultatis ista argumenta, quæ adduximus ne putetur aph. falsum esse, quæ puto iam ex his intellectis persolui posse. Ad primum ergo quando dicebatur simile à simili fouetur conseruaturq; & augetur, concedo, sed ægritudines similes ætati temperaturæ & tẽpori sunt, concedo, ergo fouentur augenturq; ab eis similibus? nego hanc consequentiam, & adiungebatur antecedenti, sed remouetur illud simile a suo contrario. concedo totum, ergo ægritudines quæ similes sunt illis tribus sunt maiores quàm quæ sunt dißimiles? nego consequentiam. o uidemus nos quòd si quis in æstate correptus sit à causonide, tunc si sequatur aer humidus frigidus, ergo esset melior si generaretur talis causon in tempore sibi dißimili, dico quòd hoc totum falsum sequitur, quia argumentum hoc facit pro curatione; probat enim ꝙ ægritudines quæ sunt similes ætati tempori & temperaturæ, sunt faciliores curatu à contrarijs, quoniã si earum inuasionem sequetur tempus contrarium, tunc remouentur, quoniam leuis erat ægritudo leuiori quoq; causa indiguit pro sui remotione: quod nos quoq; concedimus, nam dicere solemus quòd contraria contrarijs curantur, sed nos loquimur in aph. de generatione talium ægritudinum, quoniam sunt leuiores, cum fiunt pro-

portionales existentes illis tribus, quàm quæ nõ sunt proportionales. facilius quidem à contrario curantur quàm à simili, immo à simili augentur, sed quòd leuiores sint quæ fiunt cum sint contrariæ tribus illis uel uni eorum, hoc non probat argumentum sicut patet per illam probationem quam adducunt ab experientia, quoniam uidemus si sit quis qui corripiatur à causonide & sequatur aer frigidus humidus, tunc illa tolletur. ecce quòd dicit illud quòd nos quoq; uolumus, quoniam si solum aer remouet illam, certum est quòd leuis erat, quoniam à leui causa sublata, si uero sit difficilis ægritudo, tunc difficiliori quoq; curatione & maiori indiget. et sic soluitur quoq; secũdum ex solutione huius, quoniam ferè idem sunt idemq; probant per idem, quando dicitur longe deterior est causon in æthyope in æthyopia, quàm in Germano in Germania, dico quòd hoc quoq; facit pro curatione, non autem pro generatione eius, de qua hic nos loquimur. sed nunc ego nego primo hoc antecedens, immo est è contra, quòd hoc sit uerum probatur quoniam impressus fuit causus in ipsum æthyopẽ in æthyopia à faciliori leuioriq; causa; incidit enim in eùm cum regio & temperatura aerq; adiuuet semper ad eum, sed ad hoc quòd inducatur causus ille in ipsum Germanum, requiritur grauior fortiorq; causa, cum temperatura eius & regio aerq; resistet semper, ideo in talem febrem incidere non potest nisi maxima causa fuerit. bene uerum esse concedam quòd si æthyops habens hanc causonidem feratur in Ger-

maniam de æthyopia, citius ſanabitur quàm in æthyopia manens, ratio huius eſt quoniam cũ in ipſum cauſum inductus fuerit à leui cauſa, leui quoq; indiget remedio, quòd quidem contrarium eſſe debet per regulam illam uniuerſalem. ſed aer Germaniæ eſt frigidiſſimus, ideo ſufficiens erit ad remouendum talem febrem, & ſi ſit extrinſecus occurrens, ratio eſt quia paucum deeſt ad hoc quòd ille æthyops reſtituatur, ſed ſi Germanus in æthyopiam ducatur non propter id ſanabitur, & ſi ibi ſit aer calidus ſiccus, quoniam cum in eum inducta ſit febris, facta eſt à cauſa fortiori quoq;, & multum requiritur ad hoc quòd reſtauretur in ſanitatem. ideo non ſufficit aer, ſed aliquid aliud fortius remedium contrarium. Ecce ergo quomodo peiores ſunt cauſonides improportionati ætati tempori temperaturæ & alijs quàm proportionati illis, & pro hoc poteſtis quoq; petere ab iſtis noſtris mercatoribus Venetis qui uerſantur ſæpius in illis regionibus orientalibus calidiſſimis, in Aegypto, in Cairo, nam incidunt ſæpius in cauſonides, & ſunt Germani quoq; mercatores ibíq; incidunt in tales febres, inquiuntq́; iſti noſtri Itali quòd plures illorum Germanòrum & Francorum moriuntur ex talibus febribus quàm itali, quoniam ſunt quoq; in illis difficiliores, maiores. nam maior quoq; cauſa requiritur ad hoc quòd inuadantur. Itali autem ſunt multo aptiores ad illam, cum ſint calidiores, conſequenter reſpondemus quarto argumento quando dicebatur, catarrhi ſunt peiores in ſenibus quàm in iuuenibus, tamen

men

men magis proportionātur ipsis senibus quàm iuueni bus secundum Hipp. *dico quòd in ipsis senibus difficiliores sunt catarrhi, quoniam non possunt concoquere materiam illam, generantq; cruditates pituitosas, quæ quidem postea descendunt, sed difficillime tollun tur huiusmodi catarrhi quoniam in senibus non habemus calorem iuuantem ad illorum digestionem & cō coctionem, sed in iuuenibus catarrhi raro fiunt, sed quando fiunt oportet esse maximā fortißimamq; causam facientem illos, alioqui generari non poterunt in ipsis, cum habeant ualidum calorem, qui quidem con coquit quàm optime, neq; generat pituitosas cruditates, sed postea cum sint difficiliores in generatione le uioribus non utimur sed fortißimis remedijs, uerum leuius dico curātur faciliusq; quàm in senibus quoniā habemus calorem in ijs iuuantem ad concoctionem illarum cruditatum.* Et *notate unum, quoniam aphor. hoc modo dicit ipsius* Hipp.Branchi *& coriza in ualde senibus non maturantur, habemus enim hic duo. primo dicit in ualde senibus, non autem generaliter in senibus, ad excipiendos illos senes, qui reponuntur in primo senio, quoniam illi habent adhuc multū de calore. sed inquit in ualde senibus, qui sunt in secū do senio constituti, & decrepitate. postea inquit non maturantur. notate hoc quoniam non dicit sunt pernitiosi, sed inquit non maturantur, quoniam quantum ad generationem sunt leues, cum ex quacunque leui causa generentur, sed postea sunt difficiles propter defectum caloris innati quantum ad curationem, quoniam*

niam non maturantur, etsi applicemus remedia. neq; est mea expositio, sed ipsius Gal. *in com. illius aphor. qui soluit hoc argumentum non autem ego, uideatis ipsum. Quo ad quintum argumentum, quod dicebat quartanas in autumno inuadentes senem, longiores esse, inuadentes autem iuuenem in æstate breuiores, ergo impernitiosiores illis tamen magis proportionã tur autumno & seni, quàm iuueni & æstati, & probatur per* Hipp. *in aph. dico quòd hoc solum probat breuiorem esse quartanam, quæ inuadit æstate iuuenem, quàm quæ inuadit senem in autumno, non autem perniciosiorem esse quæ inuadunt in autumno, quoniam illæ quidem sunt longiores, tamen non propterea concludendum est illud, quòd dicit argumentum, inquit enim* Hipp. *in aph. illo, æstiuæ uero quartanæ ut multum fiunt breues, autumnales uero longæ, maximæ uero quæ hyemem attingunt, non propter hoc cõcludit* Hipp. *quòd autumnales sint peiores maiores & difficiliores, immo difficiliores sunt illæ quæ accidunt in æstate, quoniam ut plurimum inuadunt in autumno, fiunt enim præcipue in eo propter humorem melancholicum peccantem eo tempore aerem, & in senibus præcipue, qui sunt frigidi sicci.* Ideo *à quacunque leuiori causa fiunt in autumno, sed ad hoc q̃ fiat in æstate requiritur maior causa maximeq; in iuuene, & si hæc breuior sit, illa uero longior. extendit enim se per dies menses & annos.* Ad *sextũ quoque quod dicebat præparati ad phthisim cum incidũt in illam citius magisq; moriuntur, quàm qui in eam*

inci-

*incidunt imp*ræ*parati, ergo phthisis illa peior est quā ista, tamen magis similis erat illis quàm istis; quod probatur per* Hipp.*&c. dico quòd illi qui sunt præparati ad phthisim dicuntur qui habent compositionem præparatam similē ac proportionatā ipsi phthisi, & hoc modo faciliores minoresq́; sunt istæ phthises, quàm illæ impræparatorum quoniam à quacunq; leui causa incidunt illi in ipsam; sed si respiciamus postea similitudinem & contrarietatem ipsius naturæ ac temperaturæ, ideo dico quòd maior est phthisis in illo qui erat præparatus, si sumamus præparationem quo ad temperaturam ipsam, quando etiam in præsenti nos loquimur de ægritudinibus, quando uidelicet ægritudines accidunt alicui, quæ proportionentur tum naturæ eius, hoc est temperaturæ, non ætati, nec tēpori, sicut supra declarauimus, ideo moriebantur magis illi in constitutione illa aeris, qui erant præparati per compositionem, quoniam habebant spatulas longas eleuatas, pectus strictum, collum longum, non autem quòd essent præparati quo ad temperaturā.* Ad *ultimum autem dicamus, quādo dicit se destruere fundamentum aph. quoniā ad actionem requiritur proportio ipsius passi resistentis ad agens, sicut dicebat quoq;* Arist. *in 7. phys. sicut scitis, saltem præsuppono uos scire, quoniam non est hic locus discendi illa, oportet didicisse in alijs scholis, præsupponatisq́; illa tanquam firmissima fundamēta. Ideo discatis philosophiam & medicinam intelligatis, alioqui nunquā intelligetis. dico ergo, quòd resistentia ipsius passi facit*

cit

cit solum ad hoc, quòd citius uel tardius moueatur ipsum agens, quoniam quanto minor fuerit resistentia, tanto citius agens imprimet, quanto maior tanto tardius, non autem facit quòd agens propterea impediatur quin ad illum eundemq; terminum uadat, siue minor sit siue maior, nam si demus agens agere, oportet ipsum superare in ui sua resistentiam paßi, postquam autem superauit resistentiam fertur semper ad eundem terminum, puta caliditatis, ad quem latus esset prius si minor fuisset resistentia; hoc tamen uerũ est quòd tardius uadit ad illum terminum, quoniam cõsumit longius quoq; tempus in superando resistentiã paßi, maiorem quàm in superando minorem, sicut optime quoq; dicebat Arist. in illo 4. phys. quòd lapis positus in uacuo, & positus in pleno, citius in uacuo descendit, immo in instãti, quoniam nullam habet resistentiam, in pleno autem cum sit resistentia tardius mouetur & longiori tempore, non propter hoc tamen lapis restat, quin semper ad eundem terminũ tendat, hoc est ad terram, sed modo uelocius, modo tardius secundum resistentiam medij, sicut diximus. Ideo *nihil facit hoc argumentum cum de tempore faciat, non enim quia in æstate minor est resistẽtia paßi ideo minor erit impreßio, sed requiritur solum ualidius agens, ideo maiorem quoq; impreßionem faciet, & tunc tardius imprimet quàm in æstate; ideo non ualet argumentum.*

LECTIO XXXVIII.

DEBES autem ſcire quòd quædam ægritudinum fiunt &c.) *Auic. ut omnino ſatisfaciat uobis & addiſcentibus, poſtquàm loquitur de diſpoſitionibus præter naturam, hoc eſt de morbis, & in hoc cap. dicat ea quæ faciunt ad complementum huius tractatus.* Ideo *nunc quoq; uult dare quaſdam differentias morborum, inter quas iſta maxima eſt, quãdo uidelicet ex una ægritudine fit alia.i. quando una ægritudo mutatur in aliam, ipſa autẽ deſtruitur, quod pluribus modis contingere poteſt. pro exemplo autẽ quòd una tranſeat in aliam ut pleuritis in peripneumoniam, aliquando autem fit quòd una ægritudo ſuperueniens alijs antecedentibus, curat & remouet illas.* Remouet *dico uel ad bonum uel ad malum, ſic tranſitus de una ægritudine in uno loco conſiſtens in aliam in alio loco exiſtentem, & hoc eſt quod dicit Auic.* (Debes autem ſcire quòd quædam ægritudinum ſunt quæ ad alias mutantur ægritudines & deſtruuntur ipſæ & in hoc conſiſtit bonitas. Et eſt una ægritudo alterius ęgritudinis medicamentum ſicut quartana ex qua ſanatur multoties epilepſia, & podagra & varices & articulorum dolores.) *Iſtæ ægritudines aliquando mutantur ad bonum aliquando ſunt etiam aliquæ quæ alijs ſuperuenientes tollunt illas una autem permutatur in aliam ad bonum, ut quãdo febricitat aliquis & fiat abſceſſus in eius brachio*

aut

aut tibia, tunc febris tollitur & hoc modo mutatur ad bonum, melius enim est habere abscessum quàm febrem, & sæpe hoc modo terminantur febres, aliquã do tamen mutantur in scabiem, & per eam terminantur cum tollantur penitus, & sic ad bonum mutãtur, melius est enim habere scabiem quam febrem, tolluntur autem hoc modo quoniam materia putrida quæ faciebat illam febrem emittitur ad aliquem locum imbecillem sicq; fit abscessus, aut ad totam cutim cum est subtilior materia, & cum exire non poßit propter causam sæpius à me redditam, quoniã pori cutis sunt strictiores propter frigiditatem continentis. Ideo facit *scabiem pruritumq; cum habeat acrimoniam.* Et *cum hoc dixerit* Auic. *relinquit aliud membrum oppositum huic ad finem cap. huius, & interponit aliud ideo satis inordinate procedit, debebat enim hoc modo dicere.* Aliæ *sunt ægritudines quæ in alias mutatur ad bonum, aliæ quæ ad malum, postea dicere quomodo sunt aliquæ quæ superuenientes alijs præcedẽtibus sanant eas, sed ipse postquam expediuit primũ membrum relinquit secundum ad finem cap. & illud tertium sumpsit declarandum. inquit ergo.* (Et est vna ægritudo &c.) *.i. sunt quædam ægritudines, quæ cum superuenerint ad aliquas alias ægritudines tollunt illas. postea exemplificat* Auic. *multis exemplis est enim copiosus in dandis exemplis iste homo, primoq; dicit quòd* (quartana sanat si superueniat epilepsiam, uarices, podagram, & dolorem articularem.) *hic autem scire debetis quòd*

Auic.

Auic. nunquam dicit aliquid nisi sit comprobatum ab antiquis præterquàm in suis opinionibus, sed non nominat illos à quibus accipit quoniam ipse dixit se trãscribere. ob id hoc ex se met non dicit Auic. de quartana quòd sanet illas ægritudines dictas, fuit enim dictum prius ipsius Hipp. & Gal. in com. primo Epid. sect. secunda ferè ad principium, inquit enim Hipp. in tex. quòd quartana sanat multos morbos, immo etiam præseruat à multis morbis. Gal. autem in com. hoc aduertens (& hoc notate propter modernos istos exponentes) dixit quòd Hipp. ibi loquebatur de quartana simplici pura, quæ est omnibus securissima ægritudinibus & multas earum tollit, non autem loquitur de complicata, quoniam complicata quartana parit multa sæua accidentia atq; symptomata, puta quando complicata est cum tumore lienis, aliquando enim propter illam homines moriuntur, & propter hoc dictum soluuntur omnes abundantes uanæ & ignaræ quæstiones istorum modernorum, quas hic mouent, hoc solo dicto soluuntur, & non solum ego qui soluam ea sum, sed est ipse met Gal. quas apud ipsos legetis, & si non erit sicut dico, uolo quòd mihi nunquam post hac credatis. Videamus modo quomodo ista quartana simplex est sanatiua (ut more Auic. loquamur) multarum ægritudinum quas numerat hic Auic. dico ergo quòd quartana simplex sanatiua est harum quidem omnium ægritudinum, epilepsiæ, podagræ, uaricum, doloris articularis, sed non omnium eodem modo, est enim aliarum quidem per se sanatiua

ua causa, aliarum uero per accidens & consequenter, causa autem per se illa est quæ ex intrinseca sui ratione & ex propria natura apta nata est producere talem effectum, hoc quoq; modo quartana sanatiua est causa ipsarum uaricum per se, quoniam ex sui propria natura apta est sanare uarices tanquam proprium effectum. Varices autem sunt quando uenæ ipsarum tibiarũ sunt ita repletæ atro sanguine, ut fiant craßißimæ aliquando etiam magnitudine unius digiti, & aliquando ita intumescunt ut patiantur illi homines dolores maximos, credo quòd intelligatis me. Vnde dicitur Marium fuisse uaricosum, Marium dico illum Romanum, & quoniam consuetudo erat apud antiquos, ut secarentur illæ uarices propterq; nimium dolorem ligabantur homines, solus Marius dicitur se abnuisse ligandum sed ita sine uinculis præbuit se Medico secandum. Cum ergo istæ uarices fiant ex sanguine atro & melancholico, & febris quartana ab eodem fit humore & in quocunq; paroxysmo ipsius adueniente expellitur aliquis humor melancholicus, & aliqua portio ipsius, propterea quia scitis in febrium paroxysmis interpollatarum humores mitti ex uenis ad extra uenas, in omni enim febre periodica humores putrescunt in uenis, postea putridi emittuntur propter concußionem in paroxysmis, nam si putrescerent extra uenas tunc non essent febres periodicæ, sed essent continuæ, sicut discitis uos qui auditis praxim, qui autem non auditis pro nunc hoc supponatis, quoniam postea hoc scietis; quartana autem

longa

longa est, propter id quoq; dicitur in prouerbio uulgari, la quartana i uecchi amazza, i gioueni sana. quartana ergo per se sanat ipsas uarices cum fiant ex eodem humore melancholico, & in suis paroxysmis semper aliqua portio illius humoris euacuatur, ideo inaniuntur uenæ illæ & cessant uarices, alias autem sanat ægritudines per accidens, quoniam scitis quartanam fieri ex humore melancholico, tamen epilepsia podagra & dolor articularis fiunt ex pituita, ob id in suis paroxysmis euacuat melancholiam, non autem pituitam, quomodo ergo per se earum ægritudinum est sanatiua? quòd autem sanet quartana podagram est Hipp. *in aph. quando dicit quòd si super podagram superueniat quartana soluitur. Quærimus modo nos quomodo soluat, cum ex eodem humore non fiant, hoc cum faciat necesse est dicere per accidens facere. quòd autem sanatiua sit epilepsiæ est manifestum per ipsum quoq;* Hipp. 6. Epid. *sect.* 6. *tex. ult. &* Gal. *in com. dicebat autem* Hipp. *in tex. quòd quartana sanat morbum sacrum hoc est magnum, nam quodcunq; magni momenti est, & magnũ dicitur sacrum, & hoc modo exponit* Gal. *quòd quartana est sanatiua sacri morbi. i. magni. postea per magnum morbum exponit epilepsiam quæ est morbus comitialis ideo magnus. ratio autem cur sanetur superueniente quartana est quia in quartana sunt magni longiq; rigores, aliquando per tres & quatuor horas, & ideo tunc fit magna totius corporis concussio, sed cum epilepsia sit propter pituitam crassam ui*

ſcoſam in ipſis uentriculis cerebri impactam, ita tamen quòd non oppilentur omnino, quoniam eſſet non epilepſia ſed apoplexia, in quartanæ autem paroxyſmis fiunt concuſsiones illæ & tunc pituita illa paulatim paulatim cum quartana ſit longa tanquam uecte educitur ſicut dicebat Gal. & eo modo per accidens ſanat epilepſiam. accidit enim concuſsioni illi quòd expulſa ſit illa pituita & ſanata ſit epilepſia, ſed dicet quis, non poterit quoque tertiana hoc perficere cum in ipſa ſint maximi rigores, ſicut & in quartana conſequenter & maximæ concuſsiones? Ad hoc dico quòd etſi in ipſa tertiana ſint illæ concuſsiones magnæ ſicut in quartana tamen pituita illa impacta eo modo in cerebri uentriculis non poteſt excuti, niſi in plurimis paroxyſmis, non autem in 3. uel 4 uel 7. modo tertiana 4. ad ſummum 7 paroxyſmis terminatur, ſicut dicebat Gal. aliæ uero feb. non habent tam magnos ac uehementes rigores, ideo id præſtare non poſſunt. quartanæ autem habent maximos rigores et concuſsiones, præterea ſunt longæ immo quandoque longiſsimæ, ob id conſentaneum eſt quòd excutiatur pituita illa in tot concuſsionibus, qua excuſſa tollitur epilepſia. hæc eſt una ratio. ſecundam rationem aſsigno cur eſt quòd quartana ſanat epilepſiam, dico ergo quòd ſanatur epilepſia non ſolũ propter illam concuſsionem magnam omnium membrorũ exiſtente frigore magno, ſed etiam propter longitudinem ipſius paroxyſmi propter ipſum calorem uidelicet ſequentem frigus, qui longo tempore durat, aliquando enim

ſe

se extendit usque ad 24 horas & 30, ideo trahens longam moram, calor in illo tempore fit maior. hoc autem pro nunc supponatis, quod anno præterito conclusimus fortißimis rationibus & uerißimis, quòd uidelicet calor maior fit propter longam moram solis super capita nostra, quàm propter uim ipsius naturæ, mora est illa quæ magnificit in calore augendo. Vnde dicebamus tunc quòd maior est calor, acutiorq; in augusto mense, in diebus caniculæ, quoniam sol mittit radios super zenith capitum nostrorum, & nobis rectiora, & ideo quoniam sol maiorem moram trahit tunc temporis maior quoq; calor efficitur. supponatis hoc ergo quod alibi à nobis probatum est. mora ergo facit multum ad augmentum caloris. cum ergo paroxysmi ipsius tertianæ post frigus sint breues, ideo pituita illa impacta in uentriculis cerebri non potest exiccari, paroxysmi autem quartanæ sunt longiores, ideo calor moram trahens in illo corpore exiccat illam pituitam, & ita non potest adhærere ita quòd tãdem expellitur, eoq; modo cessat epilepsia propter ipsam quartanam. Sed causa ista sanatiua epilepsiæ est per accidens, quoniam ex propria natura quartana non habet uastare epilepsiã, sicut habet tollere uarices, ut iam credo declaratum esse in superioribus, sed accidit tum concußione, ut expelleret materiam illam pituitosam, & calori moram trahenti, quòd exiccaret eam. quòd autem dico de epilepsia idem accipiatis de ipsa podagra, & dolore articulari, quoniam istæ tres dispositiones & ægritudi-

nes ab eadem fiunt materia hoc est pituita, differunt solum per loca, quoniam podagra est, cum pituita impacta est in ipsis articulis pedum, ita quòd illos afficit, dolor autem articularis dicitur quando est pituita impacta in articulis totius corporis, cum autẽ est impacta in articulis manus tunc dicitur chiragra, cũ uero est impacta in uertebra coxæ dicitur ab istis nostris modernis dolor coxendicus, in uentriculis autẽ cerebri epilepsia, qui omnes morbi fiunt, ut uidetis ex pituita, differunt solum differentia locali, & ideo eodem modo curantur isti morbi, sicut & epilepsia, & quod dictum est de epilepsia putetis dictum propterea de his, quoniam quartana sanatiua est doloris articularis podagræ, chiragræ, & doloris coxendici propter illas duas rationes sumptas a modo paroxysmorum ipsius quartanæ, erit tamen causa per accidens, non autem per se, & ideo iam hucusq; litera nota est. sed & scabies sanatur per scabiem, quoniã humor ille qui emittebatur, & retinetur. Spasmus quoq; sanatur a quartana iuxta sententiam Hipp. *in illa quinta particula aph. 70. Si bene memini ubi incipit aph. à quartanis habiti non ualde à spasmis capiuntur, si autem capiuntur prius, & superueniat quartana soluuntur. Cur autem sanetur spasmus ita à quartana declaro, quoniam spasmus fit a materia pituitosa sicut & epilepsia, nisi quia in plus se habet spasmus quàm epilepsia, nam epilepsia nihil aliud est quàm spasmus quidam particularis, spasmus autem nihil aliud est quam epilepsia uniuersalis, ideo cum*

quartana sanat spasmum, sanat per accidens, sicut dictum est de epilepsia, spasmus sanatur quoq; per pustulas sæpe, sed spasmus de quo loquitur nunc Auic. est spasmus factus ex repletione ipsorum neruorum, alioquin non sanaretur à quartana, nam in alio spasmo non est materia. quomodo ergo poterit per quartanam sanari si ibi non est materia, quæ quidem propellatur? pro quo animaduertatis quòd spasmus potest fieri, tum propter nimiam siccitatem neruorum, propter quam contrahuntur, sicut sensu patet chordas lauti cum exiccantur, retrahi breuioresq; fieri. secundo quia nimis replentur ipsi nerui addatur, & tertius qui quidem fit propter quandam qualitatem pungentem ipsos neruos, quæ adeo accedit de duobus, relinquamus de uno, in propositum loquamur, quoniam cum nerui ipsi replentur nimis ipsa pituita, tunc latiores craßioresq;, & corpulentiores fiunt, sed contrahuntur & breuiores fiunt, sicut patet quoque in chorda cytharæ, nam si cytharœdus habeat cytharam, in qua chordæ sint tensæ, si ponatur in loco ualde humido chordæ ille disrumpuntur, quoniã propter humiditatem illam penetrantem fiunt maiores, tum in profunditate, tum in latitudine, & cum contrahantur, contrahi autem non poßint tantum sicut oportet, quoniam iam erant tensæ, ideo dißiliunt & rumpuntur, sicut exemplificabat quoq; Galen. postea iungit Auic. quòd spasmus sanatur quoq; per scabiem & papulas, ratio est quoniam materia illa, quæ contrahebat neruos educit ad cutim, sicq;

fiunt pustulæ, quas uocat Auic. *bothor, & fit quandoq; scabies, & cum educatur materia, neq; poßit contrahere amplius neruos ideo cessat spasmus. pustulæ autem istæ siue scabies consequens ipsum spasmum sunt bonæ. tamen per uiam signi, non per uiam causæ, hoc declaro quòd bonæ sint per uiam signi manifesto, quoniam signum est cum fiunt talia naturã uicisse in pugna supra materiam, eam enim misit de neruis ad extra neruos usq; ad cutim, sed cum fuerũt in cuti tales materiæ cum pori sint arctiores propter frigiditatem continentis, ideo non possunt exire, sicq; fiunt pustulæ uel scabies. per uiam autem causæ sunt bonæ, quoniam signum est, quòd materia pituitosa illa quæ faciebat repletionem ipsorum neruorum emissa est, & sic inaniti sunt nerui, & strictiores redditi sunt, consequenterq; elongati, & spasmus cessauit, quoniam eius causa immediata & conuicta remota est. quomodo ergo sanatur spasmus a scabie & pustulis siue bothor, ut dicit* Auic. *uel pruritu manifestum est. postea* Auic. *dat aliud exemplum, quomodo una ægritudo sanatur alia superueniente. est enim semper copiosus homo iste in exemplis. dicit enim uenter quoq; propter oculorum ægritudinem similiter sanatur, idest fluor uẽtris sanatiuus est ab ipsa ophthalmia. Sed uidetur dicere totum oppositum illi quod dicit* Hipp. *nam* Hipp. *inquit ægritudines oculorum siue ophthalmiæ sunt sanatiuæ à fluoribus uentris. uideatis ipsum in sexta particula aph. quando dicebat, in oculis lippientem siue ophthalmiam patientem quomodo-*

modocunq; dicatis si superueniat fluor alui, bonum est quomodo ergo dicemus? dico quòd aut tex. huius literæ est corruptus quod magis credendum est, cum hoc scire non poßimus. non hoc diceret Auic. Sed si tex. est bonus, tunc possumus dicere quòd possunt esse inter se causæ quædam circulares, ita quòd fluor alui soluit ophthalmiam, & è contra, nam cum materia ipsa defluit ad unum locum eorum si ad alium eorum quoq; discedat, tunc ab illo primo remouetur ægritudo. ophthalmia enim est in genere destillationū secundum quòd Gal. dicebat in secundo de differentijs febrium. ideo cum fiat propter materiæ defluxum ad ipsum oculum, si contingat quòd materia illa quæ assueuit fluere ad oculum fluat propter aliquid ad ipsam aluum, tunc fit sanatio ipsius ophthalmiæ, si autem materia fluxerit ad uentrem fit fluor uentris, si contingat quòd illa materia, quæ assueuerat fluere ad aluum, fluat aliqua de causa ad oculum, tunc fit ophthalmia, sed fluor alui cessat, & ita sibi inuicem erunt causæ sanatiuæ, quomodocunq; sit, saltem dicendum est quòd protulit hoc secundum membrum, et per illud uoluit intelligi, & oppositum gratia breuitatis, Cum inquit uenter, idest fluor uentris, qui est ægritudo, sanatur propter superuenientem ægritudinem oculorum, hoc est ophthalmiam. postea dat aliud exemplum de sanatione ægritudinis unius propter aliam superuenientem, & dicit. Et lienteria sanat apostema lateris, per lienteriam intelligit fluorē alui, in quo egeruntur illa eadem, quæ suscepta erāt

in

in cibum, sed debetis accipere hic lienteriam non proprie sed improprie, ille autem qui uertit Auic. propter ignorantiam interpretatus est hoc modo, neque enim credo hoc dicere Auic. Sed per lienteriam sumatis simplicem diarrhœam. Inquit ergo Auicen. quòd simplex diarrhœa sanat apostema lateris, per apostema lateris intelligatis pleuritidem. Sed uidetur hoc esse contra Hippocr. *in aphor. partic. 6. quando inquit. à pleuritide & peripneumonia habito si diarrhœa superueniat malum est, ecce dicit malum est nō autem bonum. quid ergo dicit* Auic. *quòd sanat illā:* Domini *ne sitis ultra occupati, debetis scire quòd* Gal. *exponens* Hippoc. *ibi excusat* Auic. *sed primo notate. quoniam ut declaratum est cum materia fluit ad aliquem locum de alio loco, tunc aut colligitur, aut exit, si colligitur tunc fit inflammatio in loco illo ubi colligitur, cum ergo materia fluat ad membranā succingentem costas, quæ dicitur pleura, cum non poßit exire colligitur ibi, & fit inflammatio, cum ergo fit hæc inflammatio, quæ postea a loco dicitur pleuritis, habet duo tempora insignia, aut enim materia fluit adhuc ita quòd est adhuc in principio, & parum in augmento, aut fluxit omnino, neq; amplius fluit, sed omnino collecta est, iamq; inflammatio facta est, & est status ipsius inflammationis. his stantibus* Gal. *declarat in comm. dictum* Hippoc. *in aphor. illo, & notat primo quòd dixit, illi qui sunt capti, siue habiti a pleuritide, &c. dicit enim cum iam sunt capti, idest cum iam inflammatio facta est, & eius status est, modo*

do

do omnino fluxit, non fluit amplius, sed impacta est in membrana illa, ideo in hoc casu si superueniat diarrhœa ferum remedium est, ideo dicit malum tarde uenere bubulci, iam materia impacta est, neq; potest amplius fluere, & sic diarrhœa nihil iuuat, sed ultra hoc quòd nihil iuuat nocet, quapropter dicit Hippoc. *malum est, natura enim debilitatur & calor ipse, sed hic indigemus concoquente, digerenteq; materiam illam impactam, quomodo ergo concoquetur si calor, qui id prestare debet minuitur? malum est & moriuntur. si modo in primo casu quando materia nondum fluxit sed fluit adhuc, neq; impacta est, superueniat diarrhœa, tunc materia quæ transmittebatur ad mẽbranam succingentem costas pro facienda pleuritide transmittitur ad intestina, & sic diarrhœa quidẽ fit, sed pleuritis remouetur. & hoc modo non est malum, sed bonũ, melius enim est habere diarrhœam quã pleuritim, & hoc modo bene dixit* Auic. *hoc in loco, neq; contradicit* Hippoc. *immo ambo iuncti dãt nobis maximam in hoc doctrinam, distingue tempora & solues difficultatem. Quare non semper timeatis in pleuritide cum superueniat diarrhœa, sed neq; semper speretis salutem, sicut faciunt isti empirici, sed distinguite per signa, an sit inflammatio in principio, an in statu, sicut declaratum est. & ideo uidetis quomodo* Gal. *soluit hanc apparentem contradictionem. Iungite ergo uos cum* Auic. Gal. *& habebitis medicinam, & si iungatis ita ut in talibus locis qualis est iste, glosetis & scribatis in uestris libris, uos habebitis*

tis aureum librum. nam isti Auicennistæ qui non uiderunt Gal. *sed tantũ* Auic. *habent hanc regulam firmam, certamq́; appellant ipsi canonem. uident enim* Auic. *non distinguere sicut fecimus nos, ideo ita habent illum canonem certum, quod tamen falsum est, nisi declaretur modo dicto. postea* Auic. *dat aliud exemplum cũ dicat, & similiter an uenarum apertio omnibus confert melancholicis ægritudinibus, & doloribus sciæ, & doloribus renum, & matricis.* Ecce *quomodo una ægritudo alij superueniẽs sanat ipsam, nam apertio ipsarũ hæmorrhoidum sanatiua est morborum melancholicorum, ut doloris sciæ, doloris renum, & huiusmodi, sanatiua est quoq; doloris articularis, sed istorum morborum sanatiua est aliorum quidem per se, aliorum autem per accidens: sanatiua est quidem melancholicorum per se: pro hoc est aph.* Hippoc. *in insanientibus & melancholicis, si aperiãtur hæmorrhoides bonum. ratio autem huius est quoniam illæ uenæ purgant sanguinem melancholicum, ideo cum ex eo fiant morbi melancholici si euacuetur sanãtur, euacuatur autem per apertionem istarum uenarum uel arte factam, uel natura.* Sed *si natura fiat, melius est, unde ut tribuamus honorem illi cui debetur, dicimus quòd nesciretur quomodo istæ uenæ euacuent potius sanguinem melancholicum, quàm alios humores, immo deberent euacuare omnes humores simul si orirentur a uena caua, sicut isti dicebant, qui anatomiam exercebant, uerum* Vessalius *mihi in anatomia ostendit quomodo nascuntur a uenis*

ipsius

ipsius lienis, sicut potestis uos quoq; uidere in suo lib. anatomico, ipse fuit castigator huius maximi erroris priorum, nam bene hoc pacto potest euacuare sanguinem melancholicum potius quàm alios humores, quoniam scitis lienem proprium locum esse ubi expurgatur sanguis melancholicus, sicut declarauimus anno elapso in prima primi. Ecce *quomodo potior ratio est quòd expurgent melancholicum, bene uerum est quòd quandoq; euacuantur alij etiam humores, per apertionem uenarum hæmorrhoidarum sanatur dolor hispiæ quà transfert iste dolorem sciæ, nescio iam ubi inueniat hoc nomen sed dicitur a nostris dolor coxendicus, nam cum euacuetur sanguis, sic per uiam deriuationis sanatnr hispia, quoniam locus est propinquus ipsis uenis, quod quoq; cognouerunt isti moderni practici, qui quidem in huiusmodi dolore solebant imponere clysteria acuta, quæ quidem aperirent hæmorrhoidas, ut sanguis euacuaretur, & per deriuationem sanetur hispia, nam cum exit sanguis secum trahit quoq; humorem pituitosum qui adhærebat uertebræ coxæ & faciebat dolorem, sicq; sanatur. sanatur quinetiam per apertionem uenarum harum dolor articularis, eodem modo cum euacuetur sanguis trahatur quinetiam simul pituitosus humor, unde uidebitis aliquando sanguinem illum qui per eas uenas euacuatur esse citrinum, aliquando album aquosum, nam cum exit trahit de humoribus secundũ quòd peccant præcipue existente loco propinquo. hos autem morbos sanat per accidens apertio hæmorrhoi-*

morrhoidum, non autem per se, quoniam per se sanat melancholicos, sicut iam declaratum est. & ideo dicit quòd sanat quoq; dolorem renum & matricis per deriuationem eodem modo. cras finiemus hoc caput postquam non uultis me hodie perficere.

LECTIO XXXIX.

ET est, cum ægritudines in alias mouentur ægritudines, & propter hoc fit dispositio maioris malitiæ, &c.) *Videbamus in superiori lectione illud membrum diuisionis illius, quæ dicebat ægritudinum, quæ mutantur in alias, aliæ sunt quæ mutantur in alias ad bonum, aliæ ad malum, uidimus dico illud membrum de his quæ mutantur in alias ad bonum exceptis multis illud declaratum est a nobis cum* Auicenna. *Nunc modo aggreditur membrum oppositum in diuisione, quando uidelicet mutatio fit de ægritudine in aliam ægritudinem ad malum tamen, ita quòd ægritudo in quam fit mutatio est peior illa ex qua facta est. postea dat exemplũ dicendo sicut cum mutatur apostema lateris in apostema pulmonis, per apostema autem lateris intelligatis pleuritidem, quam uulgares medici appellant pleuresim, quæ est inflammatio membranæ succingentis costas, quæ dicitur pleura, ex qua nomen suum traxit, sicut in externa lectione quoq; declaratum est satis in alio proposito, quæ inflammatio fit ex pura materia biliosa, aut ex sanguine subtili;* Vnde *optime dicebat* Gal. *in pleuritide fieri febrem accedentem de tertio*

tertio in tertium, & est sicut phrenesis, quæ est inflammatio membranæ cerebri, neq; enim differunt pleuritis & phrenesis ipsa materia, quoniam ab eadem fiunt materia, sed per locum in quo fiunt, quoniam ista in membrana succingente costas, illa uero in membrana ipsius cerebri. peripneumonia uero est inflammatio in substantia pulmonis, eamq; uocat Auicen. apostema pulmonis. hoc stante declarato dicit Auic. quòd quando fit mutatio de pleuritide in peripneumoniam, tunc est mutatio de ægritudine in ægritudinẽ ad malum, quæ dicitur quidem peripneumonia, peior est pleuritide hac ratione, quoniã quæcunq; incommoda solent accidere in pleuritide, accidunt quoq; in peripneumonia in longe peiora, atque maiora, nam sicut in pleuritide est anhelitus difficultas, sic in peripneumonia est & longe maior, cuius signum illud est quòd omnes peripneumonici moriuntur suffocatione, nam cum membrum spirituale faciensq; principaliter ad respirationem, uidelicet pulmo neq; possit constringi dilatariq;, præterea cũ sit membrum nobilius ipsa membrana quæ pleura nominatur. amplius longe propinquior est ipsi cordi ideo longe maior est difficultas respirandi in peripneumonia quàm in pleuritide. propterea dicebat quoq; Gal. quòd febres illæ quæ fiunt in peripneumonia, sunt longe peiores & acutiores quàm illæ quæ fiunt in pleuritide hac ratione, quoniam illæ sunt longe peiores febres quæ fiunt propter inflammationem membri propinquioris ipsi cordi, quoniam citius magisq; communit

nicatur calor innaturalis illi, sed pulmo ut dictum est longe propinquior est ipsi cordi, quàm membrana illa. Cum ergo peripneumonia sit in nobiliori membro quàm pleuritis & rationibus alijs dictis, ideo peripneumonia peior est ipsa pleuritide, cuius signum est illud, quòd peripneumonici non pertranseunt ad summum septimum diem, sed pleuritis septimum & 14, & 20, immo & 40, sicut dicit Hippoc. & *Gal. narrat de quodam qui dicebatur* Anaxion *in primo aph. sicut scire potestis.* Habetis *ergo hactenus quid sint istæ duæ inflammationes, quæ sit peior, in quo membro fiant, nunc reliquum est uidere, quomodo mutatio fieri ista possit. Cum ergo pleuritis sit inflammatio membranæ succingentis costas ex materia ibi collecta per defluxum ipsius ab aliquo alio membro: ideo dicamus quòd in hac inflammatione duo principalia tempora consideranda sunt nunc, sicut heri quoq; dicebamus, unum est quando materia defluit, alio uero modo quando defluxit, idest uno modo considerari potest pleuritis quando fit, alio modo quando facta est. si consideratur secundo modo, quando iam facta est, tunc non potest mutari in peripneumoniam, sed aut mutatur in dissolutionem, aut in suppurationẽ, aut in sphacelismũ: si expuatur materia dissolutio subsequitur, si aũt fiat sanies suppuratur, quoniam cum nõ expuitur, ibiq; remanet, tunc putrescit, mutaturq; in suppurationem: & hoc est quod dicebat diuinus ille* Hipp. *in aphor. quòd pleuritis si pertransit 14 diem, nisi expuatur materia uertitur ad suppurationem,*

aut

aut in sphacelismum, cum sit corruptio ipsius membri, & sequitur mors, nullo autem istorum modorũ trium est peripneumonia, ergo pleuritis facta non mutatur in peripneumoniam quod quærebamus, sed si in eam mutatur (neq; enim nego poßibilitatem huius) tunc potest mutari, postquam iam facta est suppuratio & longinque, quoniam longum tempus requiritur ad hoc quòd fiat talis mutatio, sed quando fit mutatio ista? dico quòd fit quando uidelicet pleuritis adhuc est in principio.i. quando fit, quando ipsa materia adhuc fluit, neq; impacta est in illa membrana, & defluxus materiæ magnus est, magnus autem est dupliciter, aut propter quantitatem, quoniam uidelicet fit maior quantitas quàm soleat esse ipsius materiæ ad faciendam pleuritidem, aut quando quidẽ materiæ est ordinata quantitas, sed uirtus debilis & defatigata est, ita quòd non potest illam regulare, nam cũ materia colligitur et defluit, natura habet optimũ intentum, quoniam intendit expellere totam materiam omnino extra, sed cum propter quantitatem nimiam ipsius materiæ non potest eam expellere, aut quia cum expellit in medio defatigatur, ideo defluit materia illa ad pulmonem, & possumus addere tertiũ quòd uidelicet uirtus non potest materiam illam expellere, quoniam nimis uiscida est & crassa, ideo adhæret neq; potest eam impingere. ista autem materia potest esse bilis illa pura non commista alij humori, quæ uiscida est, a Gal. dicta uitellina, aut est bilis cum pituita, & ideo non potest expelli ad membra-

nam, neq; eã penetrare, quoniam scitis ex anatome illam membranam esse crassam, duram, densam, ideo non potest in eam ingredi nisi materia subtilis, unde bene propterea dictum est quòd pleuritis non fit nisi ex bile pura, tenui, aut sanguine subtili, quoniam alia materia non potest penetrare illam membranam, cum ergo materia illa non posit recipi in membranam, de fluit ad pulmonem, & ibi fit inflammatio, quam uoca mus peripneumoniam, quod quoque cognoscens ille Aretheus *medicus antiquissimus maximæ authoritatis homo neq; contemnendus, quem credo fuisse ætate il la parum post* Hipp. *& uir quidem maximus, qui qui dem damnat* Hipp. *curantem pleuritidem per sectio nem uenæ eiusdem lateris, hoc enim inquit non est be ne dictum, neq; nominat* Hipp. *ideo omnino credo eũ fuisse ætate* Hipp. *& eius æmulum, tanquam quòd ni hil faceret* Hipp. *qui dixerat faciendam mißionẽ san guinis ab eodem latere in 4. reg. acut. nam inquit Are theus* Hipp. *incidet in unum duorum (non nominat tamen* Hipp. *etsi ego nominem) aut enim facta sectio ne uenæ in pleuritide uirtus cadit omnino, & sic se quetur mors infirmi, aut relinquetur debilis & im becilla, & sic materia illa quæ transmittenda erat ad membranam, cum uirtus non posit sustinere, & sic fluet ad pulmonem, & fiet peripneumonia maior æ gritudo quàm prima.* Ideo *Aretheus consulebat non esse faciendam mißionem sanguinis ab eodem latere, sed ab opposito* Hipp. *autem ut intelligatis faciebat mißionem sanguinis ab eodem latere usq; ad syncopẽ,*

propterea

propterea motus est Aretheus contra Hipp. Vnde nõ oportet contemnere opinionem illam Arabum sicut aliqui faciunt sine maxima ratione, quoniam nõ oportet dicere sicut dicunt isti esse opinionem Arabum. fuit enim opinio antiquissima, sicut uidetis, & ita antiqua sicut opinio Græcorum, nam fuit summorũ maximorumq; uirorum græcorum Arethei uidelicet & Archigenis & aliorum. Archigenes enim damnabat Hipp. in hoc quoq; sicut recitat Oribasius & post ipsum ult. Aetius. Vnde ille quoq; consumatissimus medicus Auenzoar dicebat quòd missio sanguinis ab eodem latere est mors ægri. ecce quòd dicit idem quod Aretheus si optime hæc uerba consideraueritis, quasi dicat, aut morietur propter casum uirtutis aut fiet peripneumonicus propter debilitatem uirtutis; & credo quòd Auenzoar legerit Aretheum omnino. ecce ergo quomodo animaduertit nostrum dictum Aretheus ille maximus, quòd propter debilitatem ipsius uirtutis de pleuritide fiat peripneumonia. Habetis ergo quid sint pleuritis & peripneumonia, cur fiant, & quomodo ex pleuritide fiat mutatio ad peripneumoniam, tanquam à leuiori ægritudine ad grauiorem peioremq;. his uisis atq; optime intellectis patet modo quomodo omnes expositores hallucinentur, & dico omnes, neminem excipio, quoniam Auic. est breuis, & ideo nesciunt distinguere & declarare rem ipsam, est autem ita breuis Auic. & hic & ferè ubiq;, ut uerum sit quod dicebat meus præceptor Nicolaus ille Leonicenus, dum breuis esse laboro obscurus fio.

idcirco ergo Auic. (Et sicut cum mutatur pleuritis in lethargiam) *dat enim aliud exemplum, hicq; ut dixi omnes errant, sed scire debetis primo* Domini. *& pro certo habere, quòd nunquam ex uera phrenitide potest fieri uera lethargia, quæ mutatio est à meliori ad peiorem ægritudinem, hoc habetis ab* Hipp. *&* Gal. *etiam, non enim est dictum meum istud, ratio huius reddetur, quoniam phrenitis fit ex bile pura, lithargia uero ex pituita pura, loquor ego de ambabus ueris, non autem transumptiuis, & non ueris secundum* Gal. *primo libr. prorit. sect. prima com. primo, modo ex pura bile non potest generari pituita, non enim potest fieri mutatio de bile in pituitam, ergo neque phrenitis potest mutari in lithargiā ueram, cum enim fiant ambæ in eodem omnino loco, uidelicet in membrana cerebri, non possunt mutari per mutationem loci, ergo mutabitur una in aliam ratione mutationis unius materiæ in aliam, uel quia una earum ægritudinum recedit, altera uero subsequitur in eodem loco, sed non potest esse, secundo modo, quoniam non esset mutatio unius ægritudinis in aliam neque transitus, sed esset potius quædam successio unius ad alteram, ergo relinquitur quòd phrenitis mutetur in lithargiam, per mutationem ipsius materiæ, ita quòd materia quæ faciebat phrenitidem, mutata est in materiam facientem ipsam lethargiam, modo materia phrenitidis est bilis, lethargiæ uero pituita, & per dicta bilis non potest mutari in pituitam, quoniam pituita crassa est, modo si bilis fieri debet pitui-*

ta

ta in eamq; mutari, oportet quod incraßetur, sed quã to magis incrassatur bilis, tanto magis aduritur, & magis tendit ad naturam melancholiæ, pituita autem ultra hoc quòd est crassa, est etiam humidißima & uiscida, ergo relinquitur quòd phrenitis uera non potest mutari in ueram lethargiam. Moderni isti in hoc passu multa dicunt & imaginantur, quæ omnia falsißima sunt. Ego non recitabo eorum opiniones & falsas expositiones postea confutando eas sicut solẽt aliqui facere. sed dicam tantum id quod mihi suppetit pro Gal. & rei ueritate. Vos postea poteritis legere eos & uidebitis omnia eorum dicta solui, & falsitatem eorum apparere. Dicamus ergo quòd phrenitis potest esse & uera sicut dictum est, & non uera, siue non pura. quando est uera ac pura tunc fit à bile pura, & est inflammatio in membranis cerebri, et cum cerebrum sentiat mediantibus his membranis, ideo existente in ipsis talis inflammatio periculum est ne corrumpatur principium ipsius sensus & motus, quod est cerebrum, & ideo natura conatur multum quo ad fieri potest ad expulsionem huiusmodi materiæ, & ita magna pugna fit eo tempore, dum uidelicet inflammatio fit, sed nondum completa est, cum uero iam factum est apostema in tota earum substantia, tunc sicut dicebat Gal. in illo primo prorit. sect. secunda ad medium illius sect. neq; enim sunt distincti tex. sed illud cap. incipit Tremulæ, &c. (non memini uerba) fit quasi hectica ipsius cerebri, & dabat ibi accommodatißimum exemplum. dicebat enim quòd

est ac si lana iam infecta sit aliquo colore, ita quòd amplius non inficitur, & tunc pugna completur, & natura iam prosternitur, atq; decumbit. in primo casu tales homines, quoniam natura nititur expellere materiam, manent inquieti furuntq;, sed in secundo casu cum natura prostrata est, iam illi uidentur dormire, & quieti manent tanquam agni sine uerbis, non dormiunt tamen, sed secundum Gal. dicta habent potius quandam impotentiam ipsius uigiliæ & uidentur lethargici, cum tamen non sint, cum habeant accidentia illa, quæ contingunt lethargo, quam mutationem quidem de illa furiositate in hanc taciturnitatem appellat arabes medici, & nostri moderni eos insequentes subet, quoniam tunc manent ægri quieti, cum uocantur non respondent, & uidentur ut dixi dormire, moriunturq; isti homines, neq; alio modo potest uerti phrenesis in lethargiam ueram. si autem loquamur nos de phrenesi non pura non uera, & sic de lethargia ut phrenesis fiat ex materia pituitosa commista cum bile ipsa, tunc dicitur Abetsara ab Arabibus, & isti habent soporem & uigiliam simul, soporem quidem ratione ipsius pituitæ, Vigiliam autem ratione subtilis humoris uidelicet biliosi, de qua Auic. in prima tertij loquitur. si ergo consumitur ista materia tum pituita, tum bilis, tunc isti liberantur a tali morbo. si autem consumitur sola pituita, sicut par est eam consumi, & remaneat bilis, tunc remanet uigilia & destruitur sopor. estq; mutatio in ueram, puramq; phrenesim. si autem consumitur bilis & remanet

manet sola pituita, tunc mutatur phrenesis in lethargiam ueram. hoc autem facillime potest fieri, quoniã humor subtilis dissoluitur citius quàm ille humor pituitosus crassus & uiscosus, propter dominium frigiditatis in eo, quoniam tunc calor occupatur, & non potest resoluere illum, & hæc permutatio de phrenesi in lethargiam est permutatio unius ægritudinis in aliam ad malum, non autem ad bonum, quoniam multo peior est ista lethargia pura, quam phrenesis non pura. habetis ergo quomodo phrenesis pura non potest mutari in lethargiam puram, sed bene phrenitis non pura potest in ipsam uerti, habetis quinetiam consequenter, quomodo Auic. intelligatur in dicto suo per expositionem Hippoc. *&* Gal. *His modo sic stantibus, & declaratis inquit* Auic. *pauca quædam de contagio, de quo nos perfecte locuti sumus, & illis auditis intelligere ista facillimum erit. Quando dicit.* (Et est præterea ex ægritudinibus quædam quæ de uno ad alium transit, sicut, lepra scabies, & uariolæ, & febris pestilentialis, & apostemata putrida, &c.) *Contagiũ autem aut fit per medium aliquod, aut sine medio, sicut morbus gallicus, scabies, & huiusmodi. per medium autem dupliciter dicebamus fieri posse, aut per medium corporaliter alteratum. aut per spetiem solum transeuntem. de his omnibus dixisse satis puto. Auic. autem hoc in loco dicit quædam de contagio, quod fit per medium corporaliter alteratum, præcipue tamen de ipso mediante aere facto, & dicit illa*

quæ non sunt sua in hoc tractatu, sed transcripta sunt ab eo ab Arist. in septima particula problem. quem diximus quoq; diminute de eo agere cum illis qui ipsum interpretătur in illo loco, quoniam non cognouit alios modos contagij, sic & Auic. tractat de hoc solo modo, quoniam neq; ipse cognouit alium modum præter ipsum, sed id quod Arist. cognouit transcripsit, sed nos uolentes omnino dare uobis notitiam perfectam completamq;, numerauimus omnes modos quibus fieri potest contagium usq; ad unguem, ut nihil desit, sic quoq; de consensu, modus ergo iste de quo loquitur Auic. hic est quando medio contagium fit, quod medium corporaliter alteratum sit, ut puta quădo medium uaporibus putridis inficitur, et dat exemplum, quando dicit, (sicut lepra, scabies, & variolę, febris pestilens, & apostemata putrida). *Et hoc modo alteratio ipsius aeris fit, & addit* (præcipue cum domus stricta fuerit, & similiter cum uicinus fuerit sub uento,) *ratio est quoniam facilius a uento asportantur uapores putridi, ad alium uicinum. postea dat secundum modum contagij quòd quidem fit per medium alteratum corporaliter, sed per solum spiritum transeuntem, sicut ophthalmia cum quis oculum alterius inspiciat, dicebamus quoq; nos supra, quòd siquis sanus intueatur oculum alterius ophthalmici, corripitur quoq; ipse ophthalmia illa, quoniam spiritus animales transeunt ad oculum ipsius, & sic inficiunt illum; subdit quoq; tertium modum qui fit adhuc per spetiem ipsam transeuntem,*

tem, quando inquit ſicut congelatio cum imaginatur aliquis quòd acetoſum illud operetur. per congelationem intelligit ſtuporem dentium. Cum quis aſpiciat aliquem comedentem aliquid acetoſi tunc inſurgit imaginatio ad imaginandum, & imaginatur illud acetoſum, & iubet ſpiritibus ipſis motiuis, & ſic ſtupent dentes, quoniam uidetur quòd comedat acetoſum. præſciuerat enim quòd omne acetoſum eſt dentium ſtupefactiuum. poſtea dat aliud exemplum, cum inquit, (Et ſicut phthiſis, & Albaras.) *hoc autem exemplum erat potius ponendum in primo modo, ſed Auic. ſicut ſæpius facere ſolet, poſuit primo modum illum, poſtea interpoſuit quoſdam alios modos, deinde poſuit hoc exemplum cum debebat ponere illud in primo modo contagij dicto, non eſt amplius repetendum. Deinde loquitur de ægritudinibus, quæ quidem hæreditantur ex familia propria, quando dicit,* (Et ſunt ægritudinum quædam quæ in ſemine hæreditantur, ſicut albaras alba, & tinea naturalis, & podagra, phthiſis, & lepra) *Ratio autem cur hæreditentur ægritudines ex ſpermate, & quomodo fiat hoc, dico quòd eſt propterea quia ſcitis ſperma eſſe ſanguinem ultra concoctum, ideo cum illi qui patiuntur tales ægritudines, quales numerauit iam Auic. habeant generare filium aliquẽ, quoniam habet infectum ſanguinem, & cum ex eo fiat ſperma, relinquitur quòd ſperma ipſorum infectum relinquetur, quoniam materia infecta erat, & ideo filius genitus ex ſpermate illo infecto eadem ratione*

tione ipse quoq; infectus erit, ita quòd cum ad talem ætatem peruenerit fiet phthisicus aut leprosus, secundum infectionem ipsius spermatis, ex quo tanquã ex materia genitus est, modo phthisici habent sanguinem infectum illa lue, si leprosi, loquendo de illis qui habent lepram, quæ est uera elephantiasis, sic affecti podagra, doloreq; articulari, eodem modo dicimus de his qui patiuntur albaram albam. albaras autem duplex est, alia nigra, alia alba, alias uocant albaras morpheas, & dicunt morpheam albam, aliam nigram, albam Græci appellant ἄλφον, *nos nominamus utiliginem* πτύνκή *à Græcis dicta, illa albaras alba est ex materia pituitosa dura, quæ ut diximus hæreditari potest, quoniam illi patientes eam habent sanguinem infectum pituitosum .s. ideo inficitur quoque semen & consequenter fœtus, sic quoq; patientes lepram, & qui patiuntur ophiasim naturalem hoc est a principio, habent enim hanc ægritudinem, quoniam non habent pilos, sed habent multos plexus sicut angues cum plicantur, non autem sicut exponunt isti, quoniam habeant modo squammarum sicut sunt illæ anguium, nunc enim loquor de anguibus nostris qui uidentur anguillæ, habent enim multos plexus, sed non squammas, non autem loquor de illis fabulosis. & hæc est ægritudo proueniens propter coitum, quoniam scitis quòd in coitu ponitur tota imaginatio, & in ipso spiritus a toto decidunt, non dico ego quòd sanguis decidat, quoniam est fabula illa, & quædam somniatio, ideo cum imaginatio ibi ponatur, & ipsi spi*

ritus

ritus decidant in semen, cuius signum est quòd oculi coeuntium circumuoluuntur, quoniam spiritus deficiunt, & eo modo inficitur semen, & ita hæreditatur ophiasis à fœtu. Deinde inquit Auic. *illud quod nos declarauimus supra, quando dicit,* (Et sunt ægritudinum quædam quæ sunt generales, quæ sunt alicui genti propriæ, aut in aliqua regione morantibus, aut in eis multum abundant,) *Nos dicebamus* ꝙ *ægritudinum aliæ sunt, quæ per totum circũuagantur, aliæ sunt quæ dicuntur epidimiales, aliæ quæ accidunt omni populo determinate in quodam tempore, sicut erant* Romæ *hemitritei illi tempore ipsius Gal. postea inquit,* (Debes autem scire membrorum debilitas sequitur malitiam complexionis, & solutionem fabricationis,) *hoc manifestum est per se, nolo me extendere in hoc, quoniam non habeo tempus ut die* Lunæ *poßim incipere tractatum de causis, habetis modo cõpletam ægritudinum doctrinam, & aliarum duarum expositionum. sunt enim fundamenta totius artis nostræ, quantæq; sint utilitatis sentietis, sed nunc non uidetis utilitatem, credite mihi quòd uidebitis me non frustra aggressum esse hanc secundam* Fen, *legite modo quoscunque authores de istis dispositionibus, quòd eas intelligetis.*

Lectio XL.

Doctrina secunda, Fen secundæ.

Caput primum est uerbum uniuersale de causis.

Cavsae dispositionum corporis quarum iam pręmisimus narrationem scilicet sanitatis, &c.) *Proponebatur, si bene memoria tenetis in principio huius secundæ Fen, tractandum de illis tribus rebus, uidelicet de dispositionibus, de causis, de symptomatibus ultimo, quoniam iam credo tractatum esse sufficienter de illis tribus dispositionibus sanitate, ægritudine, & neutralitate, si danda est & concedenda, quod erat primum propositum exequendum in hac secunda Fen, modo in præsentia Auic. uult aggredi secundum propositum de ipsis causis, tum morborum, tum accidentium, quorum tractatus artificiosissimus est, & nobilior illo tractatu de dispositionibus expedito, quoniam scitis antea quoque quòd sciētia propter quid est nobilior, & perfectior scientia quia est, supposita ergo illa definitione data ab Auic. in principio lectionū nostrarum, quòd causa est illa, quæ primo est, ex qua etiam prouenit læsio in operationibus principaliter, quoniam facit morbum qui est eius effectus, diuidendæ sunt causæ eo modo quo diuisæ sunt dispositiones. quoniam dispositionum aliæ sunt naturales, aliæ præter naturam,*

aliæ

aliæ neutræ, si dantur, sic dicemus quòd causarum aliæ sunt naturales, aliæ præter naturam, aliæ neutræ. Supposita hac diuisione secundum Gal. *dicamus etiam quòd causarum aliæ sunt salubres, aliæ insalubres, aliæ neutræ, hoc modo enim diuidebat ipse in lib. artis paruæ, salubres quæ possunt facere sanitatem, insalubres quæ ægritudinem, neutræ quæ neutram dispositionem, sed antequam accedamus ad tex. declarandum, sunt primo quædam præmittenda, & declaranda, quæ tanquam fundamenta supponantur, sicut solemus semper facere.* Q*uoniam ergo definiuimus causam secundum* Auic. *definiamus modo etiam secundum* Gal. *quoniam uidebitis maiorem fructum, & utilitatem ex ea excerpi, quàm ab illa* Auicennæ. Gal. *ergo in primo lib. de causis symptomatum, cap. 2. definiebat hoc modo ipsam causam. Causa est quæ aliquid confert ad generationem ipsius rei. hæc est* Gal. *definitio in qua quidem definitione, primo ponit quid est illa, addit.n. quæ ex propria natura sui cõfert. dicit enim illud ex sui propria natura, ad hoc autem quòd causa ex propria natura conferat, requiruntur duo, primo quidem quòd aliquid conducat primo, non autem secundo.i. non autem aliquo medio, ita quòd illa causa non possit illum effectum producere, nisi mediante aliquo.* Amplius *quòd agat per se, tunc enim causa agens primo per se aget ex propria natura.i. habebit propriam naturam ad agendũ hunc effectum, estq́; de eius intrinseca ratione talis effectus productio, sicut exempli gratia dicimus ignẽ ex propria*

pria natura hoc agere, quòd calefacit, non autem calefacit per accidens sed per se, quoniam ex intrinseca ratione non per aliquid aliud, sic quoq; dicimus in re nostra proposita, quòd causa cum agit ad generationem alicuius rei per se, non autem per accidens, quoniam non per aliud medium sed immediate primo non secundo, tunc causa agit ex propria natura, quoniam nata est ad agendum talem effectum, postea dicit Gal. in definitione, confert aliquid; ad differentiã aliquorum quæ & si agant primo per se, tamen non conferunt aliquid ad generationem ipsius rei, exempli causa dicimus quòd locus primo per seq; agit ad generationem ipsius misti & consequenter ex propria natura, tamen non est dicendum quòd sit causa, quoniam nihil confert ad generationem illius, quæcũque ergo habebunt illas conditiones erunt causæ q primo per se agant & ex propria natura conferant aliquid ad generationem misti ipsius; hæc est completa definitio causæ secundum Gal. quæ tradit longe maiorem ac subtiliorem scientiam quàm illa Auic. quoniam illa erat potius impropria definitio & uniuersalis, ista uero est propria & particularis, nulli alij cõueniens præterquam ipsi causæ. Potestis modo comparare utrasq; alteri, & uidebitis nunquid sit uerum quod dico uobis. stante atq; supposita hac definitione, tunc elegans ingenium ex ea discurrens inueniet quot sunt differentiæ causarum, nam ex definitione alicuius rei definitæ statim apparent omnes proprietates illius, alioquin non foret bona definitio, illa enim

est

est principium & conclusio demonstrationis siue finis secundum quod Arist. docuit quoq; uos in secundo post. nam si causa illa est, quæ ex propria natura aliquid confert ad generationem effectus, ut optime definitum est, quot ergo erunt conferentia aliquid ex propria natura ad generationem, tot erunt causæ, si modo uerum est illud quòd definitio conuertitur cum suo definito, sed nihil potest generari nisi ab aliquo generante, in generatione ergo requiritur ipsum efficiens, quod per se primo & ex propria natura conferat aliquid ad generationem ipsam, & hoc est una ex causis, sed quoniam quod fit est aliquid, oportet ipsum esse generatum ex nihilo aut ex aliquo, sed illud quod huic generationi subest nihil esse nō potest, quoniam dicunt philosophi quòd ex nihilo nihil fit. quare oportet esse aliquid, ex aliquo generatio fit ipsius rei quod uocabitur materia una, & ipsa ex causis, sed efficiens cum efficit, efficit propter aliquem finem, si modo uerum est quòd non agit nisi quòd intendit agere. finis ergo erit una ex causis, sed sciendum quòd finis duplex est, & dupliciter considerari potest, uno modo finis extrinsecus, qui quidem & si primo per seq; agat ad generationem ipsius rei, tamen nihil confert ad ipsam, & hic finis non est de causis istis, quoniam non est in essentiam ipsius rei requisitum necessario, sed est de causis sine quibus non potest generatio esse. si autem consideretur alio modo, hoc est ut est intrinsecus in ipsa re, tunc primo per se agit, & necessarius est ad generationem ipsam, ad eamq; aliquid

quid

quid confert, & ita erit una ex causis. quare hucusque erunt quatuor causæ, efficiens, materia, finis extrinsecus, & finis intrinsecus, qui quidem est ipsa forma. Ideo melius dicemus relinquendo finem extrinsecum, quod sunt quatuor causæ hoc modo, efficiens, materia, forma, & finis intrinsecus, quæ omnes causæ sunt, quando primo per se conferunt aliquid ad generationem rei, si secundum Arist. *uolumus dicere, distinguendo scilicet finem ab ipsa forma, & si secundum* Plat. *sit prætermittenda, sed si comparemus uiã* Peripateticorum *ad uiam* Plat. *dicerem quòd longe melius senserunt* Platonici *quàm* Peripatetici *cum* Aristot. Plato *enim quem insecutus est in hoc casu* Gal. *uoluit finem non differre à forma, sed illas duas causas confundit loquendo de fine intrinseco; neq; enim uidetur* Proclus *in* Timæo *separasse istas, ideo omnes* Platonici *confundunt illas. bene uerum est quod addunt postea præter* Peripateticos *instrumentalem causam, & ita erunt secundũ ipsos quoq; 4 causæ, nã efficiens .i. artifex non agit nisi aliquo mediãte instrumẽto neq; enim potest agere aliquid nisi habeat organum aliquod, & si non habet illud, utitur tunc manib. quæ sunt organum organorum secundum* Gal. *dicta in secundo lib. de usu partium, sic quoq; anima quæ est causa mouens corpus utitur instrumento .i. spiritu & calore, qui idem sunt, sicut aliàs ostendimus ex professo, qui quidem spiritus est dicendus causa, quoniam ex propria natura aliquid confert ad generationem ipsius rei, & ad motum ipsum, propter id enim*

factum

factum est, & hoc habet in sui essentia, ut deseruiat ipsi animæ mouenti conferendo ad passum ipsum aliquid. sed Peripatetici prætermiserunt illam causam tanquam superfluentem, reducebant tamen illam inter agentes causas, nullam enim differentiam inter agentem & instrumentalem. Quare dicam illud quod sentio nulli addictus, sed pro ueritate pugnando, quòd Platonici longe melius sentiunt quàm Arist. & Peripatetici, quoniam si esset uerum illud quod dicunt Peripatetici, tunc sequeretur quòd instrumentum esset semper agens, tamen hoc falsum est, quoniã sunt aliqua instrumenta, quæ tamen agentes causæ. Amplius sequeretur ex dictis quòd si aliquis interfecerit hominem gladio, tunc gladius est instrumentum, ergo agens per se, ergo puniendus est gladius, quoniam semper punitur agens, & sic puniendus est gladius & suspendendus, ponendus in carcerem, torquendusq́ʒ, nõ autem homo, quod falsum iudicant omnes, & ita discurrite quòd non inuenietis causam agentem aliquã, si non sit instrumentalis, & omne instrumentum erit uera causa agens, cum tamen instrumentum non agat nisi inquantum ponitur ipsi modus agendi ab ipso artifice, artifex enim est ille qui dirigit instrumentũ ad opus agendum. serra enim secat quidem lignum, sed si debet secare, oportet quòd ei ponatur modus secandi ab agente, alioquin non secaret, & secundũ modũ diuersum fiunt uariæ operationes. sic dicamus in operibus naturæ, nam natura ipsa concoctionem intendit. istam autem facere non potest sine aliquo instru-

mento, & ideo est tanquam instrumentum calor ipse & aliud tamen. Quare apud Plat. dicemus quòd causæ erunt quatuor contemnendo formam, nam primo est efficiens, postea materia, finis, & instrumentum, de quibus Gal. tractat in sexto de usu partium cap. 12. & in lib. de causis procatar. nullibi tamen sequens Plat. connumerat formam, quoniam quando dicimus finem intrinsecum, includitur in eo forma, & omnes causæ numeratæ secundum Gal. habent omnes conditiones requisitas ad hoc quòd sint causæ per se, primo ex propria natura aliquid conferunt ad generationem rei. Quare optime rectißimeq; dicuntur causæ. Quapropter inde colligitur, sicut dictum est, quòd locus non est proprie causa dicta, quoniam nihil confert ad generationem rei. bene dicetur causa per accidens, quæ causa non est propinqua ipsi effectui. tamen sine eo non potest generari res, quoniam nihil generatur quod non sit in loco. Ex his sequitur causas antecedentes sic dictas ab istis medicis non esse causas nisi per accidens, quoniam inter ipsas & effectum intercedit alia media causa, sicut exempli gratia in humano corpore plethoria est causa antecedẽs non per se, sed per accidens causa est ipsius ægritudinis, quoniam inter ipsam plethoriam & ægritudinẽ intercedit alia causa, neq; enim fiet ægritudo, nisi aduениat aliqua alia causa media; bene disponit ad ipsam ut statim superueniente alia sit ægritudo, ideo plethora siue cacochymia referendo ipsam ad morbum non est causa eius per se, sed per accidens, quoniam accidit

dit quòd plethoria disponit corpus ad ægritudinem, tamen non inducit eam nisi per aliam causam, secundo sequitur ex dictis quòd causa coniuncta, & causa proprie dicta, de qua hactenus locuti sumus, sunt idē, sub duobus tamen nominibus, quæ nomina sunt synonyma, causa enim cōiuncta ex propria natura confert aliquid ad generationem ipsius rei, ergo est causa proprie dicta & ita inter se conuertentur, illa autem est causa coniuncta inter quam & effectum nihil intercedit, sed effectui immediate adhæret, tertio sequitur quòd non est differentia an illa causa cōiuncta sit extrinseca, an intrinseca, dum modo adhæreat ipsi effectui. nam si aer feruens inducat in aliquod corpus febrem ephemeram, tunc aer est causa coniuncta ipsius ephemeræ, quoniam inter ipsum & febrem non aliquid, sed ei immediate adhæret, sic etiam intrinseca est causa coniuncta, si accipiamus febrem putridā, huius causa est ipsa putredo coniuncta, quoniam inter putredinem & febrem nihil intercedit secundū Auic. nam nunc pro certo non de reliquo, quoniam inferius uidebimus quid hoc tanquam uerum ei sit concedendum, de ratione ergo causæ coniunctæ est quòd inter ipsam & suum effectum nihil mediet, siue modo sit extrinseca, siue intrinseca, nihil refert. Sequitur quarto quòd causæ inter quas aliquid accedit non sunt causæ per se, sed per accidens. Est tamen notandū quòd tripliciter per accidens sumi potest hic primo quidē quando est aliqua causa, quæ apta nata est ad agendum aliquod opus, sed illud non agit neq; agere potest

nisi aliquo medio,& ideo non dicitur causa per se sed per accidens, sicut dicimus plethoriam esse causam ipsius ægritudinis per accidens, quoniam est quidem apta ad faciendum ægritudinem, sed tamen nō potest eam facere nisi aliquo medio,& ideo non dicitur causa per se, secundo dicitur per accidens illa causa, quæ primo per seq; facit ad generationem, sed tamen nihil confert ad generationem ipsius rei, sicut dictū est de loco, nam locus quidem necessarius est, quoniā sine eo non potest generari, cum oporteat omne corpus in loco esse, tamen nihil confert ad generationem ipsius rei, & istæ causæ dicuntur sine quibus non per accidens quidem sunt, sed tamen cum hoc necessariæ, tertio dicitur causa per accidēs alicuius effectus quādo non facit effectum illum quem innata erat facere, sed facit alium contrarium, quem non debebat facere, nam aqua frigida innata est frigefacere, calefacta autem calefacere, tamen illa frigida si uiro calido in æstate tribuatur, magis auget calorem ipsum, quoniā cōstipat poros & ita retrocedit calor ad intimas partes, ibiq; roboratur & augetur, tamen hoc fit per accidens, non autem per se, quoniam frigida aqua nata est non calefacere, sed frigefacere. sic aqua calida aliquando frigefacit, tamen apta nata est calefacere. & his modis dici possunt causæ per accidens. His sic fundatis, debetis modo scire quòd causæ huiusmodi sunt aliter considerandæ in naturalibus, aliter uero in his quæ sunt præter naturam, aliter ratione medici, aliter uero ratione subiecti corporis.

Quantum

Quantum ad primum dico quòd causæ istæ possunt considerari ratione rerum naturalium, & hoc modo necessariæ sunt omnes istæ simul, materia, finis, efficiens, & instrumentum, ut in sanitate dicamus; sanitas enim res naturalis est, in ea enim requiritur primo materia quod est corpus subiectum, in quo est sanitas, forma ipsius sanitatis quæ est finis, & efficiens sanitatem cum suo instrumento, sed in rebus præter naturam non omnes sunt necessariæ, bene in illis est efficiens semper, alioqui non fierent, sic habent materiam in qua sustentetur, oportet enim eis aliquid subijci; ut exempli gratia corpus humanum, sed in his non requiritur finis, quoniã omne quod est præter naturam, finem non habet, quoniam finis habet rationem boni. sed ista præter naturam sunt mala, quomodo ergo in ipsis finis requiretur? bene requiritur instrumentum quod deseruiat ipsi efficienti. Amplius possunt considerari istæ causæ respectu ipsius medici, & hoc modo requiruntur omnes simul, nam primo medicus. Indiget agente .i. seipso, unde principium capit ipse motus, requiritur etiam subiectum in quod inducat sanitatem, & instrumentum quo inducat talem sanitatem, alioqui frustra medicus est. dicebat enim Gal. si memini in secundo lib. de cri si, quòd ars nostra frustra est, si instrumentum deficiat. Et cum sit agens naturale agit propter aliquem finem, sicq; requiritur finis, quæ est ipsius sanitatis forma, sed in subiecto considerantur etiam alio modo quã respectu medici, et omnes requiruntur. Est

modo uidenda utilitas cognitionis causarum, quantum scilicet conferat scire distinctam scientiam causarum.

LECTIO XLI.

CIRCA *materiam & considerationem de ipsis causis uidimus quid sit causa secundum Gal. & eius definitionem dedimus, ex qua multo maiorem succum attraxistis meo iuditio, quàm ex illa prima Auic. uidimus etiam quotuplex causa secundum peripateticos & secundum plat. defendimus partem plat. Vidimus quid sit causa per se, quid per accidens, & quotuplex dicitur per accidens, diximusq; quòd causa coniuncta & proprie dicta, idem omnino sunt, nunc modo restat uidere quanta sit utilitas, ut medici cognoscāt causas: tanta enim est utilitas ut quid magis? neque enim possunt recte curari morbi, nisi causæ facientes morbum cognoscantur, si modo uerum est illud, quod dicit Gal. quòd morbus in curatione præsupponit cognitionem causæ ipsius. Dicamus ergo quòd medici antiqui omnes & moderni considerarunt causas dupliciter, uno modo dicebant illas esse causas, quæ conferunt aliquid ad generationem ipsius rei, primo per se, sicut nos in hesterna lectione declarauimus, sed adhuc diuidebant has in duas, in synecticas, quas aliqui uocant continentes, alij uero ex his modernis infeliciter, & falsè coniunctas appellarunt, & inconseruantes, siue immutantes, sed hic dicet quis fortasse non te intelligo. declaro me & dico quòd causæ*

con-

tentiuæ siue continentes quomodocunq; dicatis, dummodo in re conueniamus, sunt illæ apud antiquos, quæ sunt intrinsecæ, & in ipsius rei essentia, quoniā continent rem, uel quia continentur in re, ut in hominis essentia continetur corpus & anima, istæ sunt causæ contentiuæ ipsius rei, quæ est homo, conseruantes uero sunt illæ causæ, quæ non sunt in essentia ipsius rei, sed conseruant rem a corruptione & iuuant ad generationem; uel immutant ad corruptionem, & istæ uel sunt extrinsecæ, uel intrinsecæ; si sunt extrinsecæ dicūtur à Græcis προκατακτικαὶ, ab istis modernis primitiuæ, intrinsecas autem nomināt illas Græci προηγουμέναι isti uocant antecedentes cum ipso Auic. & bene notetis quantum ad hoc, quoniam discetis quantum differat conceptus ipsius Auic. & horum modernorum ab illo conceptu optimo græcorum antiquorum. Sed uideamus an in aliquibus antiquis authoribus inueniamus ista dicta, ne uideantur esse imaginaria noua. dico ergo quòd Gal. in primo lib. de differentijs pulsuum in principio ferè, dat expresse causas contentiuas ipsius pulsus, quæ sunt in essentia pulsus, & sine quibus pulsus non est pulsus, & dicebat quòd sunt tres causæ illæ contentiuæ pulsus: prima quidem est necessitas ipsa propter refrigerationem ipsius caloris naturalis, secunda autem est ipsa facultas motrix, tertia est ipsum instrumentum, id est arteria: & si remoueatur unum istorum, pulsus remouetur. remoto enim instrumento manentibus alijs causis duabus tollitur pulsus, sic ablata ne-

cessitate euentandi caloris innati manente facultate & instrumento aufertur pulsus, sic remota facultate remanentibus alijs, & ideo istæ sunt causæ necessarie in essentia pulsus existentes, & ipsum pulsum constituentes. & hoc est exemplum Gal. *in rebus naturalibus*, Exemplum *autem in rebus non naturalibus habetis ab eodem* Gal. *in septima partic. aphor. 30. aphor. si bene memini, super quo aphor.* Gal. *in comm. dicebat quando inquit* Hippocr. Q*uibuscunq; excretiones spumosæ in diarrhœa, his a capite flegma descendit, quod causa contentiua excrementi spumosi thoracis est spiritus existens in illa crassa materia & uiscida, remoto enim spiritu aufertur spuma & flatus illæ, sic etiam materia crassa est contentiua causæ; quoniam ambæ sunt in essentia excrementi spumosi; eamq; constituunt, sed antecedentes causæ sunt plures: est enim motus, nam quoniam agitatur materia illa crassa uiscida, ideo eam subingreditur ipse spiritus, & fit spuma; calor quoq; causat spumam, sicut patet in rebus ebullientibus, quoniam spiritus generantur cum calor semper rarefaciat, sicq; spiritus cum materia crassa facit spumam, calor ergo & motus sunt causæ* πϱοηγουμέναι *ipsius excrementi spumosi, quoniam generant causam contentiuam, quæ est ipse spiritus. & hoc est exemplũ in rebus non naturalibus, sed in rebus præter naturam dicamus quod in ægritudinibus sunt causæ contẽtiuæ, ut diximus superius ubi loquebamur de morbis. accipiamus autem febrem, febris non est calor, & si*

dica-

dicatur quòd sit calor, nam ut plurimum medici nominant ægritudines nomine causæ contentiuæ, sed calor est causa contentiua ipsius febris, sed febris semper est dispositio in prima spetie qualitatis, dispositio dico facultatis, sed calor quoniam continetur in essentia ipsius febris, eamq; constituit, ideo dicitur cā contentiua tamen propter licentiam medici dicūt febrem esse calorem, cum calor sit ille qui facit febrem, febris autem sit dispositio, & hæc est ipsius formalis ratio, sed remoto calore febris remouetur, (loquimur nunc de calore febrili) posito autem ipso, statim constituit essentia ipsius febris, hoc enim in se habet causa contentiua ut ipsa remotæ, effectus remoueatur, posita quoq; ponatur: Sed cum data sint exempla in morbis complexionis, demus modo quoq; exemplum in morbis compositionis. Dico ergo quòd in cataracta dicta sic à uulgaribus, ab antiquis medicis suffusio, aqua ipsa obturat foramen illud uueæ oculi, quæ aqua est crassa uiscida, quæ quidem est causa contentiua ipsius suffusionis, est enim in ipsius essentia, remota autem ipsa remouetur quoq; suffusio, posita ponitur. quod manifestum est si uolumus uidere illos qui detrahunt cataractas, quoniam quam primum perforarunt, & aqua exierit, statim homines patientes uident, si autem iterum colligatur materia, iterum quoque suffusio fit. Sed quid dicemus in ægritudinibus solutionis continui? dico quòd in his quoq; exemplum est tale, cum aliquod uulnus est in membro tum figura uulneris est causa contentiua ipsius uulneris qua

posita

posita ponitur, remota remouetur quoq; uulnus; nã figura est in essentia ipsius uulneris eamq; constituit, & ita discurratis in his tribus generibus morborum & inuenietis ubiq; si recte consideraueritis, causam contentiuam. Conseruantes autem siue immutantes causæ sunt & agentes & instrumentales. exemplum dabat quoq; ille idem Gal. de pulsationibus, ut in hoc quoq; uos permoueamus, nam contentiuæ causæ pulsus sunt illæ tres dictæ, necessitas, facultas, & instrumentum, sed conseruantes sunt in duplici differentia, aliæ enim sunt corporeæ, aliæ uero extrinsecæ, corporeæ quidem sunt humores crassi uitrei, qui immutant pulsum, si autem sint boni humores tunc conseruant illum, extrinsecæ autem sunt sicut aer, qui quidem sua frigiditate facit quòd generentur humores illi propter quos pulsus immutetur, sunt ergo hæ causæ ordine quodam se consequentes. primo enim sunt contentiuæ, postea antecedentes, corporeæ, & extrinsecæ ultimo, sic potestis uos quoq; dicere de spuma, quoniam ipsius causa contentiua est spiritus, antecedens autem corporea est multus calor, qui quidẽ à calore extrinseco intenditur, qui est causa antecedens extrinseca. eodem modo dicamus de ipsa febre putrida, quoniam antecedentes intrinsecæ sunt ipsi humores putridi & uapores fuliginosi, putridi, petẽtes cor. sed extrinsecæ sunt sicut aer frigidus, nã aer frigiditate sua obstruit & constipat poros ipsius cutis, & cum humores non possint euentari putrescũt, sitq; febris putrida, ex quibus sequitur quòd morbi ip

si

si tam ab antiquis quàm à modernis medicis appellantur nomine causæ cõtentiuæ (ut plurimũ)unde Hipp. *appellauit febrem calorem esse, cum tamen calor sicut diximus sit causa contentiua ipsius febris, sed qui est in ipsius essentia,ideo uidetur ipse esse morbus, sic etiam in suffusione, aliqui enim appellant eam aquam in oculo quæ tamen aqua est causa contentiua ipsius suffusionis, morbus tamen uerus est in uia, quoniam obstructio est illius meatus. de hoc habebimus in hoc cap. ab Auic. Modo hic uidendum est quòd causa contentiua & causa coniuncta non sunt idem, immo plurimum distant, nam illa est causa coniuncta, quæ immediate ipsi rei adhæret affectæ, & inter eam & effectum nihil intercedit,causa autem contentiua est illa quæ intrinseca est, & est in essentia ipsius rei eãq; constituit, qua posita ponitur, remota remouetur effectus, coniuncta autem ut dixi immediate adhæret effectui, sed non est in ipsius essentia. In febre enim uapores fuliginosi & putridi humores sunt causa coniuncta, contentiua uero est ipse calor, ex hoc tertiò sequitur quòd coniuncta causa est in numero antecedentium causarum, quoniam etiam ipsa antecedit essentiam morbi, non autem est in eius essentia, nam febrem præcedunt putredo, humores putridi,& uapores fuliginosi ascendentes ad cor,est obstructio, est etiam infrigidatio, istæ enim non ponunt statim morbum.i. febrem, sed istarum illæ primæ sunt remotæ à morbo, istæ uero ultimæ ut putridi uapores & humores faciunt immediate calorem putredinalem.qui qui*

dem

dem postea est causa contentiua ipsius febris, qua posita ponitur febris, remota remouetur, & hæc antecedens calorem & ipsam febrem, quoniam non est in eius essentia sed antecedit ipsum tempore, sola enim contentiua continetur in re, ideo coniuncta est causa antecedens. Ex quo apparet quomodo Auic. & *moderni nostri errarunt in nomine primo ipsius causæ. secundo cum ignorantia ipsius nominis, & malæ impositionis quantum errent in re ipsa quam omnino confundunt, nam nominant isti contentiuam illam, inter quam & effectum nihil intercedit coniunctā, quæ sit in essentia rei, eamq; constituat, & remoueat ablata; sed (ut dicebamus prius) medici antiqui considerant istas causas quantum ad illud quod est factum, ut curent ipsos morbos, nam istæ causæ uel conseruant sanitatem, uel immutant ad ipsam, uel ad ægritudinem.* Et *ideo conferunt ad finem medici, uel ad conseruandam sanitatem, uel remouendam ægritudinem. prout res exigit non enim considerant postea contentiuam causam quantum ad hanc considerationem. Quare sunt hoc modo causæ aliæ sunt contentiuæ, aliæ* προηγουμέναι, *quarum aliæ sunt extrinsecæ, aliæ sunt intrinsecæ, extrinsecas appellant procatarcticas primitiuas, intrinsecas autem corporeas seu corporales, quomodocunque dicatis nominetis modo eam etiam scindaphsin, modo conueniamus in re, sicut dicebat Gal. de nominibus non sit cura, nisi gratia intelligendi rem ipsam, sed quomodocunque sit, semper causæ istæ sunt efficientes, sicut quoque*

optime

optime dicebamus in expositione illius uerbi Auic. in principio huius secundæ Fen, quando dicebat causa in lib. medicorum est id quod primo est, &c. sed harum causarum efficiētium aliæ sunt extrinsecæ, sicut sunt sex illæ aer, somnus & uigilia. cibus & potus, &c. Aliæ sunt intrinsecæ, sicut sunt humores ipsi qui si sint boni conseruant corpus ipsum in sanitate, si autem sint mali immutant ad ægritudinem, aut est qualitas aliqua alteratiua, non enim refert an sit corporea, an incorporea, dummodo habeamus hoc quod sunt in corpore, sed adhuc diuiduntur antecedentes causæ in duas partes, quoniam aliæ sunt quæ efficiūt aliquo medio ipsum effectum, & istæ dicuntur causæ per accidens, ut dicebamus quoque superius, aliæ sunt quæ sine aliquo penitus medio efficiunt, & istæ sunt causæ per se, dicunturq; causæ coniunctæ, neq; refert, an sint istæ causæ corporeæ, an extrinsecæ, quoniam potest esse quoque causa coniuncta extrinseca, dummodo agat immediate, non enim est de eius essentia, quòd sit in corpore, sicut est de eius essentia, & intrinseca ratione quòd inter ipsum & affectum nihil intercedat, quoniam alioqui non esset causa coniuncta, nam sol feruentissimus faciens febrem, eamq; imprimens in corpore alicuius mediante suo calore, calor est causa coniuncta ipsius febris, quoniam inter ipsum & febrem nihil medium est, sed ei immediate adhæret, non autem sic, ut dicit Auic. in præsenti cap. non intelligens quid sit causa coniuncta. Ego autem dico, quòd coniuncta causa potest esse &

extrinseca

extrinseca & intrinseca, uidebitis melius hoc inferius, nulli sum ego addictus; nam neque sunt Galenista, neque Auicennista, sed sum sequens ueritatē, nam ubi mihi non placet, & uideo stare non posse uiam Gal. reprehendo & reprobo, sicut potuistis uidere superius, sic de Aui. etiā facio, sed in quo uterq; optime sensit sequor sententiam utriusq;, nullius addictus iurare in uerba magistri. Oportebit legere hoc caput destructiue, sicut deberemus legere constructiue, quoniam multa falsa dicit, nos ueritatem sequemur quantum poterimus.

LECTIO XLII.

VIDEBAMVS in hesterna lectione quomodo dicendæ sunt causæ et diuidendæ secundum opinionem antiquißimorum medicorum, & primam illam diuisionem faciebamus, quòd causarum aliæ sunt contentiuæ, aliæ conseruantes. uidebamusq; quomodo differunt causæ contentiuæ a coniunctis, & quid sint utræq; contra pertinaciam istorum modernorum cū Auic. qui quantum errarit ostendemus in expositione literæ, quæ quidem cognitio causarum quantum conferat uidebitis inferius magis, supererat modo uidere quod iam polliciti sumus, uidelicet quæ sit utilitas ista excerpta ex cognitione huiusmodi causarum. multum enim refert scire causas & non scire, qui nō habuerit cognitionem causarum nunquam poterit recte curare ipsum morbum. primo ergo utilis est cognitio causarum ad indicationes sumptas pro curatione

ne, nam proponitur ipsi medico morbus qui est præter naturam ut ipsum remoueat, quoniam operatio læsa est uel omnes operationes simul sunt læsæ, ideo primum quòd indicat de sui remotione sunt operationes læsæ, postea sumitur alia indicatio longe difficilior, unde propterea dicebat Gal. quòd uulgares quoque singuli cognoscunt operationem illam læsam tollendam esse, ideo an sit tollendus morbus omnes sciũt quòd sic, sed quare remoueri debeat non sciunt nisi peritissimi medicorum, sicut quoq; dicebat Gal. in illo tertio de locis affectis, ubi dicebat quoq; quòd cognitio illa ab actione sumpta, quòd remoueri debeat est cognitio etiam asini, porci, & equi, quoniam cum supercalefacti sunt sensationem quandam habent tristẽ circa cutim, ideo sentientis hoc cum uiderint amnem tanquam quod cognoscunt ipsi quoq; ubi nimia est caliditas refrigerandum esse, sed indicatio sumpta ab ipso morbo indiget summo artificio summoq; ingenio, quoniam sumitur à causa ipsius læsæ operationis, scitis enim morbum esse causam ipsius læsæ operationis, si ergo remoueri debet huiusmodi læsio operationum, oportet indicationem sumptam de sua causa, hoc est de ipso morbo, exequendam esse, quæ summe artificiosa est, sed iste morbus uel habet causam uel non habet, si habet causam tunc indicatio sumenda est à causa, si est coniuncta ab ipsa, sed quoniam causa coniuncta ab alijs dependet præcedentibus, ideo deinceps sumitur indicatio ab illis, ut ab antecedentibus uel corporeis uel incorporeis scilicet extrinsecis, sicq; oportet

tet cognoſcere omnes illas cauſas alioqui quomodo ſumemus indicationes ab ipſis ignotis neq; minus poterit curari morbus. Videte ergo quantum conferat cognitio harum cauſarum, cum non poßint ſumi indicationes de curando morbo niſi cognoſcantur. proponamus ergo ut res clarior fiat de febre, & dicamus quòd febris eſt morbus, ergo remouendus eſt, prima enim indicatio poſt læſionem operationum eſt indicatio à morbo ſecundum Gal. poſtea ſumitur indicatio à cauſa contentiua ipſius.i. à calore igneo, qui quidẽ indicat de ſui remotione, qui cum cauſetur oportet nos uidere aliam cauſam uidelicet coniunctam. cauſa ergo coniuncta ſunt uapores ipſi fuliginoſi aſcendentes ad cor, poſtea ſumitur indicatio à cauſis ſingulis antecedentibus corporeis uſq; ad extrinſecas, ut ab humoribus putridis à putredine, poſtea quoniam putredo fit ab obſtructione meatuum cutis, ſumitur quoque indicatio ab obſtructione, ſed quoniam obſtructio fit ex infrigidatione, ideo ſumitur indicatio ab ipſa quoq; infrigidatione, & ita niſi ſumantur indicationes ab omnibus cauſis, nunquam poterit tolli morbus neq; ultimæ cauſæ niſi tollãtur quoq; primæ, quæ ſunt per accidens, quoniam inter ipſas et effectum aliquid intercedit, ſi ergo remouere debemus febrem, oportet remouere calorem igneum, poſtea uapores fuliginoſos, humores putridos, obſtructionem pororum cutis, poſtremo infrigidationẽ, primo ergo oportebit remouere infrigidationem, poſtea obſtructionem, ſicq; deinceps donec remoueatur febris. Quare ergo ad

ſumendas

sumendas indicationes pro curatione utilissima est immo necessaria cognitio causarum. postea quòd utilis sit ad curationem ipsorum morborum ostendendum est, nam quomodo cognoscetis curationem morbi, nisi sciatis primo quot sint causæ? curatio autem quomodo fiat credo quòd sciatis, quoniam contraria contrarijs curantur. per contraria ergo tollendus est morbus tollendæq; causæ, quoniam nisi illæ auferantur, non auferetur morbus. dicamus adhuc de exẽplo proposito, quomodo scietis uos curare ipsam febrem nisi cognoscatis suas causas, nam contraria debent ei applicari, sed quæ contraria erunt ista nisi sciamus talem & talem causam esse? & ideo cum febris habeat in sui essentia calorem igneum, nisi cognouerimus calorem, non sciemus quæ sint contraria exhibenda. cũ autem hoc sciuerimus, tunc nos poterimus dicere q, cum iste calor sit, oportet per refrigerantia remouere ipsum, tuncq; sciendo omnia refrigerantia nos curamus per cõuenientiora, & si debent remoueri causæ antecedentes, oportet quòd cognoscantur, quoniam aliequi non cognoscemus nos sua contraria per quæ remoueri possint, non enim poterit remoueri calor ille febrilis neq; ipsa febris, nisi prius remoueantur causæ antecedentes omnes, postea deueniendum est ad remouendum contentiuam causam, qua remota febris quoq; cessabit, sed ut dixi, oportet per contraria remoueri: non cognoscuntur autem ista contraria, nisi ipsæ causæ quoq; cognoscantur. Quare neq; indicationes unde sumantur sciemus, neq; cura-

re ipsos morbos, neque remouere causas, nisi causas quoq; cognoscamus, & causas quidem omnes. quantum ergo referat scire considerationem causarum, dictum est. nunc ueniamus ad propositum nostrum & dicamus quod medici considerant causas ipsas secundum intentionem quam habemus de ipsis in hac secunda Fen, *in qua sicut supra diximus, & in principio huius agitur solum de causis efficientibus, de contentiuis enim non tractamus in hac, quoniam cũ illæ sint in essentia ipsius morbi ideo faciunt solum pro morbo. sed de antecedentibus, & immutantibus, seu conseruantibus tractatus est apud medicos, nos quoq; dicemus quæ sunt efficientes. Cum ergo hæ causæ iam sint sub genere causarum efficientium, oportet eas diuidere iterum, ut omnes quomodo se habeant sciantur. Dicemus ergo quod causarum antecedentium aliæ sunt naturales, naturales autem appellant medici, quoniam sunt in corpore nostro, quasi ergo dicas corporales, aliæ uero non naturales. ista est diuisio harum causarum maxima. appellamus ergo naturales illas quæ sunt de essentia ipsius corporis & intrinsecæ, & partes ipsius quæ sunt sex. aut enim sunt membra, nam membra quoq; sunt illa, quæ si bene se habeant conseruant sanitatem, si autem male, immutant. secundo sunt complexiones membrorum: scitis enim quomodo si bonæ sint complexiones membrorum, ipsa quoq; dispositio humani corporis bona sit, si autem malæ mala, plurimum nanq; faciunt complexiones. tertio sunt compositiones ipsorum membrorum,*

brorum, nam quomodo ſanum poteſt eſſe corpus & conſeruari in ſanitate, niſi quàm optime eius membra compacta & compoſita ſint? non enim fieri poteſt, ut male ſe habeant membra in compoſitione, tamen corpus ſit ſanum. De his poteſtis eſſe certi ex illis quæ diximus, cum ageremus de morbis, & ægritudinibus in compoſitione & complexione. quarto ſunt humores ipſi, qui quidem ſi bene ſe habeant, neque plurimi ſint, neque mali, conſeruant corpus in ſanitate, ſi autem excedant, aut in qualitate, aut in quantitate, tunc immutant ipſum ex ſanitate in ægritudinem. Quinto ſunt ipſæ facultates, quæ ſi bene ſe habeant conſeruant ſanitatem ipſius corporis, ſi autem male affectæ ſint, neceſſario quoque corpus immutatur. ſexto et ultimo ſunt ipſæ actiones, quæ eduntur. nam ſi ſint naturales, conſeruant corpus humanum, ſi autem non naturales tunc immutant ipſum, et ſic uniuerſaliter dicemus quòd cauſæ iſtæ conſeruantes ſi ſint bonæ naturaliterq; diſpoſitæ, cõſeruant corpus. ſi autem non naturaliter immutant & afficiunt ipſum, quæ ſunt ſex, ut eas colligamus, membra, complexiones, compoſitionesq; eorum, humores, facultates ipſæ, & actiones, & dicuntur alterantes intrinſecæq;, quoniam ſunt de eſſentia ipſius corporis humani, & hac de cauſa dicuntur naturales. Accipiamus modo ſecundum membrum ipſius diuiſionis, quando dicebamus quòd aliæ ſunt non naturales, nam medici inuenerunt hoc nomen infinitum, quoniam non ſunt quidem naturales, quoniam non ſunt in corpore hu-

mano, sed sunt extrinsecæ, tamen nõ propterea sunt præter naturam, immo naturæ sunt quæ quidem sunt necessariæ ad uitam hominis, & sine quibus non potest uiuere, ideo medici uidentes hoc usi sunt nomine infinito non reponente aliquid in specie. nihil enim determinat, ideo cum dicimus non naturales, neq; dicimus naturales neq; præter naturam, quæ numero totidem sunt, sicut & naturales sunt: prima quarum est ipse aer, quòd autem aer sit necessarius ad uitam hominis manifestum est, cum eo ablato auferatur uita hominis, non enim fieri poßet respiratio, quæ omnia necessaria sunt ad eius uitam, si autem bene dispositus sit ipse aer, conseruat corpora humana in sanitate, si uero male, immutat, ut patet quotidiana experientia, neque hoc indiget ratione. secundo sunt somnus & uigilia, quæ non sunt de essentia neque intrinsecæ ipsius corporis, quæ enim pars eius est somnus quæue uigilia? tamen sunt paßiones ipsius, non autem actiones sicut aliàs ostendimus, cum loqueremur de hoc ex professo, & loquemur hoc anno si legemus usq; ad partem illam de somno & uigilia, ut spero me lecturum; & sunt necessaria ista ad uitam ipsius hominis. nam quomodo quæso homines possent uiuere, nisi quandoque dormirent, quandoq; autem uigilarent? neque enim semper possunt uigilare, neq; semper dormire, & ideo si moderate habeantur, conseruant corpora, si autem nimium aut parcius immutant. nonne uidemus qui uigilant esse desiccatos? tertio sunt accidentia & affectus ipsius animi, sicut sunt gaudium, mæsti

tia,

tia, spes, dolor, & tales affectus. sine ipsis enim homines uiuere non possunt, & sunt necessarij, nam aut sunt in lætitia aut mæstitia. neque enim propter
* Arist. in lib. ethicorũ iubet hominem esse sine talibus affectibus, quoniam hoc est impoßibile. neq; enim homo esset homo nisi aut gauderet aut doleret, sed ibi consulit magnus ille philosophus eos affectus moderandos esse, ut homo neq; nimis irasceretur, neque nimis gauderet, neq; nimis doleret, sed consulit, modo irascendum parce, modo lætandum, modo dolẽdum, modo sperandum, modo desperandum. quoniam eo modo conseruatur suum corpus. sed si immoderate sumantur isti affectus, sunt causæ potius immutantes ipsum, nam uidemus quoq; ex ira quempiam irasci, ex nimia lætitia mori. quarto est motus & quies, quæ sunt necessaria ad uitam degendam, non tamen sumenda sunt ista immoderate, neq; enim semper homo potest moueri, neq; semper quiescere, quoniã immutantur corpora ad ægritudinem: si autẽ modo quiescant, modo moueantur, homines temporibus opportunis conseruantur in sanitate. quinto sunt inanitio & repletio, quæ quantum necessaria sint, permitto considerandum, nam inanitio necessaria est hoc modo, quoniam oportet excerni excrementa ex corporibus ipsis, primo feces per aluum, per oculos sua excrementa, per aures quoq;, & deniq; per omnes partes corporis, sed quòd repletio sit necessaria, patet, quoniam quomodo posset nutriri corpus animatum, nisi repleretur alimento? tamen neq; istæ sunt par-

tes ipsius. sexto & ultimo sunt cibus & potus, quæ quidem sunt necessaria ad uitam, cum sine eis degi nõ poßit, neq; enim potest animal sine potu & cibo nutriri. si autem non nutriretur, non uiueret, si autem moderate sumantur conseruant ipsum. sed si nimium aut parcius quàm oporteat, fiunt postea ægritudines, quoniam ab eis immutatur corpus. Harum *ergo omnium oportet uos cognitionem quàm exactißimam habere; sunt postea aliæ, quæ non sunt necessariæ ad uitam, tamen uel conseruant uel immutant, & sunt multæ, sicut sapor amarus, dulcis, acris uel similes, mißio sanguinis, uulneratio & percußio, quæ tamen sunt extrinsecæ. istarum autem sunt quæ semper iuuant, aliæ autem quæ semper nocent, aliæ quæ modo nocent, modo iuuant indifferenter se habentes.* Di*camus de his quæ semper iuuant, nunquam nocent, ut declaremus rem ipsam exemplis.* Q*uæ ergo semper iuuant sunt medicinæ applicatæ iam ad actum operandi si bene applicentur temporeq; opportuno, tũc semper iuuant, nunquam nocent.* Q*uæ autem semper nocent quocunq; tempore exhibeantur sunt quoq; medicinæ ipsæ, sicut sunt uenenosæ, nam quolibet tempore exhibeatis uenenum semper nocet, sic uulnerationes semper nocent. nemo enim ignorat quòd etiam percußiones semper noceant, sempre noseno le bastonade e a qualunq; poltron sia. sunt postea quæ neque semper iuuant, sed neq; semper nocent, sed modo hoc modo illud faciunt, deniq; indifferenter se habentes, & sunt medicinæ quæ per se sunt non applicitæ ad*

actum

actum artificis, sed antequam applicentur, nam possunt etiam iuuare, si postea bene applicentur, possunt quin etiam nocere si male, ad utrunq; enim se habent. Vltima autem diuisio causarum erit ista, & notate omnia ista quia sunt omnia necessaria: neq; enim laborarem in his nisi cognoscerem quantum uobis proficiet usque ad unguem cognoscere causas omnes. Dico ergo quòd harum causarum quæ semper iuuant sunt aliquæ quæ postea per accidens nocent: cum enim per se ex propriaq; natura iuuent possunt tamen propter aliquid nocere, tuncq; dicuntur per accidēs nocere, ut exempli gratia medicus facit mißionē sanguinis uel dat pharmacum, tunc ista auxilia iuuāt per se, sed si ægrotus peccet aut in affectibus animi, aut exercendo mouendoq; nimium, aut aliquis in exhibendo aliquid aliud, aut dormiendo, aut medicus in curando, tunc mißio sanguinis facta, uel pharmacum datum non solum non iuuat, sed etiam nocet, hoc tamen per accidens, quoniam iuuisset, sed quoniam accidit errare in aliquo, accidit quoq; quòd medicina noceat, sicq; per accidens nocere dicitur. Aliæ autem sunt causæ huiusmodi quæ quidem nocent per se, sed per accidēs iuuant, sicut (ut demus accommodatißimum exemplum) referebat Plinius de habente maximam uomicam in pectore mortalem, ad quem acceßit interfector, ut eum interficeret, sicq; educto pugione sæpius ac sæpius percußit ipsum in loco ubi laborabat uomica & statim exiuit sanies & sanatus est liberatusq; ab illa Vomica. Interfector tamen putabat se eum in-

terfecisse, sic alia sunt multa quæ cum nocerent, tum per accidens iuuant, sicut dicimus etiam de aqua frigida quæ per se frigefacit, tamen per accidens calefacere potest, ut exempli gratia, si quis in æstate calidus maxime bibat aquam frigidam, tunc non solum frigefit sed etiam magis calefit, quoniam per illam frigiditatem aquæ obstruuntur pori cutis, & calor nō potest expandi tuncq; recurrit & reuocatur ad suum principium ubi se ipsum multiplicat et fortificat, sicq; magis incalescit homo ille. Amplius *aqua calida per se calefacere debet, tamen per accidens frigefacit, sicut experimento patebit. istæ ergo sunt omnes diuisiones causarum quæ quidem si optime scieritis eas quātum proficiant uobis, uidebitis magis in processū, & ipsas quidem habet* Auic. *quoq; in cap. hoc, quomodo habeat scietis iamiam, nam ordinem seruat & modū, ut non possimus intelligere ferè eum ultra hoc quòd simul errat, ueniamus ergo ad ipsum. dicit in text.* (Causæ dispositionum, &c.) *Postquam ergo non uultis me legere, cras incipiemus cap. & si non legerim credo per quartam horæ partem.*

Lectio XLIII.

Cavsae dispositionum, &c.) *Si uultis intelligere ea quæ dicentur hic ab Auic. & in quo consistat difficultas & conclusio, oportet uos omnia ea quæ iam a nobis dicta sunt repetere memoriæ, & ne omnia replicemus hic, quoniam nō haberemus tempus perficiendi hoc cap. in his duobus diebus, Ideo secundum*

cundum quòd Auic. procedet, ego quoq; illa singulatim repetam si ea non intellexistis, alioqui nunquam intelligeretis hic Auic. Dicit ergo quòd tria sunt genera causarum quæ à medicis considerantur, uidelicet antecedentes, primitiuæ, & coniunctæ. hæc est sua diuisio, quorum autem causæ sint, inquit quòd (Sunt causa illarum trium dispositionum, quæ iam expositæ fuut in principio huius secundæ Fen,) *Circa quòd primo scire debetis quòd Auic. per coniunctam causam non intellexit illam, quam Græci* συνεκτικὴν *.i. contentiuam, sed illam intellexit, inter quam & effectum nihil intercedit, sed immediata est, tamen non est in essentia illius, sicut est contentiua, quòd autem hoc sit uerum, & quòd Auic. quoque cognouit causam illam contentiuam Græcorum, quòd quæ coniuncta est illa quæ immediate præcedit effectum, manifestum est ex his quæ dicet ipse in fine huius cap. ubi Auic. post multas diuisiones ipsarum causarum tandem deuenit ad illam, quòd causæ aliæ sunt uicariæ, aliæ non uicariæ. per uicarias intelligit illas continentes apud græcos, quoniam dicit quòd illæ sunt uicariæ, quibus positis ponitur effectus, ablatisq; remouetur. quæ enim causa est alia quæ habeat hanc conditionem, nisi ipsa contentiua? hæc enim non requiritur ad causam coniunctam, cum tantum illa sit, inter quam & effectum nihil mediat. Diximus quoq; nos supra aquam illam in oculi foramine causare suffusionem, & ipsius causam esse contentiuam. quoniam in eius essentia est, unde dicebamus*

quòd

quòd remota illa aqua remouetur suffusio, positaq́; ponitur. sic quoq; de febri. diximus enim quòd calor igneus est causa ipsius contentiua, & in ipsius essentia continetur, neq́; potest ab ipsa separari, sed ambo simul sunt remouenda. sed ista conditio ut morbus non possit remoueri, nisi remota causa, illa non requiritur ad causam coniunctam; sed hoc tantum habet quòd oportet ipsam esse immediatam effectui. nã dicimus quòd putridus uapor, siue putredo est causa coniuncta ipsius febris putridæ. sit modo uel hic, uel ille non contendo nunc remota putredine, siue putrido illo uapore ascendente ad cor, remanet adhuc febris illa. Tamen *scitum est quòd causa illa erat ipsius coniuncta, quoniam inter febrem & illam putredinem nihil intercedit, sed immediate sunt, bene remoto calore igneo, remouetur omnino febris.* Amplius *est aliqua materia fluens ad istam manum, uel frigida, uel calida, uel humida, uel sicca, tunc propter affluxum illius materiæ qualificatæ fit intemperies in in ipsa manu puta calida, si materia calida erat certum est quòd talis intemperiei materia, causa erat immediata & coniuncta, tamen remota ipsa non propterea remouetur ipsa intemperies sed adhuc manet, quoniam iam facta est impressio ipsius caliditatis & intemperies iam facta est.* Vnde *errant illi moderni qui quidem ponunt causam coniunctam loco ipsius cõtentiuæ, dicunt enim illã esse causam coniunctã, qua ablata aufertur effectus, positaq́; ponitur. sed* Auic. *ut manifestum est loco contentiuæ causæ posuit illam*

suam

suam uicariam causam, sed coniunctam illam esse dixit, inter quam, & effectum nihil intercedit, sicut nos quoque posuimus, sed quòd modo ipse cognouerit omnino causas contentiuas, nolo affirmare, quoniam non erat exercitatus in arte medica & si magnus uir sit in scribendo. erat enim nobilißimus homo sicut maior pars medicorum tenet, & ego quoq; credo, si ipse transcripsit à scriptis aliorum medicorum, magnus quidem philosophus fuit, & plurimum exercitatus in philosophia, sed ut dixi non erat exercitatus in hac arte, ideo si non sciuit omnino causas ipsas, nõ est mirandum, sciuit quidem sed non distincte. Ideo *cum uos uideatis hoc debetis aduertere ut distinctè procedatis in cognitione harum causarum, ut poßitis soluere omnes dubitationes, quæ mouentur a modernis in hac materia. Sciatis ergo quòd Græci doctores differunt ab* Arabibus, *quoniam ipsi considerant de causis antecedentibus, quæ sunt efficientes ipsius morbi, de contentiua autem prætermittunt, sed cum coniuncta sit causa efficiens & antecedens quidem, ideo de ea quoq; tractant tanquam anteedente.* Nam *ipsa quoq; coniuncta causa præcedit morbum, quæcunq; aũt causæ præcedentes ipsum dicuntur antecedentes, nam etsi ista sit immediata ipsi morbo, aliæ uero immediatæ, non propter hoc dicendum est quòd non sint omnes antecedentes, quoniam omnino præcedunt morbum, siue modo remotius, siue propinquius, sint enim hic exempli gratia, ut illustremus rem ipsam quàm optime, decem homines qui præcedunt*

dunt principem. omnes sunt quidem præcedentes ordine quodam, sed tamen si uolumus ab ultimis incipere, nos tandem inueniemus unum ex illis immediate præcedentem principem, ipsumq́; contingentem, & si hic immediate illi uero mediate præcedant illum, non propterea falsum est dicere quòd sint omnes præcedentes, immo uerißimum. sic dicendum puto de causa coniuncta & alijs antecedentibus, quòd omnino ipsa est antecedens tempore morbum, & non differt ab antecedentibus, sed tantum habet hoc quòd inter ipsam & effectum nihil mediat, postea in alijs conditionibus est eadem cum antecedentibus, non est ergo separanda causa coniuncta de mente græcorum ab ipsa antecedente, cum idem sint, differant tantum secundum propinquum & longinquum à morbo ipso, sed si Auic. intelligeret per causam contentiuam, tum omnino separanda esset ab antecedentibus. ratio huius esse debet, quoniam scitis contentiuam causam illam esse, quæ est in essentia ipsius morbi, quaq́; ablata aufertur quoq; morbus, qua posita ponitur, neq; efficit ipsum morbum sed constituit, & est eius pars intrinseca, sicut dicimus quoq; materiam & formam in composito esse constituereq́; ipsum, non tamen efficiunt illud, nam efficientes sunt illæ quæ efficiunt, sic quoq; causa coniuncta sumpta pro contentiua distinguitur ab antecedentibus, quoniam est in eius essentia tanquam intrinseca pars, antecedentes autem sunt causæ efficientes, quæ efficiunt ipsum morbum: sed si intelligimus per coniunctam illam causam sicut

& aliqui nostri moderni intelligunt, inter quam & effectum nihil intercedit, tunc separanda non est ab antecedentibus, sicut separat Auic. credo enim quòd per hanc causam coniunctam intelligat quoq; ipse, sicut diximus superius, ideo male fecit separando eam ab antecedentibus, sed supponendo suo modo causam coniunctam, diuidamus modo quoq; secundum quòd ipse facit, si modo uolumus declarare textum, & declaremus conuenientiam earum. inquit ergo. Antecedentes uero & coniunctæ communicant in hoc quòd ambæ sunt res corporeæ, scilicet humorales, aut complexionales, aut compositionales. dicamus ergo suo modo dummodo ante cognouerimus rei ueritatem, & distinguere sciamus fabam a lupinis, uidebitis quantum distat scientia tradita à nobis cum Gal. ab illa Auic. Conueniunt ergo causæ coniunctæ & antecedentes in hoc, quoniam ambæ sunt corporeæ, ut humores aut complexiones, quæ sunt in essentia ipsius corporis, humores enim in corpore humano antequā putrescant, sunt causæ antecedentes ipsius febris, sed præparantur ad putredinem, consequenter apti sunt facere febrem, sed cum putruerūt tunc humores sunt causa coniuncta febris, & iam faciunt ipsam, inter ipsosq; & febrem nihil mediat, neq; differunt, sunt enim antecedentes ambæ, tamen hi sunt propinqui, illi facere non poterant, nisi aliquid aliud interuenisset, scilicet putredo ipsorum. sic quoq; dicamus de complexione ipsa, quoniam siquis sit complexionis biliosæ, tunc est quidem præparatus ad febrem, quoniam

niam illa complexio facit febrem, sed tamen non potest facere nisi aliquid aliud medium interueniat, nam postea cũ illa temperies calida sit in hepate, ita quòd super incalescant postea humores generati & putrefiant, communiceturq; cordi talis intemperies, tunc est causa coniuncta faciens ipsam febrem, inter illam enim & febrem nihil mediat. simili quoq; modo dicamus de ipsa compositione, aliquando enim accidit tumor præter naturam in pede cum dolore, dolor autem scitis quòd attrahit materiam ad locum, ideo tumor iste causa est antecedens ipsius inguinis, idest bubonis, ut loquamur modo medicorum nostrorum, sed causa coniuncta in compositione est obstructio ipsius nerui optici in oculo, ne possit exire spiritus, & eo modo fit suffusio, sicq; tam causæ antecedentes sunt corporeæ quàm coniunctæ ipsæ. & hoc est quòd dicit Auic. saltem dicere uellet. Postea inquit (Primitiuæ uero sunt, &c.) *Notetis, & aduertatis quàm optime quoniam Auic. hoc in loco est ualde confusus, & ideo confundemini etiam uos nisi haberetis doctorem dirigentem uos in hac diuisione sua causarũ, declarationeq;. iste.n. excellẽtissimus uir profitetur semper non solum hic, sed ubiq; methodo diuisiua si quis alius, tamen multum errat in utenda ipsa, & hic & alibi quoq;, ideo cum non procedat distincte aduertatis uos, ut distincte procedatis, ne cadatis in errores, in quos cadit ipse. habetis enim a nobis ueritatem huius diuisionis, potestis modo facile iudicare, in quo erret Auic. dicere autem uult hic*

quòd

quòd primitiuæ illę causæ siue procatarticæ, si secundum græcos dicere uolumus, conueniunt in hoc oẽs, quòd sunt extrinsecæ, idest extra corpus humanum. istæ enim est suus charactherismus, & sua Idea, *ut uidelicet non sint in essentia corporis, sed sint omnino extra illud, idest eius essentiam.* Harum *autem causarum primitiuarum, quæ existunt extra essentiã ipsius morbi, aliæ sunt quæ cum extra eius essentiam sint, cũ hoc tamen sunt omnino extra ipsum, sicut est aer, neq; enim est in corpore, neq; in eius essentia, cibus & potus & tales. Causæ de quibus dicemus inferius, aliæ autem sunt, quæ extra eius essentiam sunt, tamen non omnino separantur ab ipso. sed sunt ipsius perfectiua, ut est anima ipsa & ipsius affectus, anima enim alia est a corpore, nam aliud est actus, aliud habens actum, modo anima actus est, corpus uero habens actum, ergo distingnuntur, & una pars est anima, alia uero est corpus, sicq; aliud est perficiens, aliud uero quod perficitur: sed anima perficit, corpus uero perficitur, ideo inter se distinguuntur, tamen non propterea anima separatur a corpore, neq; extra ipsum est, ideo ipsius affectus erunt causæ extrinsecæ quidem & primitiuæ, quoniam non sunt in essentia corporis, sed sunt extra illam, tamen non separantur ab ipso.* Et *ita hoc est quòd dicere quoq; uolebat* Auic. *quando dixit quòd anima alia est à corpore, ista ergo est maxima, summaq; diuisio ipsarum causarum procatarticarum, quoniã aliæ sunt extra essentiam corporis cum hocq; quòd separantur ab*

ab ipso, aliæ autem sunt, quæ cum sint extra ipsius essentiam, non tamen ab ipso separantur. discurratis modo uos per omnes causas extrinsecas, & uidebitis omnes reduci sub aliquod istorum duorum membrorum. Dicamus ergo de primo membro quòd illæ *eæ procatarticæ quæ non sunt in essentia morbi, neq; corporis humani, sed omnino ab ipso separantur, sunt adhuc in duplici differentia;* Aliæ *enim sunt quæ extrinsecus occurrendo solum immutant corpus, non autem interius sumpta, aut ad bonum, aut ad malum secundum naturam illarum, & sunt plura, sicut occursus uulnerationis, aut percußionis, sicut sunt inunctiones, morsus uiperæ, epithemata, emplastra, & unguenta, & alia multa consimilia;* Aliæ *autem sunt quæ modo occurrendo solum immutant corpus humanum sed interius sumpta, sicut est cibus & potus, sicut etiam sunt multa medicamenta, ut puta uenena, quæ quidem non nocent, nisi intra sumantur. loquor ego de ijs uenenis quæ dantur pro potu, nam illa dummodo non sumantur intra, fricentur postea extra nihil immutant.* Quædam *autem sunt quæ & intra, & extra immutant, & dicunt indifferentes, sicut est aer, nam intra quidem immutat, quoniam per anhelitum tractus immutat partes interiores, occurrens autem ipsi cuti immutat quoq;, ut per frigiditatem constipando eam, per caliditatem autem laxando, cibus autem & potus solum intra sumpta, sic et uenenosa, nam si fricentur & tangantur, non immutant nisi intra sumpta sint.* Opium *enim & talia uenena*

nena exterius applicita & occurrentia nihil nocent, nihilq́; exulcerant, & si aliquando nocent, dico quód parum noceret, parumq́; immutaret. His stantibus *dico postea quòd ista omnia alterantia, aut alterant per qualitatem, aut per quantitatem, aut per substã tiam. per qualitatem quidem sicut est aer qui exterius occurrens, per frigiditatem, aut caliditatẽ immutat corpus humanum, quæ sunt qualitates tangibiles, cibus etiam intra sumptus, aut nimis calidus, aut nimis frigidus, per illas enim qualitates potest immutare corpus. & quod diximus de ijs quæ immutant per tangibiles qualitates, putate, dicendum quoque de ijs quæ possunt immutate per alias qualitates, ut odorabiles, nam male odorata possunt nocere ipsi corpori, sic dicatur de ijs quæ gustum immutant, ut sapores amari, acuti, acres, & tales, quæ possunt aliquando immutare corpus, sic de ijs quæ auditu percipiuntur, nam harmonia, concentusq́; consonans delectat sensum auditus, & aliquando alterat ipsum, cum tamen per se suas qualitates immutat, & uisibiles qualitates eo modo possunt immutare, & uel ad bonum, uel ad malum secundum naturam illorum. per quãtitatem aũt possunt alterare aliqua, sed cum quãtitas duplex sit, alia quidem continua, alia uero discreta, ideo aliqua non nocent quidem per coutinuã quãti tatem, tamen quoniam sæpius iterantur nocẽt, ut cibus si parce sumatur tamen sæpissime, idem est ac si sum psisset multum de ipso semel, & sic numerus aliquando immutat corpus humanum, non enim*

immutat ipsum cibus si semel sumatur, & in conuenienti quantitate. sed si sumatur ter, quater, & septies. per continuam etiam quantitatem aliqua immutant, sicut cibus parcior quàm conueniat uel latior, uel enim non potest debite nutriri, uel fit plethoria, & hæc sunt quæ per quantitatem immutant. sunt et alia quæ quidem immutant per substantiam, nã quandoq; sumitur cibus crassus & difficilis concoctionis, siue dicamus craßi chymi existens & terrestris, & ideo tarde, difficileq; pertransit, & cum pertransit lædit. alia sunt postea quæ nimis cito pertranseunt, quæ sunt subtilioris substantiæ, & ideo non possunt nutrire, sed immutant aliquo modo corpus ipsum: & hæ sunt diuisiones quæ dandæ erant à nobis in hoc tractatu causarum procatarticarum quæ uobis sufficiãt. nam poßent quidem adhuc diuidi particulariter, sed potestis postea uos hoc adimplere cum iam habeatis fundamenta a nobis, neq; enim uolo immorari nunc in diuidendo illas, sunt ergo alterantia omnia, aut per qualitatem, aut per quantitatem, continuam scilicet & discretam, aut per substantiam. possemus namq; diuidere adhuc quæ alterant per qualitatem; ut si diceremus quòd ea quæ alterant per qualitatem, aut alterant per qualitatem manifestam, ut est aer per frigiditatem, aut caliditatem, aut occultam & immanifestam, sicut sunt omnia uenenosa, sed nolo quòd ingrediamur illud onus, cum ferè frustaneum esset. poteritis enim per uos inuenire illas differentias particulares, satis est quòd habetis ubi fundemini in diuidẽdo.

do. Sed illa quæ alterant corpus cum sint cum eo tamen non in ipsius essentia, sicut est anima ipsa, nam illa est altera pars animalis, corpus autem altera, ideo animæ affectus alterant ipsum corpus. Dicamus ergo quòd anima alterat corpus, aut in actionibus, aut in passionibus.i. aut agendo, aut patiendo, nam cum mouetur & exercetur corpus, tunc alteratur ab anima agendo, quoniam illa mouent ipsum, & electio fit ab eo, unde a medicis motus. iste dicitur electiuus, nam dicunt motum electiuum corporis incipere ab anima ipsa, quoniam principium est mouendi. quare motus istæ siue exercitatio incipit ab anima, & desinit in corpus, & ideo anima dicitur alterare corpus ipsum agendo. scitis enim quòd dicebat quoq; Arist. ille homo diuinus in principio suorum paruorum naturalium, ubi diuidebat actiones ipsas, dicebatq; quòd actiones aliæ sunt quæ incipiunt ab anima & desinunt in corpus, sicut iste motus. aliæ uero quæ incipiunt à corpore, & desinunt in animam ipsam. Sed hæc relinquamus. nolo enim nunc illa repetere quæ docet ibi Arist. Aliquando autem alterat corpus per passiones ipsius, nam cũ patitur anima, tunc quoq; compatitur corpus. sed sciendum quòd istæ passiones animæ, aut sunt necessariæ, aut contingentes, necessariæ quidem sunt ut somnus & uigilia, quòd autem somnus sit passio animæ, manifestum est, quoniam nihil aliud est somnus, quàm uinculum ipsius animæ, incipit tamen à corpore & desinit in animam, nam anima uincitur propter humiditatem &

frigiditatem illam uaporum ascendentium ad caput, sed uigilia nihil aliud postea est, quàm solutio ipsius animæ. necessarius autem est somnus, necessariaq; uigilia, non enim potest homo semper uigilare, neque semper dormire, sed quandoque somnum sumit, quandoque uigilare oportet ad negociandũ. istæ sunt passiones necessariæ. Quæ autem sunt contingentes sunt puta spes, dolor, tristitia, gaudium & tales, quæ modo nunc non sunt, modo sunt, neq; sunt de necessitate uitæ, & cum anima patitur in his, corpus quoq; cõpatitur, unde uidemus sæpe fieri febrem propter aliquem magnum dolorem & tristitiam. & his omnibus modis anima potest alterare corpus, uel ad bonum, uel ad malum. Habemus ergo quomodo & *extrinsecus omnino & intrinsecus sunt aliqua quæ alterant corpus, extrinsecus intelligo quæ separata sint à corpore ipso sicut aer, intrinsecus autem quæ non separantur, sicut dictum est de affectibus animæ, suntq́; alia quæ alterant ipsum, cibus potus, somnus uigiliaq;, motus, & quies, aer, inanitio, & repletio. Cum ergo iam uisum sit quomodo quinque illa reducantur sub duo membra condiuidentia uideli cet aer, motus, & quies, somnus & uigilia, affectus animæ, cibus & potus; Quæritur modo hic sub quod illorum duorum reducendæ sint inanitio & repletio, an sub illud quando sunt aliquæ causæ extrinsecus omnino alterantes, an uero sub illud quando sunt causæ alterantes, quæ non separantur omnino à corpore, uidetur enim quòd non poßint reduci sub*

aliquod

aliquod illorum, ergo decisio in completa erit. Ad hoc ergo respondeo quòd reducendæ sunt sub secundum membrum, quoniam sunt affectus facti propter actionem ipsius animæ, ideo anima agendo alterat ipsum corpus, neq; enim per repletionem intelligimus solũ ciborum potuumq;, neq; eo modo inanitionem, sed per repletionem nos intelligimus motum illum qui incipit ab anima, definitq; in corpus, nam anima, idest uirtus naturalis dum concoquit optime cibos sumptos, tunc fit repletio, nam generantur multi spiritus, generantur quinetiam multi optimiq; humores. sed postea uirtus excretiua & expulsiua insurgit ad expellendum ipsum excrementum relictum a concoctrice facultate, & ita fit inanitio. si autem impediãtur istæ facultates, tunc immutatur corpus, & ideo cum sint actiones ipsius animæ repletio & inanitio, reduci habent sub secundum membrum diuisionis, quando dicebamus quòd sunt quædam causæ quæ quidem alterant corpus, cum non sint in eius essentia, tamen non separantur ab ipso, non erunt ergo plura his duobus membris diuidentibus. sufficienter ergo diuisimus causas alterantes, discurrite (ut dixi quoq; superius) per omnes causas primitiuas, & inuenietis illas reduci omnes sub hanc diuisionem, & hoc quod modo declarauimus uolebat dicere, si potuisset, sciuissetq; Auic. cum dixit, (Primitiuæ uero sunt quæ extra corporis existunt substantiam, aut ex parte corporum extrinsecorum, sicut quòd ex verberatione accidit, & ex caliditate aeris,

& ex cibo calido & frigido quæ corpori adueniunt, aut ex parte animæ. anima enim aliud est a corpore, sicut quod accidit propter iram aut timorem, &c.) *Postea his uisis Auic. dat conuenientias & disconuenientias harum causarum cum antecedentibus causis & coniunctis, quando dicit.* (Et causæ quidem antecedentes & primitiuæ communicant in hoc, quòd inter eas & dispositiões quas nominauimus, aliquod existit medium, idest conueniunt primitiuę cum antecedentibus, quoniam inter ipsas & effectum aliquid aliud ītercedit.) *Postea dicit quòd,* (Conueniunt primitiuæ, cum coniunctis in hoc, quòd inter ipsas & effectum nihil mediat,) *Sed sunt ei immediate, nam aliquando accidit quòd ex calore aeris magno humores in corpore putrescant, & consequenter communicetur cordi, sicq; fit febris, calor enim aeris est causa primitiua, idest extrinseca, tamen inter ipsam & effectum, idest putredinem nihil mediat, uel etiam inter febrem quando humores non putrescunt, & inquit quòd,* (Antecedentes inter quas, & effectum aliquid mediat, neque inducunt ægritudinem, nisi alia causa intercedente, coniunctæ autem sunt illæ immediatæ, inter quas & effectum nihil mediat,) *& sic dat differentiam quoq; primitiuarum cum coniunctis, quas omnes differentias legatis uos, postquam non uultis me amplius legere. omnia autem intelligetis de his, si in-*

intellexistis prius quæ dicta sunt a nobis superius, non enim replicabo amplius de conuenientia & disconuenientia harum causarnm inter se, sed permittam uobis perlegēda, ut possim perficere cras hoc cap. quod quidem iam incæpimus, ne post festa etiam redeamus ad hoc. cras uidebimus de his quæ dicit Auic. *post has conuenientias & differentias, si quæ autem notanda erunt, notabo, & perficiemus omnino cap.* Volo *autem, quòd habeatis saltem pro firmo super omnia illud, quòd causæ coniunctæ sunt diuersæ a causis contentiuis, quoniam contentiuæ sunt illæ quæ sunt in essentia morbi, & eam constituunt, sed coniunctæ hoc tantum habent de suo, ut sint immediatæ ipsi effectui, postea habeatis illam diuisionem causarum primitiuarum, neque errabitis, sed cognoscetis ubi* Auic. *errat.*

LECTIO XLIIII.

VIDEBAMVS *in hesterna lectione conuenientias & disconuenientias illarum causarum trium numeratarum ab* Auic. *antecedentes scilicet, primitiuas, & coniunctas, secundum scientiam ipsius, dicebamusq; nos non amplius esse dicturos de hac conuenientia & disconuenientia, quoniam sunt facilia quæ de eis dicūtur hic ab* Auic. *& manifesta per se ex his quæ iam declarata sunt a nobis superius, ideo ut perficiamus cap. hoc in præsenti lectione, ne imperfectum relinquatur, uolo ut prætermissis illis ueniamus ad alia, & si quid aliud dicat notandum nos quoque*

exponamus. Accedamus ergo iam ad alia; dicit Auic. Exemplum causarum antecedentium est repletio febris, &c.) *In his ergo exemplis unum notetis, quòd ualde notandum est, quod quoq; nos supra declarauimus, quòd Auic. & omnes nostri moderni medici qui loquuntur de causis non faciunt sermonem nisi de causis efficientibus ipsum morbũ, quæ sunt extra essentiam ipsius, non autem de contentiua illa, quæ est in essentia morbi. qua remota remouetur quoque ipse, quaq; posita ponitur, sed de efficiẽtibus, siue modo sint primitiuæ, siue antecedentes secundum Auic. siue coniunctæ, & quòd hoc non sit commentitium, immo uerum sit, uideatis omnia exẽpla, quæ dat hic Auic. esse de causis efficientibus, dicit autem primo,* (Exemplum de causis efficientibus morbum, idest febrem ipsam,) *cum dicit quòd* (repletio est causa febris) *tamen manifestum est, quòd repletio est causa extrinseca ab ipsa febre, efficiensq; eius, nam cum repletum est corpus humoribus, tunc plethoria illa efficit febrem ipsam, sed tamen mediante aliqua alia causa, & repletio receptaculorum ipsius oculi, ut aqua in ipsum descendat, est enim efficiens ipsius cæcitatis ac suffusionis. Postea uidetis quòd est extrinseca a ratione ipsius oppilationis & suffusionis.* Dat quoque *exemplum Auic. de alijs causis efficientibus, uidelicet de coniunctis, & notate quàm optime, quoniam inquit,* (Exemplum causarum coniunctarũ est putredo febris, &c.) *hoc enim falsum est,*

quòd

quòd putredo sit causa coniuncta ipsius febris, ita q. sit in ipsius essentia, ut ipsa ablata auferatur febris, positaq; ponatur. potest enim esse febris remota putredine, siue modo dicatis putredinem, siue putridũ uaporem ascendentem ad cor, non enim facio litem meam nunc in hoc, quòd enim hoc sit falsum, patet quoque ex his, quæ diximus nos suprà, cum ageremus de contagio. dicebamus enim secundum Gal. *in secundo lib. de pronost. per pul. citabamus enim locum hunc ibi quòd febres pestilentiales, putridæq; sunt in duplici differentia, aliæ enim sunt quæ sunt cum putredine humorum, aliæ autem sunt quæ sunt sine putredine ipsorum, ideo putredo non est causa contentiua ipsius febris, quoniam stat febris sine putredine ipsorum humorum, hoc tamen uerum est si accipiamus febrem putridam, ut est putrida, non quatenus febris, tunc dico est necessaria, quoniam quomodo potest esse putrida sine putredine ipsorum humorum, & tunc putredo est in essentia ipsius febris putridæ, ut putrida est, estq; ipsius causa contentiua, non autem antecedens, quoniam ipsius essentiam constituit, ratio enim formalis ipsius febris putridæ est putredo, non enim esset putrida sine putredine. in febre putrida (uolo omnino quòd intelligatis rem hanc) sunt duo, uidelicet febris, & putrida febris, febris quidem potest esse sine putredine, neq; putredo est eius causa contentiua, ita quòd ipsius essentiam constituat, sed bene cum dicimus putrida, tunc oportet esse putredinem, alioquin non esset putrida, & ut sic est eius causa*

sa contentiua, qua remota remouetur putrida febris, positaq; ponitur, sed ut febris, est eius causa extrinseca, neq; ipsa remota statim necessarium est remoueri morbum, positaq; poni. Quare illa particula iuncta putrida est illaq; saluat, putredinē ipsius esse causam coniunctam, eo magis quòd esse putridæ non cōuenit ipsi febri, per se ergo putredo non est de ipsius essentia, minusq; eius causa coniuncta modo dicto. ut est autem febris putrida conuenit ipsi putrida esse, modo non potest esse putrida, nisi existente putredine, ergo putredo est eius causa coniuncta, ideo cum dicimus febrem putridam, illud putridam significat potius causam ipsius febris efficientem, ita quòd febris prouenit a putredine humorum, ideo putredo respectu ipsius febris semper est causa extrinseca, ideo potius putredo est causa coniuncta ipsius, quàm contentiua contra illud quod dixit Auic. intelligo autem per causam coniunctam illam, sicut supra docebamus, inter quam & effectum nihil intercedit, sed est ipsi immediata, neque requiritur quòd sit in essentia morbi, eumq; constituat, ita quòd morbum sine ipsa non poßit esse, sed hæc conditio est ipsius causæ contentiuæ, ut ipsa remota remoueatur effectus, positaq; ponatur, quoniam in ipsius essentia est, & pars eius, sine cōiuncta enim potest esse morbus, sicut febris potest esse sine putredine, quòd falsum est, si loquamur de causis contentiuis, quæ quidem sunt in ipsa re tanquam partes constituentes, sicut in homine, materia, & forma, non autem sunt efficientes ipsam.

Quare uolui ista dicere ut caueretis a confusione, quam inducere uobis poterant uerba Auic. hic, et uerba istorum modernorum nostrorum, qui simul confundunt causam coniunctam cum contentiua ipsius morbi. quid uis dicere propter hoc? uolo dicere ego quòd distinguẽdæ sunt omnino istæ causæ inter se quoniam contentiua, ut dixi est in re, coniunctiua autem non bene est ipsi effectui propinqua, neque inter ipsam & morbum aliqua alia causa est, sic est putredo cum febre siue putridus humor, non curo pro nunc, nam immediata est causa ipsi febri, neq; alia inter febrem & ipsam reperitur, non tamen est in eius essentia sed extra illi adhæret, cuius signum est, quòd remota non remouetur febris, posita non ponitur, ut febris. postea dat aliud exemplum huius causæ coniunctæ, qua remota remouetur effectus, posita ponitur secundum suum modum, & inquit quòd (Humor idest aqua illa quæ descendit ad foramen, id est ad pupillam, causa coniuncta ipsius oppilationis,) *sicut dixit quòd* (putredo est causa coniuncta ipsius febris,) *posuit enim hæc duo exempla Auic. sub eodem nomine causæ, ita quòd uult aquam illam inter pupillam & uueam esse causam cõiunctam ipsius suffusionis, ita quòd sit in ipsius essentia constituatq; ipsam, tanquam enim materia dicitur aqua illa esse ipsius suffusionis, non autem causa efficiens ipsam sed contentiua (ut dictum est supra a nobis) qua remota remouetur suffusio, positaq; ponitur, & ideo aqua definit, poniturq; in definitione ipsius*

stius suffusionis, non autem causa efficiens ipsam, & secundum antiquos non solum modernos, nam ferè semper nominant morbum nomine causæ cõtentiuæ, unde definiebant hoc modo, suffusio est aqua inter pupillam uueæq; foramen, & corneam tunicam, et hoc modo nominabant pro suffusione, cum tamen sint distincta. nam ipsa suffusio quæ est morbus, est in genere qualitatis, causa illa est in genere ipsius substantiæ, aqua enim substantia est ipsius scilicet suffusionis, estq; subiectum & materia ipsius, unde ipsa remota remouetur suffusio, positaq; ponitur, sicut dictum est. suffusio autem illa morbus est in uia, nam est obstructio illius uiæ, quæ est inter tunicam corneam & pupillam ipsam ex aqua illa defluente, & ita aqua est uere causa contentiua ipsius suffusionis, ideo non erat ponendum hoc exemplum in hoc modo, quoniam alio modo putredo, ut dixi est causa ipsius febris, alioq; modo aqua ipsius suffusionis, nã eo modo se habet aqua ista ad suffusionem, sicut calor igneus ad febrim, quoniam sicut remoto calore remouetur febris, eodem modo remota aqua ista remouetur suffusio, & sicut posito calore ponitur febris, sic posita aqua illa ponitur suffusio, ideo aqua est causa intrinseca materialisq; ipsius suffusionis, sed putredo ẽ extrinseca. quõ ergo ponenda erant ista exẽpla in eodem modo? nã putredo est potius causa efficiẽs ipsam febrem. i. coniuncta eo modo quo nos accipimus coniunctam, inter quam & effectum nihil mediat. quid uis propter hoc? uolebam ego in hoc discursu illud,

quod

quod iam conclusi, uos notate, quoniam non eo modo putredo est causa febris, sicut aqua ipsius suffusionis, quoniam aqua est tanquam subiectum & tanquam materia; putredo autem tanquam efficiens. Ex *hoc modo dat quoque aliud exemplum Auic. cum dicat* ꝙ (oppilatio est causa cæcitatis coniuncta) *hic notate unum aliud falsum, nam oppilatio non est causa coniuncta hoc modo ipsius cæcitatis .i. contentiua (ut secundum græcos dicamus) neq; enim est in ipsius essentia tanquam pars essentialis, sed potius est extrinseca & efficiens cæcitatem. nam remota oppilatione, non adhuc remouetur cæcitas, quoniam iam facta est illa impreßio, quæ si non remoueatur, non remouebitur cæcitas.* Ideo *oppilatio non est eo modo ad cæcitatem, sicut aqua illa ad suffusionem, & calor igneus ad febrem, sed bene est causa coniuncta, inter quam & cæcitatem nihil mediat, neq; in essentia ipsius est, sed extrinseca est, & sic falsum est hoc quòd Auic. dixit hic. Postea inquit* (exemplum causarum primitiuarum est caliditas solis, aut fortitudo &c.) *causæ primitiuæ sunt antecedentes ipsum morbum ideo extrinsecæ sunt, non autem intrinsecæ, intrinsecæ enim ipsius sunt causæ contentiuæ illæ causæ, & dicit Auic. tandem illud quod nos supra declarauimus, nam diximus illas esse causas efficientes, quæ non sunt in re, sed imprimunt, ideo si quis ambulans sub sole incidat in febrem, tunc sol est causa primitiua efficiensq; ipsius febris, extrinsecaq; non intrinseca. Postea inquit quòd causarũ aliæ sunt*

per

per se, aliæ per accidens. omnia ista iam declarata sufficienter à nobis supra, causæ per se sunt sicut piper quòd calefacit, & opium cum infrigidat, nam dicuntur tunc causare secũdum essentiam per seq́; quoniam habent illam naturam ut unum calefaciat, aliud uero infrigidet, sicut dicimus ignem etiam per se calefacere, quoniam habet hoc ex propria intrinsecaq́; ratione ut calefaciat. Aliæ *sunt per accidens, quando faciunt aliquid quod non sunt natæ ad faciendum, sicut dabamus exempla conuenientia supra, ut aqua frigida cum calefacit, & calida cum infrigidat. ista omnia sunt manifesta ex superioribus. nolo nunc repetere. attendam alijs quæ dicit Auic. ut hodie possimus perficere hoc cap. inquit.* (Non omnis uero causa quæ corpori aduenit in ipsum operatur, immo præter hoc tria requiruntur necessaria, fortitudo scilicet virtutis agentis, dispositio ipsius passi, & possibilitas permittendi vnum tangere aliud tãto tempore &c.) *Quoniam posset aliquis dicere hic, cur est quòd aliquis ambulabit sub sole feruescente tamen non febricitabit, alius autem qui cum eo sit, febricitabit, aut alio tempore ambulabit sub sole & febricitabit, uel ambulabit in maximis frigoribus, non tamen obstupescit. Ideo Auic. uidens hanc dubitationem respondet ipsi, causa inquit quòd* (hoc prouenit quoniam cum sint tria requisita ad hoc quòd causa innata producere effectum producat illum, ideo si unum eorum uel plura deficiant, non proue

nit

nit effectus ille) *& numerat illa tria quæ requiruntur ad hoc, quòd causa agat suum effectum, tamen nos adiungemus unum, dicemusq; quòd quatuor requiruntur, & ostendam etiam quòd sunt quatuor cum illa connumeret, tamen nesciat se connumerare, primo quidem requiritur uis fortis agentis, secundo uero dispositio ipsius paßi, & tempus, sed nos addimus quartum.i.contactum, ita quòd agens agat in passum, quod contangat, & quòd ipse quoq; Auic. connumerarit hoc quartum requisitum necessarium audiatis nunc primo ipsius uerba, postea ex illis clare ostendemus cõfiteri hoc. dicit ergo Aui.* (Postquàm connumeraui illa secundo prima uim scilicet agentis & dispositionem ipsius pasi, & posibilitas permittendi unum tangere aliud tanto tempore ut &c.) *Ecce quã do dicit* (tanto tempore &c.) *tangit tertium uidelicet tempus. quando uero ait* (tangere) *quid sibi uult nisi quòd requiritur contactus ipsius agentis cum passo, ut poßit peruenire actio & effectus producatur; ista ergo sunt quatuor requisita, ut causa efficiat illud quòd innata est efficere in passo, uidelicet uirtus fortis quæ poßit superare ipsum passum, & dispositio paßi, tempus, in quo agens agat in passum, & contactus agentis cum ipso passo. ista uolui admonere. & si clare sumatur ex Auic. illud quod notaui tamen quia dicit tantum esse tria, posset quis incidere in errorem.* Domini *si uultis cognoscere perfecte quæ requirantur ad producendum ipsum effectum,*

ctum, et quomodo hæc quatuor numerata ſint neceſſaria, oportet uos memoriæ repetere ea quæ dicebat Ariſt. in 5. illo phyſ. in principio ferè, ubi dicebat q quinq; ſunt neceſſaria ad hoc quòd motus fiat; primo motor qui moueat, res mota, quæ moueatur & recipiat motum, terminus à quo incipit motus, terminus ad quem deſinit, & tempus in quo fit. hæc ſunt quæ ibi ab Ariſt. dicebãtur, ſed cũ ipſe quoq; Ariſt. uideret quòd iſta non ſufficiunt, ſed multo plura requiruntur, ideo connumerat illa. ſunt autem duo alia, non numerat autem ibi in illo 5. phyſ. ſed poſtea in primo lib. de generat. & corrupt. circa tex. 48. 49. ſi bene memini. dicebat enim requiri tum conuenientiam agentis & paßi ex parte ipſius materiæ, diſconuenientiam autem & differentiam ex parte formarum, ſiue contrarietatem ut dicam ſua uerba, ideo erunt in ſumma ſeptem omnino ſcilicet uirtus agentis, diſpoſitio paßi, terminus à quo, terminus ad quẽ, tempus, conuenientia ex parte materiæ, & contrarietas ex parte ipſius formæ. his ſic ſtantibus & manifeſtis ex fundamentis ipſius met Ariſt. uidebitis modo quomodo illa quatuor quæ diximus, ſint omnino neceſſaria ad producendum effectum, agens quidem qui agat in paſſum diſpoſitum, alioquin non fieret mutatio, ſed quoniam mutatio non eſt in ſimile, neque in idem, alioqui ad quid eſſet mutatio, nam nihil noui acquireretur, oportet ergo eſſe contrarium. mutatio ergo fit ratione contrarij. non enim idem mouet, neque agit in ſe ipſum, ſed agit in diuerſum à ſe ut trãſ-

mutetur in illud, sed quoniam quodlibet non generatur ex quolibet, neq; quilibet transmutatur in quodlibet, sed determinatum ex determinato, determinata autem diuersa sunt ipsa contraria, ita quòd contrarium transmutatur in suum contrarium, ex eoq; generatur, sed quoniam hoc est impoßibile manentibus solis contrarijs, quoniam contrarium non agit in suũ contrarium, ideo oportet hic esse aliquam conueniẽtiam ipsius subiecti quoniam oportet omnia contraria esse in uno & circa unum subiectum, neque oportet esse in quolibet subiecto, sed in uno determinato, ut dicimus orbicularem & rectum uersari circa lineam, amaritudinem & dulcedinem uersari circa saporem uel circa unum uniuersale .i. qualitatem, & hoc subiectum in quo existunt contraria, oportet esse illud quòd recipiat modo hoc, modo illud. Ideo quando dicimus quòd contrarium agit in contrarium ut in ipsum transmutetur, & contrarium ex contrario generatur, intelligimus, quoniam contrarium expellit suum contrarium & inducitur in subiectum ipsum. si autem subiectum debeat recipere, oportet ipsum esse dispositum ad recipiendum, alioqui non recipiet. requiritur ergo dispositio ipsius patientis. Amplius necessarium est ibi esse resistentiam ut uidelicet contrarium quod est in subiecto resistat ipsi agenti, alioqui non fieret actio, exempli gratia, ut rem hanc illustremus, in hoc subiecto est nigredo, uenit agens & uult albificare ipsum, & ita albificat introducendo albedinem & destruendo nigredinem, quoniam nõ possunt

stare simul contraria in subiecto cum mutuo se expellāt, tunc nigredo resistit quantum potest ipsi albificāti introducenti formam contrariam .i. albedinem, ideo cum semper naturaliter contraria forma contrariæ quoq; formæ resistat secundum Arist. Ad mutationē ergo & actionem requiritur resistentia de necessitate, resistentia ergo erit ex parte formæ, non autem ex parte subiecti, quoniam ex parte subiecti requiritur aptitudo & dispositio ad recipiendam aliam formam contrariam. sed si debet produci effectus, oportet uim agentis tantam esse, & ita fortem ut superet ipsum passum & resistentiam formæ contrariæ, non enim fit actio à proportione minoris æqualitatis, sed à proportione maioris æqualitatis. ad hoc autem requiritur maior uis agentis quàm sit paßi resistentia in quod agit agens, non enim quælibet uirtus sufficit ipsius agentis ad superandum passum, sed maior uirtus & fortior quàm resistentia paßi, sed dū fit transmutatio ab agente in passo ex contrario termino in contrarium terminum conueniente eis ambobus subiecto passo, tempus requiritur, nam tempus est necessarius motus secundum Arist. quoque quarto phys. & ubicunq; ponitur motus statim ibi est tempus, ideo ad transmutationem & actionem requritur necessario tempus ipsum, & cum agens agere debet in ipsum passum, oportet quòd contangat ipsum alioqui quomodo aget uel mediate uel immediate? nam exempli gratia sol cum agit in nos, tunc calefacit nos, & caliditas illa est contraria frigiditati, quæ est in nobis,

ideo

ideo frigiditas illi resistit, nos sumus subiectum in quo est frigiditas, postea introducitur caliditas ipsa, & cũ caliditas debet introduci solq; agere debeat, oportet quòd radij solares primo contangant nos, mediante scilicet aere ipso, nam calefaciunt aerem, qui contangens nos cum solaribus radijs calefacit, & ita necessarius est contactus ad hanc actionem. omnis enim naturalis actio per contactum fieri habet. Quare necessaria sunt illa omnia ad producendum effectum, & cũ aliquid deficit horum, non producitur. uidete ergo quomodo quamoptime Auic. dixit tria illa esse necessaria requisita, immo quatuor, uim agentis fortem, dispositionem ipsius paßi, & tempus, quartus contactum agentis & paßi. si ergo non agit semper sol in quocunq; subiecto calorem igneum, ad quem sequitur statim febris, hoc est referẽdum in dispositionem paßi, quoniam hoc erat dispositum ad recipiendum actionẽ ipsius solis, illud uero non erat dispositum, & hoc est quod uoluit Auic. hic. Dat postea unam aliam differentiam Auic. quando dicit quòd (sæpe accidit vt vna eademque causa producat diuersos effectus, immo contrarios quòd plus est) *& ꝙ illa causa producit unum effectum in unum subiectum contrarium autem in aliud, ut quando una causa facit unum effectum in Socrate, quem non facit in Platone. & ad hoc dicit Auic. quòd* (non est mirum si una eademque causa producat contrarios effectus, quoniam hoc non facit per se sed per accidens) *nam una causa facit unum solum ef-*

fectum per se, sed per accidens potest cõtrarios producere. sed hoc non declarat Auic. Ideo *uolo quód rem hanc intelligatis, uoloq; declarare ipsam exemplis. Sol est una causa, qui quidem per se calefacit, lutum autem indurat neq; alium effectum facit, hic sunt duo subiecta scilicet cera & lutum in quæ agit sol, tamen diuersos effectus producit, nam ceram quidem liquefacit, lutum autem indurat, induratio autem & liquefactio sunt contrarij effectus, sed hoc facit per accidens ratione ipsorum subiectorum, quæ sunt contrario modo disposita, nam sol agens in ceram eam liquefacit, quoniam in cera sunt partes humidæ aereæ scilicet aqueæ, quas congelauit frigiditas, & ideo indurata est, sol postea introducens in ceram, quæ est subiectum, caliditatem, expellit frigiditatem quæ congelabat partes illas, sicq; iterum liquefiunt, & ita cera liquefit, sic etiam cum lutum sit quoddam compositum & aggregatum (non enim est mistum) ex aqueis partibus & terrenis, terra quæ de propria natura dura est mollescit propter aqueas partes eam humectantes, & cum sol agat in ipsum resoluit partes aqueas caliditate sua, relinquitur sola terra, quæ cum dura sit ut diximus, de se, ideo induratur lutum hoc modo ab ipso sole, cum tamen cera liquefiat ab eodẽ, hoc non prouenit nisi ratione passorum, eadem enim causa semper innata est facere eundem effectum, ut sol calefacere: contingit postea quód agens in lutum ita aggregatum (ut dictum est) ipsum induret, agens uero in ceram ipsam calefaciendo liquefaciat.* Ad illud

lud autem quod quærebatur, cur causa una innata ad imprimendum unum effectum imprimit ipsum in uno, in alio autem non, dicitur quòd hoc prouenit propter uarias dispositiones ipsius paßi, nam unum passum est ita dispositum ad aliquem affectum, ut si causa aliqua ipsum imprimens superueniat, statim illum recipiat; est postea aliud passum quod non est ita dispositum ita q; etsi superueniat causa illa, quæ deberet imprimere talem affectum, non imprimit tamen; exempli gratia. Aliquis comedet ipsum piper, & non contingit ei aliquod symptoma, neq; aliquid ei nocet, tamen si quis alius comedat ipsum cadit in aliqua symptomata, sicut narrabat de se ipso Gal. qui cum manducasset piper statim cecidit in singultum, quod non prouenit nisi quia Gal. habebat os uentriculi ualde sensibile, ideo cum ipsum mordicasset piper, factus est singultus. si quis tamen alius qui non habet sensibile ita os uentriculi comedat piper, non incidet in singultũ. His sic stantibus audiatis modo unum ualde notandũ, quod desiderabam omnino explicare, antequam finirem lectiones istas. dicit enim Auic. (Causarum præterea aliæ sunt uicariæ aliæ non uicariæ) *uolo enim quòd ex hoc capiatis Auic. multo bene cognouisse quòd causa coniuncta & causa contentiua, sunt ualde diuersæ. loquor ego de contentiua illa græcorum, nam si non distinxisset illas ad inuicem, creditis uos quòd Auic. posuisset hic hanc diuisionem post multas alias? non credatis hoc nam supra dedit diuisiones multas causarum. nunc autem ultimo dat aliã*

de contentiua & non contentiua, & inquit (Causarum aliæ sunt vicariæ.i. non contentiuæ,aliæ sunt non vicariæ .i. contentiuæ siue continentes quomodocunque dicatis non curo) *Postea declarat hanc diuisionem suaq; membra. Ecce ergo quomodo à rei ueritate inspiratus cognouit causas contentiuas alias à coniunctis, sed non distincte ut dixi quoq; superius. uidit & ipse bonos lib. nam cognouit & ipse quòd coniuncte sunt extra essentiam morbi. contentiuas uero esse intra essentiam ipsius, quibus remotis remoueatur morbus, positisq; ponatur. quodq; hoc sit uerum, audiatis ipsum prosequentem cum inquit* (Et vicariæ quidem.i. non contentiuæ sunt illæ, quæ cum separantur non tollitur affectus, sed remanet, quoniam non sunt in ipsius essentia) *Deinde dicit quòd* (non vicariæ sunt illæ ex quarum separatione prouenit sanitas)*.i.contentiuæ autem sunt illæ, quæ cōstituunt essentiam morbi in eaq; sint, remotis ipsis remouetur morbus quoq;. positis ponitur. & notate quæso hanc distinctionem super omnia, quando his uisis soluetis omnes dubitationes omniaq; argumenta sophistica quæ in contrarium offerentur, & nisi cognoueritis hanc distinctionem causarum contentiuarum à coniunctis, uos non scietis cognoscere ægritudinem; ideo cognitio illarum deseruiet uobis tùm ad cognitionem ægritudinis tum ad curationem, tum ad remotionem ipsarum, quoniam diuerso modo remouentur istæ causæ, aliter enim remouetur coniuncta, aliter*

aliter autem contentiua. & notate eam obsecro uos, inquit Auic. dans aliam diuisionem causarum necessariam ad continuationem, dicendorum cum dictis. (Dicemus autem quòd causæ quæ mutant dispositiones corporis, & illæ quæ conseruāt, aut sunt necessariæ, à quibus impossibile est hominem egredi in toto tempore suæ uitæ, aut non necessariæ) *hæc omnia à nobis iam sunt declarata. quoniam causarum immutantium conseruantiumq; aliæ sunt necessariæ uitæ humanæ, aliæ uero non necessariæ, sed contingentes, necessariæ quidem sunt, aer, cibus & potus, somnus & uigilia, inanitio & repletio, & motus quiesq;, affectus siue accidentia animæ, iam ista perfectissime usq; ad unguem intellexistis, quàm distinctissime etiam, ideo uideatis quomodo diuisio ista faciat ad continuationem dicendorum, quoniam his stantibus nos incipiemus agere de causis necessarijs, siue necessario occurrentibus in lectionibus nostris sequentibus post pascha, in tractatuq; de qualitate aeris multum laborabimus* Deo *fauente atq; auxiliante, cumq; inter necessarias prima sit aer, dicemus de eo ergo. de quo uideatis quid ubiq; dicat* Gal. *sed præcipue uideatis in 9 illo libr.* θεραπευτικῆς *ubi connumerat tria cognoscenda in curatione ipsius morbi, uidelicet temperaturam corporis patiētis, et naturā morbi, aereq; ipsum, uideatis ergo quantum referat scire de ipso. præparetis ergo uos ut quāoptime intelligatis. & hæc sufficiant pro præsentis cap. declaratione. Ite modo ad confitendum.*

LECTIO XLV.

De affectione aeris qui circundat corpora. Cap. II.

¶ AER est elementum nostrorum corporum &c.) *meminisse debetis quemadmodum* Auic. *in præteritis lectionibus tractauit de caufis in uniuer sali, & dederit diuisiones multas causarum quas quã recte explanauerimus, potuistis audire, inter illas autem diuisiones dedit unam maxime aduertendam in fine cap. præcedentis, cum dicebat quòd causarũ conseruantium & immutantium aliæ sunt occurrentes necessario, aliæ uero non necessario. Quæ autem necessario occurrunt sunt sex, secundum quòd dicebamus cum ipso* Auic. *quoq; aer, cibus & potus, motus & quies, animæ accidentia, somnus & uigilia, inanitio & repletio.* Ideo *cum hæc declarauerimus,* Auic. *qui intendit de illis singulis pertractare, uult incipere in præsenti agere de ipso aere, qui est prima causa inter illas. hæc est continuatio huius cap. cum præcedenti.* Sed *quoniam in hoc cap. sunt multæ difficultates, & quidem difficiles tum propter ipsius* Auic. *modum loquendi, tum propter rem ipsam, quæ difficilis & controuersa est, ita ut nullo modo poßitis eam intelligere nisi prius notentur a nobis quædam, quæ parent quoque uiam illis. notandum ergo prius a nobis inter alia quatuor esse corpora simplicia, dicta ele-*

elementa, ut ostendimus in Prima Primi. anno elapso. ideo si dicemus de illis quædam non miremini, oportet enim scire illa, sunt autem istorum quatuor elementorum, duo tanquam loco materiæ in generatione mistorum corporum, duo autem loco formæ. loco materiæ quidem sunt terra & aqua, quæ quidem quandoq; proprio nomine nominantur, scilicet nomine substantiæ, ut terra & aqua, quandoq; autẽ non, sed nominantur nomine qualitatis dominantis in ipsis, ut humidum & siccum, sicut apud Arist. quoq; uideri potest in lib. de generat. & corrupt. quando ergo dicimus aquam et terram concurrere in mistione corporum, intelligimus de prima mistione substantiali, quoniã ita quoq; mos est apud philosophos peripateticos. Cum uero dicimus humidum & siccum concurrere in mistione tanquam materia misti, intelligimus de secunda mistione; non autem de prima. sed quomodocunq; sit, satis est ut sciatis & supponatis quod iam diximus, scilicet aquam & terram esse loco materiæ in mistione corporum mistorũ omnium et quòd ex ambobus tanquam ex materia, omnia illa generantur. Sunt postea reliqua duo loco formæ ad generanda mista, scilicet aer & ignis, quæ semper sunt in actu. non autem in præsentia. in actu ergo sunt ista duo. & ut intelligatis ea quæ sunt dicenda de ipso aere, quoniam difficilia sunt, oportet prius adhuc discurrere aliquantulum. Dicamus ergo quòd a principio generationis misti locus in quo generatur in eo oportet quòd humidum & siccum quæ sunt loco formæ

mæ simul iungantur, & seipsa amplexentur, sed si iungi debent oportet quòd prius incalescant, alioqui nunquam simul iungerentur. cum ergo hæc duo simul iuncta sunt calida facta prius sit postea in illis status à calore innato, nam omnia quæ habent quoq; calidum innatum, oportet ut flatuentur, omnia quæ incalescunt flatuescunt quoq;, quod quoq; manifestum esse puto in exterioribus mundi magni, nam uidemus quomodo ex aqua generantur illi flatus dum incalescit, qui quidem flatus nihil aliud sunt quàm aer. Videmus enim in mundo magno hoc, & certo scimus ex aqua aerem generari, cum incaluerint ista duo, simulq́; iuncta sint, tunc postea spiritus ille perturbat & permiscet ambo simul, nam spiritus habet permiscere ita quòd quælibet minima pars sicci contangit quamlibet partem ipsius sicci, & econtra bene & subtiliter omnia permiscentur simulq́; iunguntur. apparet ergo quomodo flatus quem dicimus esse aerem, sit principium mistionis, cum sit ille qui simul permiscet materiam generationis. hæc quoq; si bene meministis docebamus in prima primi anno elapso, sed dicemus quædam adhuc de spiritu, & si de illo dixerimus ibi, uerum loquemur de eo nunc diuerso modo quàm ibi, ita quod coniungentes ea quæ ibi diximus, & quæ hic dicemus completam doctrinam habebitis huius rei. Dicebamus autem quoq; ibi, quòd ubi mistio fit, ibi existens calor concoquit & digerit, ita quòd uel fit elixatio, uel assatio secundum subiectum ipsum in quod agit calor, uel enim est aqua, uel ter-

ra dominans, si aqua sit elixatio, si terra assatio, & cum calor in huiusmodi subiectum agere non possit, nisi habeat auxilium, ideo per spiritum agit, eoq; tan quam proprio instrumento utitur calor, in eoq; inest secundum illum propterea quoq; regitur, sed non cre datis quòd pure elementalis existens agat calor, quoniam oportet quòd regatur ab aliquo, dico cum agit in semine, nam secundum Arist. agit rectus a calore cœlesti, pure enim Elementalis non posset, sed ultra talem calorem innatum fuerunt aliqui qui posuerunt quid extrinsecum formans semen, quod siue sit formatiua uirtus, siue Cholcodea, siue Intelligentia, siue quid aliud, non curo pro nunc, non est enim locus iste disputandi hæc à nobis, quoniam alias dum de hoc ex professo loqueremur, ostendimus mentem Arist. fuisse ueram, eamq; fuisse, quòd talis esset quid intrinsecum non autem extrinsecum, nam est uirtutum decisio à patre remanens in semine à principio. Sed de hoc alias quoque dicemus melius & diffusius. supponantur nunc tanquam scita. Dico ergo quòd sunt duo semper impotētia, duo uero semper in actu. in actu quidem aer & ignis. Vnde Gal. quoq; sciens hoc dixit in 8. de plac. Hipp. & Plat. aerem semper in actu esse in corpore animalis; sed animaduertatis ut intelligatis dictum Gal. quòd non intellexit per hoc aerem purum simplicem, sed spiritum qui in corpore humano siue animalis est, nam aer purus frigidior est ipso spiritu, unde non semper est in actu ille aer, sed spiritus semper in actu est, qui spiritus ut dicebat

bat Plat. in Timæo. medius est inter aerem & ignē, & ex illis mistus. sed cum hoc dicat Plat. tñ Gal. in illo 8. de plac. Hippoc. & Plat. dixit spiritum mistum esse ex aqua & aere, sed postea ipsemet alias, hoc est in prima particula aphor. tex. illo, qui plurimum calidi habent innati, &c. uoluit idem cū plat. quid ergo dicemus in hac contradictione apparenti Gal. & Plat. & Gal. ad semetipsum, cum modo dicat cum Plat. modo aliter? ut ergo soluam illam, notate quoniā cum Plato dixit spiritum mistum esse ex igne & aere, intellexit uno modo, cum uero Gal. dixit aliquando eum esse ex qua & aere, alio modo intellexit, cum Plato quidem dixit esse ex igne & aere & quandoque Gal. considerauit tunc magis rationem formalem ipsius quàm materialem. Cum autem Gal. quandoque dixit eum esse ex aqua & aere, respexit magis ad rationem materialem ipsius quàm formalē. Vnde respiciens quoque hoc Hippoc. dixit in illo suo lib. de ratione uictus. quòd multi spiritus sunt circa aquas, quoniam ex illa generantur et aere ibi existente. Quomodo autem considerauit magis rationem formalem Plat. ipsius spiritus declaro, nam cum spiritus sint frigidiores igne, calidiores autem aere, Ideo dixit ipsos esse medios et mistos ex illis duobus. Sed Gal. quomodo considerauit magis rationem materialem, manifestum est, nam ex illis duobus generantur tanquam materia ipsi spiritus. ergo ut ex his possumus colligere, sunt ex aere, aqua, & igne. & ita habetis quomodo concordetur ista apparens contradictio

inter

inter Gal. & Plat. Amplius oportet quòd notetis unum aliud, quomodo scilicet aer semper in actu est in corpore animalis, nam non quatenus aer, sed quatenus spiritus est semper in eo in actu. Hippoc. *enim in lib. suo de natura fœtus scribit, quòd in utero ubi semen iniectum est flatuatur. reliqua quæ dicit uidebitis ibi apud ipsum, quoniam non solum de generatione ait ipsius animalis, sed etiam de qualibet mistione corporis. habetis saltem quòd statim generantur flatus in ipsis rebus, & maxime in ipso semine, cum iniectum est in uterum mulieris.* Volo *ergo propterea inferre quòd duo semper sunt in actu in omnibus corporibus mistis, tum calor tum spiritus. Quod autē hoc sit uerum primo manifestum est quo ad animalia ipsa, sensu enim id præcipimus, patet quoque quo ad plātas ipsas. in ipsis enim sunt calores & spiritus, nam uidemus hoc esse uerum ex concoctione illarum, ex resolutione superfluitatū, maxime tamē si ligna cōburantur, nam uidemus quòd crepitant maxime si ligna sint uiridia, nam illa habent meatus & poros strictiores, ideo cum per uim ignis semper comburantur ligna, aer quoque expellitur: qui cum non ita commode exire poßit per strictiores poros, sicut per latiores, ideo quoq; magis crepitat quàm sicca habentia poros latiores. uidemus propterea ad combustionem lignorum fieri fumum loco ipsius aeris qui exit. Quare quotiescunque aliquid aduritur, uel comburitur, fit aer ille sicut fumus, quoniam Arist. appellauit aerem inflammatum, metallica autem comburuntur*

tur

tur & ardent. Sed ex illis non uidentur fumi, quoniam aer inclusus & spiritus est crassior, & terrestrior, & corpulentior. Nam si modo uerum est illud quod iam declarauimus quòd in humido spiritus generatur, ex illoq; est, quanto ergo crassius fuerit ipsum humidum, tanto quoq; crassior erit spiritus, quanto subtilius & tenuius, tanto tenuior atq; subtilior, tamē ratione ipsius agentis habita scilicet caloris, uel debilis, uel fortis, quanto enim debilior fuerit, tanto spiritus erunt crassiores. quanto fortior erunt subtiliores. Vnde Gal. in lib. de utilit. respir. & pulf. & in lib. de iectigat. trem. & spasmo dicebat, quòd existente sanitate in corpore humano spiritus sunt mediocres, neq; crassiores, neque subtiliores. Vnde ex illis cognoscimus sanitatem, nam uidemus operationes illius corporis mediocres, & sanas. tēperare ergo spiritus bonum est, & temperatos habere, quoniam ex illis postea fiunt ægritudines quàm plurimæ, neq; aliquod mistum generatum potest esse, quod non habeat spiritus istos, & nisi habeat temperatos, non est bene mistum. Vnde etiam Hipp. in illo suo lib. de flatibus, siue modo sit Hippoc. siue Athenei, ut quidam uolunt, non curo de hoc, siue sit huius, siue sit illius, scio tamen quòd sunt optima dicta in illo lib. dicebat de aere loquens, siue spiritu, quòd in omnibus istis mistis reperitur. quoniam omnia quæ sunt in hoc magno mundo mouentur per aerem & flatum, tantum enim illi attribuit, ut dicat ipsum esse in causa cur omnia moueantur. nihil enim moueretur nisi

nisi esset spiritus iste. per aerem autem non intelligit fortasse sicut creditis uos, sed intelligit hoc totum simul uniuersum, quoniam & in cœlo & ubiq; est ipse spiritus mouens, ad quod allusit quoq; poeta.

Et hoc cœlum quod dicitur aer.

dicebat Lucretius. *immo quod plus est in diuinis regnat spiritus. ostendimus enim aliàs apud antiquos quoq;* Theologos *spiritum in intelligentijs esse, unde dicebatur apud illum.*

Et spiritus Domini ferebatur super aquas.

Quid enim est in quo non infundatur spiritus? spiritus per omnia infunditur, in omnibus est. & quod hoc sit uerum manifestum est quoq; poetis non dicam solis philosophis, audiatis illum poetam qui dicebat.
Principio cœlum, terramq; &c.

Ista iam sint dicta sufficienter de aere quemadmodum necessarius est in ipsa generatione omnium mistorum corporum cum per illum omnia moueantur, omnia permisceantur, sed non solum necessarius est ad generationem ipsam, sed etiam ad conseruationem corporis humani & aliorum animalium. ad conseruationem enim illius cum sint aliqua necessaria inter ea est aer necessarius, primo quidem est cibus qui est loco terræ, potus autem loco aquæ, aer tertio loco aeris, cum enim ex terra & aqua componantur, atq; generentur corpora animalium, tanquam ex materia & aere tanquam forma continueq; perdantur, & ad corruptionem tendant, ideo si mista manere debeant, oportet quòd tantum restauretur, quantum deperditum

iste aer qui attrahitur quotidie per arteriam ab animalibus sit necessarius ad conseruationem illorum, alioquin morerentur, & quem usum habeat qui attrahitur siue per poros siue per arteriam. Est difficillima quæstio, ideo animaduertatis, quoniam in hac sunt quàmplurimæ opiniones antiquorum uirorum, atq; in medicina philosophiaq; peritißimorum, & grauißimæ authoritatis, nam alij dixerunt propter unũ attrahi à nobis aerem, alij propter aliud, nõnulli quidem dixere aerem attrahi ut uacuum nõ concedatur, quod tantum abhorret natura. Cũ enim continue fiat resolutio spirituum, ideo ut continue aliquid aliud loco illorũ succedat, natura prouisit attractionẽ aeris, alioquin uacuum daretur, quod est impoßibile. et hæc uidetur opinio fuisse ipsius Erasistrati. *Nonnulli alij uoluerunt aerem attrahi continue propter nutricationem ipsorum spirituum, ut scilicet continuæ nutriantur, & hæc uidetur fuisse opinio* Hipp. *in libro de natura fœtus. uidete in principio illius libri.* Nonnulli *alij uoluerunt ingestum esse aerem continue propter euentationem solam atq; refrigerationem ipsius caloris, nam nisi refrigesceret & euentaretur, ita inflammaretur, ut seipsum perimeret: & hæc opinio uidetur fuisse ipsius* Dioclis. *Nonnulli alij grauißimi dixerunt hoc continue fieri propter continuam generationem ipsius animæ & hæc opinio uidetur fuisse ipsius* Praxagoræ. *Et cum isti grauißimi uiri in hac re hoc modo dissensi essent, nullusq; optime & perfecte rem explicaret* Gal. *ille diuinus, cui tantum*

debemus succedens, uidit nullam opinionem perfectã esse, sed omnes simul sumptæ faciunt rem perfecte claram, ideo ipse posuit quoq; in hoc opinionem suam dũ omnia comprehendat. dicit enim aerem continue attrahi tum ut non detur uacuum, tum propter nutricationem spirituum, tum propter euentationem ipsorũ. Quid ergo dicemus in huiusmodi re cõtrouersa? quid iudicabimus inter tot uiros grauißimos? certe oportet q. hanc litem relinquamus ipsi rei naturæ, natura enim rei erit iudex diremptrixq; controuersiæ. difficillimum enim nobis est iudicare sine ea. Consideremus ergo naturam rei, deinde examinemus huiusmodi opiniones. consideradã est primo natura ipsius caloris, dicebat autem Gal. ille diuinus omnem calorẽ qui aliquo sensu corporali sentitur siue sit modo corpus calidum, habere duos motus contrarios, unum quidẽ habet sursum ut tendat ad suum locum, alium uero habet motum deorsum ut ad suum fundamentum uadat, quo illo poßit nutriri, alioquin extingueretur: flabellatur autem & euentatur ab hac parte alioquin periret. Vnde uidemus quoq; sensibiliter omnem flammã habere istos duos motus contrarios, sursum & deorsum. Quapropter si tollatur unum ex illis quisquis sit ille, flamma peribit, nam uidemus quòd si flamma ponatur in aere calidißimo extinguetur, ratio huius est quia tollitur unus motus, ille scilicet qui est deorsum. tota enim flamma quærit tendere sursum, exhalat enim propter calorem, sic quoq; si alius motus tollatur, qui est sursum, deorsum tamen moueatur, extinguitur

tingnitur flamma. nam si illa ponatur in frigidissimo aere cum maxime refrigeretur non potest ascendere, & si descendat uersus suum fundamentum ut nutriatur. Quare quicunq; subruatur extinguitur flamma, unde uidemus quòd in Alpibus multi homines moriuntur, qui illac transeunt, quoniam tanta sunt ibi frigora, ut propterea calor innatus amittat motũ sursum, & sic extinguitur. ambo ergo motus sunt necessarij in quocunq; corpore calido quod sentit; quotiescunq; autem sunt duo motus necessarij alicui rei pro existentia, uno illorum remoto remouetur quoq; res ipsa, secundum quòd dicebat quoq; Gal. sic quoq; dicamus in corpore humano propter calorem ipsum sunt duo motus contrarij, sursum & deorsum. sunt quoq; dilatatio & constrictio ipsarum arteriarum, quæ dicuntur systole, diastole, nam illi quoq; duo sunt necessarij, alioquin uno ablato aufertur homo, nã ablata systole aufertur siue alio ablato, hoc est ergo unũ fundamentum in hac re. Amplius dicamus quòd cum calor sit quidam actus agens, oportet ergo quòd semper agat alioqui nisi ageret extingueretur, quòd habeat quoq; subiectum & materiam in quam agat, ista autem materia humidum radicale est, semper ergo indiget humido, ergo non est calor nisi cum aliquo humido. propterea bene dicebamus aliàs cum loqueremur de hoc, quòd noster ignis non caret humido, immo semper habet illud annexum, neq; sine eo reperietur. quod quidem cum dixissem, quidam Doctores mirati sunt, tanquam si quoddam paradoxum protulissem,

sem, cum tamen ipsi quoq; rem postea uiderint clarā esse, nam scimus, ut ostendebamus ibi, omnia in hoc mundo corporum corruptibilium esse permista, ideo ignis non manet simplex, sed semper cum humido aliquo est: unde ignis potest dupliciter considerari, uno modo quoad eius essentiam, secundo modo quoad esse. si quo ad essentiā consideretur, tunc dico quòd ignis est quædam substantia calida siccáq;, & ut sic non habet annexum humidum sed ut consideratur secundum esse, dico quòd semper est cum humido, neq; in actu unquàm reperietur sine humido. bene concedo si accipitis eius substantiam abstractam ab existentia in actu, quòd ignis non est humidus, sed quoad est in actu nunquàm possibile est ut reperiatur quin sit humidus. habetis ergo hactenus duo fundamenta, primum q̃ ignis habet duos motus contrarios, & quodlibet corpus calidum, unum supra ut ad suum locū uadat, alium deorsum ut ad alendum tendat, secundum autem quemadmodum semper indiget alimento, quod quidem alimentum humidum est, tertium autem fundamentum erit quoniam cum semper fiat aliqua euaporatio ipsius caloris ex corporibus humanis, quòd fiat semper aliqua quoq; restauratio, quoniam nisi implerentur pori qui euacuantur per euaporationem partium corporearum, tunc daretur uacuum, quod tantum abhorret natura. ut ergo non detur uacuum oportet fieri aliquam restaurationem. his sic positis atq; constitutis iam uidebimus quæ opinio sit uerior, bene omnes sunt ueræ, quoniam omnes tetigerunt aliquam

quam necessitatem, sed est una quæ tetigit maiorē necessitatem huius restaurationis. sunt autem incompletæ omnes istæ opiniones, nisi simul sumantur, sicut diuinus ille Gal. fecit, nam diuersi diuersam naturā ignis cognouerunt, unam enim naturam considerauit Erasistratus cum dixit quòd facit euaporare ideo ne detur uacuū, natura prouisit de cōtinua restauratione. Quantum autem ad ipsum Hipp. dico quòd non solum tetigit unam necessitatem huius restaurationis, sed duas, unam quidem quam diximus pro nutricatione & alimento ipsorum spirituum, adiunxit quoq; in alio loco aliam necessitatem, quæ est propter uacuum, scilicet ne detur uacuum, & hanc quoq; sumpsit Gal. ab ipso in primo aph. in illo aph. qui incipit. qui plurimum habent calidi. postea Gal dixit quoq; aliam necessitatem pro refrigeratione. scilicet ipsorum spirituum, quam dixit in lib. de natura fœtus. Quare hanc necessitatem quam dixerat Diocles coniunxit Gal. cum alijs, fecitq; completam opinionem, quæ rē hanc claram redderet. sed comparemus parumper omnes inuicem opiniones, & uideamus quis illorum tetigerit maiorem necessitatem, propter quam aer inspiratur, nam necessitas quidem est pro nutricatione ipsorum spirituum, quoniam nutriuntur, ut ostendemus, sed tamen non fuit tanta necessitas ut nutrirentur, ut natura dederit hoc onus inspirandi, quoniā illi poterant aliunde nutricari, scilicet ex uaporibus illis eleuatis à sanguine subtiliori, & ideo quātum ad hoc possemus stare sine anhelitu, tamen hoc est impossibile.

le. quòd hoc sit uerum, patet quoniam si ligentur ipsæ arteriæ quæ uadunt ad cerebrum, ita ut aer non possit ire ad cerebrum, tamen nutriuntur illi spiritus qui sunt ibi, quoniam uidemus homines qui non moriuntur, tamen si esset datus pro nutricatione spirituum anhelitus morerentur. quod diximus de arterijs cerebri, dicatis nos de arterijs cuiuscunq; alterius membri. Amplius manifestum quoq; fiet quòd nō erat tanta necessitas pro replendo, ut propterea natura dederit animali anhelitum, quoniā bene esset necessitas ista, quæ urgeret si uasa continentia tum humores tum spiritus essent tanquam quoddam uas ligneum, quod quidem non posset considere neq; cedere, nam cum continue partes resoluantur, oportet etiam restaurari. sed quoniam huiusmodi uasa sunt considentia ita quòd possunt laxari, possunt constringi pro inanitione & repletione ipsorum. Quare nō erat tanta necessitas pro replendo uacuo ut nisi esset anhelitus homo moreretur statim, quoniam ut dixi cū uasa inaniuntur, considere possunt, & sic quoq; replere uacuum, sed prima principalisq; necessitas urgens fuit pro flabellatione continua, & euentatione ipsius caloris innati & spirituum, nam tanta fuit necessitas pro flabellatione illorum, ut cum motus iste anhelitus cesset statim moriatur homo, quod non esset nisi esset quàm maxima necessitas. maxime ergo necessarius spiritus innatus & calor qui non differunt subiecto, sed sola ratione, sicut aliàs ostendimus flabellantur continue per aerem inspiratum, primo quidem

dem refrigerat & prohibet ne calor sursum tendat ad suum locum, nisi enim esset refrigeratus sursum tẽderet & motum ad infra amitteret, consequenterq; extingueretur, secundum quòd dictum est. Vt ergo flabelletur calor, datus est anhelitus pro principali necessitate, neq; putetis me introducere ista noua in has scholas, quoniam non sunt noua, immo sunt antiqua, omnia enim ista sunt Gal. *in lib. de util. resp. & puls. & clarius in lib. de iectig. trem. & spas. etsi ista dicat alijs uerbis; ego enim breuiter quo fieri potuit collegi omnia quæ ibi habet, cum tamen ipse longissimo sermone ista recitet. Quare iam habetis magnam primamq; necessitatem anhelitus, propter scilicet uẽtilationem & flabellationem ipsius caloris naturalis & spirituum, ad hanc autem necessitatem principalem cõsequuntur aliæ duæ necessitates, quoniam cum flabelletur calor & spiritus, uacuum quoq; repletur. secundo spiritus ipsi nutriũtur, sed non est datus principaliter anhelitus nisi propter primam, nam possemus etiam stare sine anhelitu, nisi illa necessitas magna urgeret, quoniam propter illam datus est anhelitus. nisi enim continue flabellaretur calor naturalis igniret & ita inflammaretur, ut homo suffocaretur. cuius illud signum est magnum, quòd si homo ponatur in feruentissimo calore suffocatur, quando cum tã extrinsecus sit calidus cum attrahatur per arterias non potest flabellare calorem & spiritus ipsos, ideo exhalat calor & homines suffocãtur, si etiam ponatur in magno frigore quoniam anhelitus prohibetur suffocatur,*

ſpcatur, ſicut contingit in Alpibus. Quare habetis modo quomodo generātur ſpiritus, ex quibus & quo modo neceſſario continue flabellentur, alioquin homo moreretur. hæc pro hodierna lectione ſufficiant, poſtquam non uultis me amplius legere, cras ſi quid relictum eſt in hac materia colligemus, ut ueniamus ad expoſitionem Auic.

LECTIO XLVI.

CVM dictum fuerit in fine præcedentis lectionis quòd ſpiritus ipſi nutriuntur ex Gal. ſententia per aerem inſpiratum per arterias, cum tamen non principaliter propterea datus ſit anhelitus, ſed ſecundario, ideo hoc uidens ille Gentilis uolens refragare ſententiæ huic inſurgit & contra Gal. uult habere opinionem, cum tamen uellet ſuo modo accommodare Gal. uerba, ne uideretur quoq; Gal. illi eſſe contrarius, ſed eſſe pro ſe, ita quòd uellet eſſe cum Gal. & Auic. & cum iſte Gentilis ſit apud iſtos magnæ authoritatis, ita ut illum appellent ſpeculatorem ſubtilem, ideo oportet quòd uideamus illius argumenta quo poſſimus omnia confundere, quoniam nihil penitus huius rei intellexit. utitur quidem argumentis apparentibus, & probabilibus, ita quòd uidetur trahere rem omnino ad ſuam opinionē. Nam iſte homo ponit duas principales probandas concluſiones, prima quarum eſt quòd ſpiritus non nutriuntur. ſecunda eſt quòd ſi ſpiritus nutriuntur, non nutriuntur aere, qui per arterias & poros inſpiratur. Volo autem quòd ipſius

argu-

argumenta referamus & argumentemus quoad fieri possit, ut possimus uidere numquid facere possit difficultatem. Ad probandas ergo ambas conclusiones utitur argumentis. ad probandam quidem primam primo sic arguit, quòd spiritus non nutriantur nam nullum inanimatum nutritur, sed spiritus sunt inanimati ergo non nutriuntur; argumentum quidem hoc est in prima figura optimum quoad formam syllogismi. ideo cum sit bonum argumentum probat postea maiorem propositione, quòd nullum inanimatum nutriatur ex definitione nutritionis data ab Arist. in suis lib. nam nutritio non est nisi in animato cum per animam tãquam principalem agentem fiat, sed minorem propos. non probat Gentilis, quoniam tanquam manifestam & probatam relinquit. ipse enim tenet spiritus non esse animatos, quòd autem non sint animati, quia non habent instrumentum per quod nutriantur. cum autem habuit quòd non nutriuntur procedit ad probandam secundam conclusionem, quæ quòd spiritus si nutriuntur, non nutriuntur aere inspirato, in hoc autem augmentabo sua argumenta, ut totus sim cum ipso in inueniendo argumenta facientia pro eius opinione, quo melius postea pateat quantum deuiarit. Probat enim primo hoc ex authoritate ipsius Auerr. qui de hoc contra Gal. locutus est in suis coll. dicit enim quòd spiritus non nutriuntur ex aere inspirato. secundo arguit ad idem probandum argumento accepto a commutata proportione. Nám sicut se habet aqua ad partes solidas ipsius corporis, ita se habet

aer ad spiritus, sed aqua neq; pura, neq; permista nutrit membra solida, ergo neq; aer nutrit spiritus ipsius. Amplius *sic arguit, spiritus non sunt compositi ex acre, ergo non nutriuntur ex illo, nam ex eadem materia nutrimur ex qua constamus. si ergo aere nutrirentur spiritus, tunc illi essent ex aere compositi, quod tamen falsum est. antecedens autem probatur quòd spiritus ex solo aere non sint ex authoritate* Gal. *in primo aphor. aph.* 14. *& in lib. ad* Glauc. *et ubiq; ferè ex sentẽtia quoque* Hippo. *qui dicit ꝙ spiritus sunt corpus mistum ex omnibus elementis, non autem ex solo acre.* Amplius *probatur ex sentẽtia* Plat. *sicut superius ostendimus, cum ergo ex solo aere non sit, ergo ex solo acre nõ nutritur:* Præterea *ad idem sic arguit. in illis uere fit nutritio, estq; nutrimentũ in quibus partim illud quod nutrit expellitur, partimq; retinetur. sed aer cum inspiratur pro nutritione spirituum per te non partim retinetur, partimq; expellitur. ergo non est uerum nutrimentum ipsorũ spirituum. bonum argumentum est & quo ad maiorẽ propositionem illam probat per* Arist. *qui quidem loquens de nutritione quomodo fit dicebat quòd cum nutriri debet membrum aliquod, oportet quòd prius concoquatur alimentum ipsum, modo concoctio nihil aliud est quã segregatio boni a malo, idest illius quod nutrit ab illo quod non potest nutrire, quod est excrementum. ergo siquid nutrire debet oportet omnino quòd aliquid segregetur & expellatur. hæc enim est conditio ipsius nutritionis, non enim fieri potest sine*

concoctione, quæ non potest esse sine alicuius expulsione, ut apparet ex ipsius essentia. hæc est sententia Arist. in lib. de sensu & sensili. postea propositio minor probatur per sententiam ipsius Gal. in suo illo lib. de util. resp. ubi inquit quòd tantum de aere inspirato exit quantum introductus est. si ergo tanta quātitas est expulsi, sicut illius qui fuerat introductus, ergo nihil de ipso retinetur, ergo non est nutrimentum ipsis spiritibus, ubiq; quoq; Gal. dubitabat de hoc, dicebat enim dubium est quomodo spiritus ex inspirato aere nutriantur, cum tamen reddatur quantū introductum erat, & ideo roboratur quoq; ista opinio hoc modo, aer est corpus simplex. est enim unum ex quatuor elementis, quæ secundum omnes sunt corpora simpliciora in his inferioribus: ergo non nutrit. nam si nutriret sequeretur quòd aut totus retineretur, aut totus expelleretur, sicq; non nutriret. quòd autem non retineatur totus manifestum est, quoniam uidemus ipsum quoq; expelli, sed si totus expelleretur, esset potius corpus eterogeneum quàm homogeneum. istæ sunt omnes rationes quæ possunt pro hac opinione dici. Gentilis enim recitat quoque illa, & cum possent facere aliquem cadere quæ quidem omnes rationes apud me nihil ualerent, sed uanæ essent, neque manerem in hac re, sed quoniam sunt postea rationes Arist. quoque id probantes, quæ sunt multo ualidiores ac difficiliores, ideo oportet quòd persistam parumper. Aristot. enim lib. suo. de spiritib. format pro hac opinione (quoniam ipse quoq; tenet

spiritus

ſpiritus nutriri) rationes hoc modo, quæcunque nutriuntur habent inſtrumenta per quæ fit nutritio, ſi ergo ſpiritus munirentur ſequeretur quòd haberent quoque inſtr. per quæ nutrirentur. modo uidemus quòd aer attrahitur per arteriam aſperam, quæ eſt idem unumq; inſtrumentum, tum in attractione ſpiritus, tum in ipſius expulſione; ergo natura deficiſſet in neceſſarijs, cum neceſſarium ſit unum inſtrumentum pro attractione, aliud uero pro expulſione, tamen dediſſet unum tantummodo, neq; uidemus poſtea inſtrumenta, per quæ poſsit ſumere nutrimentum ipſe ſpiritus præterea omnis motus fit in tempore, ſed nutritio eſt motus, ergo fit in tempore, tunc ſic nutritio fit in tempore, ideſt nutrimentum aſsimilatur ipſi nutrito in tempore, modo aerem qui inſpiratur uidemus quòd in inſtanti expellimus, ergo aer non nutrit ipſum ſpiritum. Amplius cibum nutriens cum nutrit aut ingroſſatur, aut ſubtiliatur in concoctione, ſed aer inſpiratus, neque ingroſſatur, neque ſubtiliatur, ſed ſicut inſpiratur ita redditur, ergo non nutrit ſpiritum: iſta ſunt omnia argumenta probantia ſpiritum non poſſe nutriri aere, tum ſecundum Gentilem, tum ſecundum ea quæ nos adiunximus, tum ſecundum Ariſt. Quæ quidem argumenta meo quidem iudicio nihil concludunt in oppoſitum ſicut uidebitis: nam dabimus nos unam ſolam reſponſionem, qua ſoluentur per ſe omnia illa. Nam ponimus nos concluſionem omnino oppoſitam illi, cum dicamus quòd ſpiritus nutriuntur, & cum hoc quòd dicimus nutriri ex aere inſpirato

ſpirato, & hanc concluſionem ſuſtinemus ſecundum ſententiam quoq; Gal. in lib. de util. reſp. & in. 7. lib. de uſu part. Pro *cuius rei intelligentia debetis primo aduertere quòd inſpiratio aeris ſicut ſuperius docuimus data eſt à natura per unam magnam neceſsitatem, quam quidem fugere non poterat, ſcilicet euentationem caloris naturalis, & ſpirituum, ſed conſecutiue poſtea propter nutricationem ſpirituũ, quoniam natura ſagax fuit, quæ prouiderat aliunde de nutrimento ipſorum, nam prouiderat illam ſubtilem euaporationem ſanguinis, ex quo commode nutrirentur, ideo abſq; hoc quòd dediſſet inſpirationem aeris animal poterat ſtare minus propter repletionem uacui quoniam ſine ea poterat facere natura cũ condiderat uaſa quæ conſidere poſſunt & cum exinaniuntur replent uacuum poſſuntq; denuo dilatari cum replentur ideo abſq; hoc ꝙ natura dediſſet inſpirationẽ aeris, animal poterat uiuere. Quare nulla iſtarum neceſsitatum fuit ſufficiens, propter quam daretur inſpiratio aeris a natura. fuit enim alia maior neceſsitas, propter ſcilicet refrigerationem, atq; euentationem ipſius caloris & ſpiritus, nam niſi continue refrigerarentur, ignirent, ſicq; interirent, ideo neceſsitas fuit iſta principalis, quæ impulit naturam ad dandam inſpirationem ipſius aeris. Verum tamen eſt quòd & ſi natura ſagax propter hanc principalem cauſam urgentem dederit huiuſmodi reſpirationem, tamen quia ſemper per pauciora natura facit multa, non ſolum utilia ſed & neceſſaria, ideo prouiſit ut ad*

ad inspirationem aeris, primo refrigerarentur, atq; euentarentur ipsi spiritus, consecutiue autem, & secundario nutrirentur, & uacuum replerentur. tâq; enim ad harmoniam & quandam conuenientiam nutricantur cum refrigerati sint spiritus et uacuum repletur, quoniam continua fit amißio partium spiritualium; sed quoniam iste aer habet partes similes quoq; ipsi spiritui, non tamen omnino similes, ideo indiget alteratione priori. per quam quidem alterationem aer quoad fieri potest similaretur spiritui alioqui ex ipso nõ nutriretur: propterea natura prouisit ut aer alteraretur in illis partib. quæ dißimiles sunt. si autem sunt quædam partes quæ aßimilari non possint ipsi spiritui expelluntur, quoniam spiritus nõ nutritur nisi similibus, sicq; partes similes retinentur, ut ex eis nutriatur, ut ergo nutriatur oportet alterationem antecedere ipsius aeris secundum quòd Gale. docebat in septimo illo suo lib. de usu part. Quare nã sagax, prouidáq; in pulmonibus curauit alterandum atq; concoquendum ipsum aerem, ut ibi fieret segregatio partium similarium a dißimilibus quæ nihil aliud est quàm ipsa met concoctio, nam sicut nutrimẽtum quòd nutrire habet solida membra antequam accedat ad ipsa nutrienda, primo in hepate concoquitur optime & præparatur, segreganturq; partes dissimiles, idest excrementosæ à similibus, & quòd hoc sit uerum, uolo quòd comprobemus id experientia quotidiana. Nam si incidatis ipsos pulmones semper in ipsis inuenietis aliquas partes aereas, quod non est

nisi

nisi quia ibi præparatur aer & alteratur, atq; conco quitur antequam accedat ad nutriẽdum spiritũ. Vnde *dicebat quoq; Gal. quòd in anatomia hoc est manifestum, nam cum inciduntur pulmones in ipsis inuenimus aerem infixum in suis concáuitatibus, semper enim in ipsis est aer, ut præparetur pro continua nutritione spirituum ipsorum.* Quare *iam habemus q; aer inspiratus habet refrigerare spiritum, & calorẽ naturalem, nutricare ipsum, & replere uacuum, sed maxime & primo habet refrigerare spiritum, sicut dictum est.* Manifestum *ergo est quòd nos tenemus secundum rei ueritatem spiritum nutricari aere inspirato, & hæc præpositio omnino est opposita propositioni ipsius* Gentilis, *quam probauimus argumentis secundum ipsum.* Gentilis *enim dubitauit in hoc, & cũ eo* Arist. *tandẽ concludẽtes spiritũ nõ nutriri, et si nutriretur nõ nutriri aere inspirato.* De Gentile *ego nihil perfectò curarẽ, quoniã sua argumẽta ex malo intellectu huius rei procedũt, nihil.n.intelligit in hac re etsi subtilitatẽ profiteatur secundũ istos doctores nostros, magis curandum de* Arist. *mirum enim est quòd negarit spiritum nutriri, cum ipse quoq; non cognouerit naturam omnino ipsius spiritus.* Nam *dicimus nos quòd spiritus feruentißimus & calidißimus est secundum* Gal. *& ipsum quoq;* Arist. *cum in sinistro cordis uentriculo generetur ita feruidus est, ut dicat* Gal. *quòd si imponatur in ipso digitus comburat ipsum, tãtarum uirium est, ideo oportet ipsum refrigerari, quoniam nisi refrigeraretur ita subtiliaretur per calidita*

tem

tem ipsius, ut omnino exhalaret, & perderet motum illum deorsum, quem diximus supra necessarium esse ad sustentationem ipsius. ut ergo sustentetur in esse, oportet ipsum continue refrigerari, ut ergo refrigeraretur continue natura præparauit aerem ipsum, qui continue quoq; inspiraretur, & esset pro ipsius pabulo & alimento, quoniam continue exhalat propter intensam ipsius caliditatē. prouisit ergo natura non solum de uaporosa parte sanguinis pro ipsius nutricatione, sed etiam de inspiratione aeris frigidi. Nā spiritus sunt calidißimi, quemadmodum dictum est, modo quæcunq; calida sunt actu maxime ignis, habēt hoc, quòd semper agunt, semper nutriuntur, semper generantur, & semper corrumpuntur, semper in motu sunt, secundum quòd docebat Theophrast. in suo illo diuino lib. de igne, Vnde non est aßignare eundem ignem, eandemq; flammam, nunquam enim hoc poßibile est, quoniam semper in fluxu est, semper generatur, semperq; corrumpitur, semper absoluit materiam aliquam. ergo & ipsi spiritus continue agūt, semper generantur, semperq; corrumpuntur. Cum autem semper corrumpantur, oportet quòd generentur quoq; semper, & augeantur, sicut diminuuntur, alioquin interirent. non augentur autem nisi per aliquam materiam accedentem. oportet ergo quòd si debent generari semper, ut semper accedat materia per quam nutriantur, sicq; semper augeantur pro ipsorum continua diminutione, istam autem materiam qua nutriendi sunt spiritus, oportet esse humidam, nā calor

calor

calor nutritur humido semper, quoad enim humidum nutrit ipsum illuc usq; uiuit calor et spiritus, cum cessat humidum, cessat quoq; calor sine humido, ergo cũ calor esse non possit & continue humidum deperdatur, oportet quoq; quòd continue restauretur. restauratur autem tum per uaporosam partem ipsius sanguinis, tum per inspiratum aerem. ergo ex aere illo spiritus & calor naturalis nutriuntur, habemus ergo duo hic quòd spiritus primo nutriuntur, secundo q cum hoc quòd nutricantur, nutricantur ex aere inspirato. Sed tamen uerum est quod huiusmodi nutricatio ipsorum spirituum non est sicut nutricatio ipsorum animalium. non enim nutriuntur spiritus eo modo quo nutriuntur animalia, nam nutricatio ista non est uere nutricatio, quoniam uera est solum ipsorum animalium, sed est nutricatio transumptiua, & metaphorice sumpta, nam transumpta est huiusmodi nutricatio spiritus à nutricatione animalium, ita ut dicere possimus nutritionem dici & prædicari, tum de nutritione ignis, tum de nutritione animalis, sed non uniuoce sed transumptiue, idest secundum prius, & posterius analogiceq; , si philosophice loqui uolumus et metaphorice, idest similitudinarie & transumptiue, si secundum grammaticos uolumus loqui, nam nutritio dicitur de nutritione animalis per prius; de nutritione autem ignis per posterius, ita quòd transumptum est hoc nomẽ ab animalibus ad ignem similitudine quadam intercedente. Quapropter dicamus quòd continue quidem & semper spiritus nutriuntur, sicut eo-

Nam nullum inanimatum nutritur per definitionē nutritionis datam ab Arist. concedo hanc authoritatem. sed postea cum inquit quòd spiritus non sunt animati, dico quòd petit principium. Nam relinquit hanc minorem tamq; probatam & per se notam, cum tamen probatione indigebat. oportebat enim ipsum probare hanc propositionem, sed in ea probanda est fugitiuus. Nam nos probauimus aliàs secundum Gal. ipsum spiritum esse aut animam, aut proprium instrumentum animæ, immo dicebat Gal. in illo suo lib. quòd animi mores sequantur temperaturam corporis, ꝙ spiritus est uerum domicilium animæ. Cum enim incorporeum corporeo iungi non posset, ideo natura sagax et prouida mediante quodā medio inter utrūq; scilicet spiritu, coniunxit huiusmodi duo animam & corpus. sine spiritu enim animatum esse non potest, quoniam animam non haberet, cum illa per spiritum corpori coniungatur. Quare cum spiritus sint animati, nutriuntur, & fallit suum argumentum quoniam non probauit minorem propositionē, nam multa probatione indigebat. ipse tamen ignarus reliquit eam per se notam, & quòd non sit per se nota manifestum est, quoniam multum quæsita est apud nostros quoque modernos, qui solent quoque formare quæstionem hoc modo, utrum spiritus sint animati. Veniamus modo ad soluenda argumenta per quæ probat secundam suam conclusionem, quòd etiam si spiritus nutriātur, non nutriuntur aere. primo enim eam probabat ex authoritate Auer. in suis collect. Ad

spiritus sunt animati

quod augmentum respondeo, quòd nihil ualet, nam quid ad me de Auerr. cum ipse multum sit malignus in decisionibus rerum ipsius Gal. & ubi potest, ipsi contrarietur, etiam in rebus uerissimis; ideo si est malignus contra Gal. nihil facit ad rem cum adducet rationes contra hanc naturam & Gal. sententiam, tunc illas soluam, sed quia ut dixi, Auerr. malignus est, ideo contrariatur quidem in hoc Gal. non tamen contra ipsum argumentatur. ideo dimittam hoc argumentum quoq; ego, quoniã nihil ad me authoritas ipsius, bene argumenta ualerent, si ea adduceret, sed non adducit. Ad secundum autem ipsius Gentil. argumentum quod erat huiusmodi, sicut se habet aqua ad partes similares, sic se habet aer ad spiritum, Dico quòd debetis animaduertere quòd huiusmodi argumenta accepta a commutata proportione, concludunt illud quod possunt, idest parum ualent & paucæ probationis et autoritatis, & dimittamus etiam ualere, concedo totum, sed quando dicit quòd aqua non nutriuntur ipsa membra solida, ergo neq; spiritus nutrientur aere, nego consequentiam. Nam primo dico, quòd data est aqua pro nutritione, & aqua multum confert ad penetrationẽ ipsius alimenti ad partes solidas: Amplius humectat ipsum cibum, quoniam ex humido nutriuntur membra. habet quinetiã usum alium aqua in corpore animalis, ut scilicet non absumat humidum & exsiccetur corpus; cuius signum est illud, quòd illi qui parum bibunt exiccati sunt & demacrati, qui uero multum bibunt sunt pingues. Vnde uidemus istos Germanos

manos esse multum pingues, quoniam multum bibūt. bene tamen uerum est quòd illi non bibunt aquam, sed bibunt uinum. præterea dico etiam quòd aqua nutrit. non enim aqua quam nos habemus est illa aqua simplex elementalisq́;, sed est mista ex quatuor elementis. nullum enim datur elementum simplex in actu, sicut ratione cognoscuntur, quoniam omnia sunt mista in hac sphæra. & si aqua simplex esset, dicerem & ego quòd non nutriret, sed quoniam mista est, ideo dico quòd nutrit solida membra. quòd autē aqua ista sit mista non autem elementalis & simplex probatur, quoniam ista aqua putrescit. quæcunq; autem putrescunt sunt mista non autem simplicia, ergo & aqua est mista. Nam dicebatur quoq; ab Arist. putredinem esse quandam mistorum passionem. Vnde neq; iste noster ignis est simplex, sed est mistus. nam semper materia ea ex qua generatur iste est mista, ideo mistus quoq; generatur iste ignis, ille uero cœlestis ignis elementalis est & simplex purus, non commistus. est enim ignis cum isto modo æquiuoce ignis, quoniam in illa sphera est ita purissimus, ut non habeat caliditatem illam mordacem, immo habet illam ualde mitem, ibi non calefacit, ibiq́; non comburit, quoniam elementa simplicia non agunt in proprio loco, nisi cum insimul sunt permista. appellabat autem ipsius caliditatem Theophrast. ille γόνιμος θέρμοτεϱα. Cum ergo iam manifestum sit aquam istam nostrā mistam esse, ergo & nutrit. nam bene ualeret quòd non nutriret si simplex esset, sed omnia sunt hic com

mista, ut alias latius demonstrauimus. dicamus ergo eodem modo de aere cũ spiritu. & ideo uidetur quomodo hoc argumentum faciat pro opinione Gal. & nostra. aer enim cum non sit purus hic neq; simplex, sed mistus nutrire habet spiritum, oportebat ergo quód minorem propositionem probasset, quód aqua non nutriat, & habuisset rationem pro se. Quare relinquitur primum argumentum solutum. Quoad autem secundum argumentum quod tale erat, spiritus non sunt solum ex aere, ergo neq; solo aere inspirato possunt nutriri. probatur consequentia, quoniam ex eisdem constamus ex quibus nutrimur. & é contra per Aristot. Quód autem spiritus non sint ex solo aere, manifestum est per Gal. ubiq; ferè concedo antecedens, quód spiritus non sunt ex solo aere. postea negatur consequentia, quam infert; ergo non nutriuntur ex solo aere, intelligendo argumentum de aere nostro, qui in actu est, nam si essemus in aere simplici puro, & naturali, tunc suffocaremur; nam usum præbet quidem nobis iste aer quem attrahimus, quoniam mistus est ex uaporibus frigidis, ideo refrigerat spiritũ ipsum, eumq; nutrit, sed si in sua naturali dispositione esset, tunc ita calidus esset, ut non modo usum non præberet sed & nocumentum. ideo cum supponamus aerem nostrum esse mistum (sicut ostendimus,) dicimus quód ex illo nutriuntur spiritus, qui non sunt compositi ex solo aere. Quare nõ ualet consequeutia illa non sunt solum ex aere, ergo neq; ex eo solo nutriuntur, nam sunt compositi ex omnibus

mnibus elementis quatuor, ex illis quoq; nutriuntur, nam aer qui est hic & quem inspiramus habet omnia alia elementa permista. nam omnia hic sunt simul mista, sicut dicebat Hippoc. & cum eo Gal. nos quoq; latius ostendimus aliàs. Reliquum est ut ueniamus ad solutionem ultimi argumenti quod tale erat: in illis est uerum nutrimentum illud, quod in ipsis partim retinetur, partim expellitur, modo aer inspiratus non partim expellitur, partimq; retinetur, ergo non est uerum nutrimentum ipsorum spirituum. concedo maiorem propositionem totam, hoc enim declarauit Aristot. modo ueniamus ad minorem, quando dicit, q aer inspiratus non partim retinetur, partimq; expellitur; sed totus expellitur. nego hanc propositionē. Ad probationem illius per ipsum Gal. in fine lib. de utilit. resp. dico quòd ipse quoq; dubitauit in hac re, & pulchram proposuit quæstionem examinandam, sed ipse quoq; in hac soluenda fuit fugitiuus. dicebat enim ibi dubium uidetur quomodo ex aere nutriantur spiritus cum aer inspiratus in tanta quantitate expellitur, sicut inspiratus est. Ego certe nunquam inueni solutionem illius in lib. suis. tamen ipse ibi dicit se dicturum de illo aliàs diffusius. quoniam enim ut credo ego nondum locutus erat de ipsa dubitationis solutione: ideo ibi in futuro uerbo locutus est cum diceret aliàs dicetur diffusius. & quoniam in alijs rebus cum uult se remittere ad alium tractatum citare solet suos libr. ideo cum nunc non citet lib. præcisum in quo habuerit hanc solutionem, dicerem ego hac pro-

mißione uoluiſſe nos expedire, quia fortaſſe dubius erat in hac re, neq; ſciebat firmiter eius ſolutionem. Ego quidem non profiteor me meminiſſe omnium dictorum ipſius Gal. ſed tamen ego puto me nunquam uidiſſe in ſuis lib. qui ad nos peruenerunt, huiuſmodi ſolutionem, Et ut dixi, ſi Gal. fecisſet aliquem lib. in quo huiuſmodi ſolutionem poſuiſſet, certe ſe citaſſet, neq; ſe expediſſet eo modo. Cum ergo Gal. fuerit in ſoluenda hac quæſtione & ratione fugitiuus: ideo ego uidens quòd fortaſſe potuiſſet facere uobis magnã difficultatem, uolui ex dogmate ipſius Gal. & ſi ipſum non exhibeat excerpere diſſolutionem eius. dicebat namq; ipſe in illo ſuo ſeptimo de uſu partium, magnam fuiſſe ſapientiam naturæ in formando ipſos pulmones, nam formauit illos natura ut ſemper in ipſis aer contineretur, ne cum loquela nos impediret ſuffocaremur, & etiam ut loquela poſſet continuari, nam ſi nõ eſſet aer qui expiraretur dum loqueremur, & refrigeraret ſpiritus ipſos, oporteret loquelam ipſam intercipi, ut aer inſpirari poſſet. Cum ergo aer inſpiratur & exſpiratur, dico quòd tantum quidem (inquit Gal.) expellitur quantum introductum eſt, etſi tamen in tanta quantitate expellatur, non propter illud idem eſt aer qui expellitur cum eo qui inſpiratus eſt, neq; eadem ipſius ſubſtantia, nam expellitur aer fuliginoſus & excrementoſus, qui derelictus eſt in concoctione ipſius in pulmonibus: ſemper enim pulmones concoquunt ipſum aerem, cumq; præparant, ut poßint nutrire ſpiritum, cumq; refrigerare,

re, & semper expellit partem illius dissimilem, quæ assimilari non potuit. Quare efficiens est causa ipsius concoctionis calor naturalis in pulmonibus materiæ aeris. istum enim concoquit alterat & assimilat quoad fieri posśit, ut ex illo nutriatur spiritus, sed in omni concoctione est expulsio aliquarum partium, et aliquarum retentio (sicut dictum est.) Quare hic est pars aeris quæ retinetur; est quoq; pars quæ expellitur, tamen æqualis quantitas est aeris expulsi cũ quantitate illius qui inspiratus est. Nam cum diastole & systole in corporibus sanis sint æquales, neq; maior est necessitas ipsius dilatationis, quàm constrictionis propter refrigerationem maiorem spirituum, tũc æquales sunt quantitates aeris, tum inspirati, tum expulsi. Nam cum motus isti sint æquales, per quos motus tum aer expellitur, tum inspiratur, ergo quã ta fuerit dilatatio, tanta erit expulsio, quanta constrictio, tanta quoq; inspiratio ipsius aeris, modo per dicta restrictio est æqualis ipsi dilatationi. ergo & aer attractus per restrictionem erit æqualis aeri expulso per dilatationem. & hoc est quod dicebat Gal. se aliàs ostensurum, quomodo æqualis est aer inspiratus aeri expulso per expirationem in quantitate, quasi uellet dicere id quod nos absoluimus, quoniam restrictio & dilatatio sunt æquales motus. Quantũ autem attinet ad rationes ipsius Arist. dico quòd per habita facillime respondebitis unica responsione. quoniam illæ probant de nutricatione uera ipsius animalis, nam illa fit per instrumenta. Sed ea quæ nutriun-

tur modo ipsius ignis non indigent instrumentis, cum non nutriantur uniuoce cum ipsis animalibus; neq; enim ipse dedit tot instrumenta igni, cum dixit illum nutriri. Videatis modo omnia argumenta quæcunq; fieri possunt in hac re, & soluetis illa per fundamenta. Videatis subtilitatem Gentilis quem isti nostri moderni uocant speculatorem subtilem, nescio uidere ego istam subtilitatem. immo uideo quòd est craßißimus in hac re, aut quòd sum ita craßi ingenij, ut non cognoscã subtilitatem eius. Et hæc de hac quæstione.

LECTIO XLVII.

AER est elementum nostrorum corporum & spirituum, est etiam emanatio nostris aduenien spiritibus &c.) *Si rectè meministis quæ diximus in superioribus duabus lectionibus de ipso aere & spiritu, non erit consequenter difficile intelligere ea quæ dicuntur ab Auic. in hoc cap. in quo uult tractare de aere. declarabimus autem ipsum tex. Auic. quoniã multum errant in eius expositione eius expositores. Ego enim primo exponam secundũ rei ueritatem & meo iudicio, postea dimittam uos uidere Gentilem & Iacobum, & alios, & uidebitis quantum hallucinentur. nolo enim nunc recitare eorum expositiones, quoniam esset absumere tempus, postea confutare. Sed cum cognoueritis bonam & ueram expositionem, accedens postea ad illos, & clare uidebitis in quibus errent. erimus ergo textuales hodie, cum iam speculationem præmiserimus. sed ut intelligatis*

gatis hanc primam partem, animaduertatis quoniam aer dupliciter accipi & considerari potest. uno modo ut est elementum, & ut est in potentia, nam ut sic, aer est elementum corporum mistorum, quoniam elementa quatuor in misto remanent uirtualiter & in potentia, etsi de hoc sit magna quæstio, utrum formaliter uel uirtualiter remaneant. sed quoniam maior pars tenet ea remanere potentia, ideo ostendimus manifeste aliàs in prima Fen primi ea remanere uirtualiter, ideo hoc supponatur tãquam ibi probatum. hoc ergo primo modo sumptus est aer in potentia, secundo modo sumitur & consideratur ut est in actu, & hoc modo fluit & refluit in nostro corpore, neq; in mistione est, sed necessarius est ad uitam, quoniam sine eo uiuere non possumus, alioqui suffocaremur. Quare habemus iam quòd aer dupliciter considerari potest in nostro corpore uno modo ut in potentia, & sic est elementum nostrorum corporum & spirituum.i. ut in potentia consideratus; est etiam præter hoc quòd est elementum nostrorum corporum et spirituum emanatio nostris adueniens spiritibus.i. ut consideratur aer in actu, quoniam ut sic fluit & refluit; & est causa meliorationis eorum, non tantum sicut elementum.i. ut in potentia consideratus, & ut in mistione concurrit, sed etiam sicut faciens.s. temperans, quoniam refrigerat spiritus ipsos, qui sunt feruentißimi, & ideo temperantur ab ipso. iam autem declarauimus in his quæ præcesserunt &c. Pro quo animaduertatis quoniam in corpore nostro sunt tri-

plices

plices partes : aliæ enim sunt solidæ, & hæ dicuntur à græcis Στεϱεὰ, secundo sunt ipsi humores quatuor, qui sunt partes fluidæ: humores habent quòd sint flui di, quoniam sunt humidi ut dicebat Hipp. & Auic. de finiebat in prima primi cap. de humoribus in princi pio ubi quoq; declarauimus quomodo necessario sint fluidi ipsi humores, tertio sunt spiritus ipsi, qui quidē fluunt, sed non fluunt eo modo quo fluit aqua, & hu iusmodi humida, sed cum fluunt impetunt. ideo dicun tur magis impetentes partes. unumquodq; autem ip sorum fit & generatur ex quatuor elementis, tam so lidæ partes quàm fluidæ & impetentes, & ideo quā do dicit Auic. quòd est aer elementum nostrorū cor porum, intelligit per corpora illas partes solidas, po stea dicit etiam, spirituum qui sunt partes impetētes, & quoniam humores magis possunt dici solidi quàm spiritus, ideo per corpora non solum intelligimus soli das partes, sed etiam humores.i. fluidas partes. iam autem declarauimus in his quæ præcesserunt quid in telligi uelimus per spiritum. non enim dicere uolumus illud quòd philosophi animam uocant. aer ergo in se cundo significato accepto ut in actu est, non est elemē tum nostrorum corporum, sed est emanatio aduenies spiritibus nostris ut refrigerentur, & sic melioren tur. nolo ego nunc recitare expositiones istorum mo dernorum, postea illas confutare, quoniam cum re ctum audieritis uos postea inspicientes illos facile iudi cabitis falsum & obliquum. nihil enim intelligunt de hoc cap. meo iudicio; quoniam ergo spiritus sunt na

turæ

turæ igneæ, ideo aer continue fluit & refluit, ideo eũ dixit esse emanationem Auic. & non solum est elemẽtum quòd concurrat in mistione, sed etiam est efficiẽs temperatos ipsos spiritus. semper enim fluens est refluensq; in nostro corpore, perpetuo corrumpitur, perpetuo generatur, nunquam manens idem spiritus, quoniam est naturæ igneæ, modo ignis in continuo fluxu est. ob id natura prouisit de huiusmodi aere attractio: habetis ergo omnia ista clara. Cum autem Auic. fecisset hanc distinctionem aeris qui est duplex, aut enim est in potentia aut in actu; ut in potentia est elementum nostrorum corporum & spirituum, ut autẽ in actu sic est emanatio nostris adueniens spiritibus, quoniam mentionem fecit de spiritibus, ideo nũc uult declarare quid intelligat per spiritus: Nos autem iã *id declarauimus aliàs quomodo spiritus ipse idem est cum calore innato; sunt enim eadem subiecto, sed sola ratione distinguuntur, ideo dicit* (Iam enim declarauimus &c.) *ostendimus enim quòd spiritus non sunt ipsa anima in prima* Fen *primi, declarauimusq; pauloante quomodo spiritus non sunt anima, neque sunt corpus sed sunt quædam substantia media tũ inter corporea tum incorporea. cum enim ipsa anima non posset coniungi corpori, ideo per spiritum medium, natura ista duo simul iunxit. Cum autem anima solo intellectu subiecta sit, corpus autem ipsi quoque tactui, ideo spiritus non est tactui subiectus, quoniam est tenuior, ideo sensu tenuissimo cognoscitur, scilicet uisu, tum etiam ipso intellectu. spiritus ergo*

non

non sunt anima, sed sunt potius proprium domicilium ipsius animæ quemadmodum superius docebamus cũ Gal. propterea aliqui quoq; fuerunt qui dixerunt spiritum esse animam propter illam similitudinem, secũdum quòd dicebat Gal. in lib. suo de usu resp. sed & Peripatetici & Platonici, omnesq; philosophi dixerunt concordes spiritum esse substantiam quandam tenuem & domicilium proprium ipsius animæ, non autem animæ propterea addit illud Auic. quid intelligat scilicet per spiritum, quoniam non intelligit illam animam secundum illos philosophos antiquos, sed intelligit substantiam mediam inter corpus & animam, quã alio nomine appellamus calorem naturalem, de quo spiritu locuti sumus iam satis anno elapso in prima primi: manifestauimus ibi multa de hoc spiritu, quæ nunc non sunt referenda. Quare cum iam diuiserit Auic. ipsum aerem in duplicem, dixeritq; aerem aliũ in potentia esse, alium uero in actu, cumq; de aere in potentia ut est elementum partium corporis humani tractarit satis in prima primi cap. de Elementis, ideo nunc loquens de aere, uult loqui de aere secundo modo accepto, ut scilicet est in actu, & inquit (Et hoc quidem temperamentum, quod ex aere nostris aduenit spiritibus, ex duabus pendet operationibus, quæ sunt mundificatio & euentatio) *& ut hoc melius intelligatis quòd dicit Aui. scire debetis, quòd in corpore humano sunt duo motus contrarij, qui perpetuo fiunt dum uiuit homo, & die & nocte, scilicet constrictio & dilatatio. qui quidem*

dem nõ modo fiunt in ipso thorace quòd maxime perspicuum est, sed etiam in toto corpore, & omnibus eius partibus per instrumenta deferentia spiritum .i. per arterias. Cum ergo hi duo motus sint à natura cõstituti perpetuo in corpore humano, ideo sunt propter aliquem finem, sunt enim naturales motus, modo omnia naturalia habent aliquem finem. differunt nanq; in hoc naturalia à non naturalibus, quoniam naturalia propter aliquem finem fiunt, sed non naturalia carent fine. non sunt enim propter aliquem finẽ; unde dicebat quoq; Arist. nihil frustra à natura factũ esse, sed quæcunq; facit, facit propter aliquem finẽ. erunt ergo isti motus constituti à natura propter aliquid. Qui ergo erit iste finis intentus à natura? dico quòd cum calor naturalis sit calidißimus, ideo ut refrigeraretur aliquo modo, & sic tẽperaretur, natura dedit homini hos duos motus, uerum constrictio habet postea suum finem distinctũ à fine ipsius dilatationis. Cum enim constrictio & dilatatio sint contrarij motus, ideo contrarij quoq; erunt fines illorum. Quare cum habeant suos fines hi motus duo, ideo dicendũ est de dilatatione & constrictione. uolo ergo quòd nunc intelligatis quid sit dilatatio quidq; constrictio & quamoptime illorum naturam intelligatis: nã isti nostri expositores nihil penitus de re intellexerunt, sed omnia confundunt. propterea dicit Auic. quòd (spiritus mundificantur & euentantur per illam emanationem aeris deuenientẽ ad ipsos) *ista omnia audistis in nostra speculatione, dicemus*

etiam

etiam de his, dilatatio ergo & constrictio sunt duo motus, de quibus est loquendum: apud etiam nostros medicos uulgares dicuntur diastole.i.dilatatio, & systole.i.constrictio. Postquàm ergo Auic. iam distinxerit illos duos motus, & dederit eorum fines, aßignauerit quinetiam eorum operationes, quæ sunt duæ, una ut spiritus ipsi mundificentur, altera ut illi ijdem euententur, ideo nunc uult declarare quid sint istæ duæ operationes, quid sit scilicet mundificatio spirituum, & quid sit eorum euentatio. quando dicit, euẽtatio uero est temperamentum complexionis spiritus calidi cum superfluit propter constrictionem & secundum plurimum, & propter aliud scilicet temperamentum, quod sit temperamentum relatiuũ, quod sciuistis. sed sciatis quòd oportet parumper hic manere, quoniam ista uerba sunt implicata, ut uix poßint intelligi nisi habeat quis ea quæ nos declarauimus. Legatis enim istos expositores et uidebitis craßitiem ingenti illorum, qui tamen speculatores nominãtur. dico ego de Gentile illo, qui cum uelit hunc locum exponere, magis difficilem reddit, & hoc non est alia de causa, nisi quia non intelligit ipsam rẽ, & ita est difficilis hic locus, ut Andreas ille qui correxit tex. Auic. uoluerit hunc locum emendare, uel quòd eo modo stet litera Arabica, uel quòd inuenit suo ingenio, tamen magis intricat ipsam, & difficiliorem reddit. ideo legemus secundum literam antiquam quoniam facilior; & attendatis nostræ expositioni, quoniam uidebitis num uerum tangat nec ne. Vt ergo intelligamus

mus, hanc literam sciatis primo illud, quod quoq; declarauimus in superioribus, si recte attendistis, aerē inspirari duplici de causa, tum propter magnam necessitatem, tum propter utilitatem, propter necessitatem quidem quoniam cum spiritus sint feruētissimi, sicut declaratum est, ideo fierent ignei & inflammarentur, nisi per refrigerationē temperarentur; & sic animal suffocaretur, uel etiam seipsos interimerent, quoniam ita incalescerent ut amitterent illum motū ad infra. i. ad suum fundamentum. sicq; omnino exhalarent, & animal moreretur. ut ergo animal uiuere posset natura prouida in omnibus rebus prouisit ut refrigerarentur, & euentarentur per inspiratum aērem frigidum. inspiratur autem ille aer per dilatationem thoracis, qui est unus ex illis duobus motibus, per aeremq; illum spiritus temperati efficiūtur, neq; ignescunt, ignescunt autem & inflammātur spiritus & calor naturalis maxime per constrictionem, quæ est motus contrarius dilatationi, nam calor maxime ignescit & ut plurimum propter transpirationem prohibitam secundum quod docebat Gal. in primo lib. de differentijs feb. modo constrictio est quid aliud quàm prohibita transpiratio; nam maxime hoc patet in febribus putridis, in quibus inflammatur & ignescit calor innatus propter prohibitam transpirationē, quoniam pori obstructi sunt, unusq; hic modus est inflammationis & accessionis ipsius caloris secundum dogmata Gal. Alio quoq; modo ignescunt spiritus quàm per constructionem prohibitamq; transpirationem,

idest cum applicantur, approximantur eis res calidæ uel aer calidus. tunc enim suscipiunt huiusmodi caliditatem, sicq; in caliditate magis intenduntur. tertio quoq; modo inflammantur spiritus non per probibitā transpirationem, non per approximationum rei calidæ sed per ipsum motum, unde uidemus ex motu quoq; alicuius rei fieri ignem & flammam, unde motus & lumen innata sunt ignem generare, dicente philosopho quoq; in libr. de cœlo. cum ergo sint istæ tres causæ inflammationis, & ignefactionis ipsorum spirituum, ut plurimum tamen ignescunt propter trāspirationem probibitam. Vnde uidemus quòd cum arteria aspera ipsius gulæ impagitur craßis aliquibus uiscosisq; humoribus, quoniam probibetur ipsa transpiratio, ita ignescunt spiritus & calor innatus, ut homines suffocentur, sicut contingit in illa ægritudine quam uulgo quoq; appellarunt asthma, propterea natura sagax ut refrigeratione & euentatione refrigerarētur, prouidit de huiusmodi attractione aeris per inspirationem. hæc est neceßitas propter quā data est homini respiratio aeris. est autem alia utilitas, quam præbet huiusmodi respiratio, non ut spiritus ipsi qui ignescunt, uel etiam ignefacti sunt temperentur per euentationem, sed ut conseruentur in sua propria temperatura, cum sunt temperati & sani, non autem cum ignefacti sunt. Quare habetis duos usus ipsius attractiōis aeris. unus est ut spiritus igniti tēperentur ad suamq; æqualitatem reducantur, alter est ut conseruentur in propria natura cum sunt tem-

perati

perati & sani, cum autem spiritus ipsi igniti sunt, tunc magna fit inspiratio ipsius aeris, quoniam per illam recreantur cum per constrictionẽ fuissent igniti, sicut contingit in his, qui difficile anhelant, cum autem sunt temperati tum per inspirationem aeris, qui est calidus humidus, conseruantur in propria temperatura, quæ quidem est calida & humida, non quod eorum temperatura sit absolute calida et humida sed relate; & notate subtilitatem cum breuitate Auic. quid enim potest intelligi nisi sit homo boni ingenij, dicit enim (Euentatio est temperamentũ complexionis spiritus calidi cum superfluit propter constrictionẽ & sm plurimũ,) *notate* (& pp aliud scilicet temperamentũ, quod sit tẽperamẽtũ relatiue, quod sciuisti) *possumus dicere de hoc homine, dum breuis esse laboro obscurus fio: uult enim dicere spiritum habere temperaturam relatam, non absolutam, idest calidam & humidam relatiue ad alia membra corporis humani, sicut dicimus cordis temperaturam esse calidam siccam, referendo illã ad temperaturam cerebri & alia membra, cerebri quoque temperatura est frigida humida relata ad temperaturam cordis & hepatis, ossa sunt frigida & sicca respectiue ad cor & alias partes, non autem quòd absolute sint talia, sic quoque dicimus spiritus esse calidos & humidos relatiue, pro cuius termini intelligentia debetis scire quòd temperatura duplex est, alia enim est absoluta, alia relata. absolutam eam dicimus, quæ omnino æqualis est: relatam autem quæ*

non est omnino æqualis, sed talis est respectu temperaturæ aliorum, sicut de hoc satis diximus anno elapso in prima primi cap. tertio de complexionibus. nō oportet nunc ista repetere, sed sunt supponenda tanquam intellecta, si uultis in hoc loco intelligere Auic. Legamus modo uerba, illaq; exposita erunt per se et clara ex his quæ annotauimus hactenus. dicit ergo, (Euentatio vero est temperamentum complexionis spiritus calidi cum superfluit propter constrictionem secundum plurimum,) *Inspiratio aeris frigidi qui refrigerat spiritus, habet duos usus; alter est quoniam cum facti sunt ignei magis reducuntur ad temperamentum suum, idest caliditatem & humiditatem. ista autem igneitas spirituū cum fiat à tribus caussis, quemadmodum diximus, ut plurimum tamen fit propter transpirationem prohibitam, & constrictionem quæ contraria est ipsi dilatationi, alius usus est quem habet euentatio, quoniam conseruat spiritus in propria temperatura calida humida, quòd uera sit hæc expositio nullæq; sint expositiones horum modernorum quas uiderim, manifestum est, quæ subinfert & addit, nam inquit & propter aliud, ecce quòd notat secundum usum. postea dicit,* (.s.temperamentum quod sit temperamentum relatiuum,) *idest ut spiritus conseruentur in propria tēperatura, quæ relatiua est et quid calida humida, propterea illa particula expositiua declarat quis sit secundus usus ipsius euentationis, cum dicit,* (scilicet quod autem sit istud

temperamentum relatiuum iam sciuisti,) *idest ego iam illud declaraui in prima primi cap. tertio de complexionibus, quod supponendum est tanquam scitum, non autem repetendum. hæc est mera & uera expositio mentis ipsius Auicennæ, & si obscurissima sint uerba, & melius uidebitis inferius quomodo optima est expositio. Videatis modo quæcunq; dicunt isti expositores & uidebitis quantū sint absona a mente Auic. dico de illo Gentile qui exponit hanc partem: Nam Iacobus ille de Forliuio transibat hanc partem dum legeret illam, neq; sciui adhuc causam cur iste homo dimiserit illam inexpositā. fuit enim fugitiuus in hoc, neq; oportebat ita facere. dimisit enim illā quoniā erat difficilis intellectu, neq; sciebat extricare se, cum tamen non possit esse ut dimiserit illam quia non esset necessaria neq; utilis medico, nam est magis necessaria, magisq; utilis quàm pars alia huius secundæ Fen, in qua tractet de causis immutantibus necessarijs. Sed cum Auic. iam ostenderit nobis quid sit euentatio & usus ipsius, nunc modo transit ad alia, & uult declarare quæ sint instrumenta per quæ fit huiusmodi euentatio, & inquit,* (Et hoc quidem temperamentum attribuit nobis aeris attractio à pulmone & a poris euentatione pulsus, qui sunt cum arterijs continui,) *debetis repetere memoriæ ea quæ dicta sunt à nobis, quoniam huiusmodi euentatio habet duos usus, tum ut temperet spiritus ignitos, tum ut conseruet in propria temperatura. ut ergo fiat huiusmodi*

usus, oportet aerem attrahi tum per poros cutis, tũ per asperam arteriam à pulmone. Cum ergo sint illi duo usus ab euentatione prouenientes, non possent esse nisi aer frigidus esset. quomodo enim spiritus possent refrigerari per illum, nisi esset frigidus? propterea subiungit Auic. in tex. (Aer autem qui nos circundat valde est frigidus in complexione compositione spiritus innati, quanto plus complexionis quæ accidit propter constrictionem,) *dicit quòd aer qui attrahitur tum per poros, tum per asperam arteriam est frigidus nõ absolute, quoniam falsum diceret, sed respectu ipsorum spirituum qui sunt in corpore humano, tam quan do sunt ignei, quàm quando sunt sani, & in propria temperatura, immo si respectu eorum dum sunt temperati, quanto magis cum sunt ignefacti per constrictionẽ. quomodocunq; enim sumantur spiritus, semper sunt calidiores aere attracto; ideo uidete quantũ clara sit & optima expositio nostra, quoniam aer attractus qui euentat spiritus si illi sunt ignei reducit ipsos ad proprium temperamentum, si autem sunt sani tunc conseruat illos scilicet semper refrigerando ne ignefiant. quid clarius. dicit enim* (Aer attractus est frigidior ipsis spiritibus ĩnatis dum sunt in propria temperie, quanto magis cũ sunt igniti, tunc enim magis calidi sunt seipsis,) *& magis declarat se exponendo ea quæ dixit; Vellet ipse dicere ea quæ diximus nos in speculatione, sed non potest ita clare declarare. Nam posset aliquis*

aliquis uestrum ab eo quærere quomodo fiat istud tẽperamentum spirituum cum sunt ignei. Amplius quomodo conseruentur in propria temperatura, ideo hoc præuidens Auic. docet quomodo fiat istud, & inquit, (Cumque aer ad ipsum peruenit, impellit ipsum & miscetur cum eo, & prohibet ipsum ne ad igneitatem cõuertatur constrictiuam, ex qua ipse ad malitiam peruenit complexionis, &c.) *Vult dicere quòd cum aeris sit attractio per inspirationem, tunc cum aer sit frigidus occurrens spiritibus qui sunt calidi, mistio fit calidi cum frigido, & ita ista extrema refrangunt se inuicem, & sic remanet quoddam medium temperamentum, eoq; modo cum temperetur spiritus, prohibetur quoq; ab igneitate, sed cum temperentur existentes ignei, tunc cum essent remoti ad hoc quod agerent operationes suas animales facimus, quòd reddit ad illas exequendas, remouendo illud per quod non poterant illas exequi, idest igneitatem; Et hoc est quod dicit Auic. cum inquit,* (Ex qua ipse ad malitiam peruenit complexionis per quam remouetur a præparatione ad effectiones recipiendum animales in se, quæ est causa vitæ & ad resolutionem suæ met substantiæ uaporalis humidæ) *hæc pars iam clarissima est. Alia autem utilitas est quam diximus, nam ex inspiratione huiusmodi aeris prohibemus ne spiritus ita subtilientur ut exhalẽt & relinquant corpus ipsum, propterea dicimus quòd conseruantur in propria temperatura, & natura, ideo*

facimus illos non fluidos per huiusmodi refrigeratio-nem. tunc enim dicitur aliquid a nobis reddi non flui-dum, cum sui natura fluidum est, sed prohibetur ne fluat, modo spiritus sui natura maxime sunt fluidi, si relinquantur igniti, & ideo refrigerando illos, aer attractus conseruat ne exhalent. hæc sunt quæ uo-luit Auic. *haberi propter euentationem spirituũ, quæ habetur merito aeris attracti:* Postea *inquit,* (Mundificatio, &c.) *postq; non uultis me am-plius progredi hodie, cras nos finiemus cap. hoc.*

Lectio XLVIII.

Mundificatio vero est propter societatem ipsius, quando reuerti facit anhelitus &c.) *Videbamus in superiori lectione quomodo ad conseruationem ipsorum spirituum requirebantur duo motus, per quos quidem fiebant duo effectus, alter motus erat dilatatio, alter constrictio; effectus erant mundificatio ipsorum spirituum, & euentatio eorundem. Vidimus quin etiam quomodo euentatio duplicem præbet usum tum ad hoc quòd mutentur cũ ignei facti sunt de illa igneitatem ad suam temperaturam propriam, tum ut conseruentur in propria temperatura, quæ est relatiue calida & humida.* Reli-*quum est modo ut uideamus alia quæ in hac materia uidenda sunt nam per expirationẽ ipsam spiritus mundificantur fuliginosis illis uaporibus, sicut per inspirationem aeris euentantur. cum enim iam aer per attractionem in pulmonem est concoctus & refrigerauit.*

spiritus

ſpiritus nutriuitq́; eosdem, poſtea fuligines generatæ apud ipſos expelluntur per ipſius expirationem, ſicut docebamus nos ſupra diligenter, cum in ſpeculatione noſtra eſſemus. Quare cum fit expiratio mundificatur ſpiritus à uaporoſa illa fuligine (propter ſocietatem ipſius &c.) *Hic eſt difficultas ex parte uerborum Auic. quid ſcilicet intelligat per hoc q̃ dicit* (per ſocietatem,) *nam reuera ſunt difficilia iſta uerba Auic. debetis enim ſcire quòd difficultates in dictis doctorum aut ſunt ex parte uerborũ, aut ſunt ex parte ipſarum rerum; iſta ergo difficultas eſt ex parte uerborum Auic. quem nos exponimus nũc, ſed uult hoc dicere Auic. quòd cum habeamus duas utilitates ex dilatatione ipſa, tum euentationem ipſius caloris innati, tum nutricationem ipſius ſubſtãtiæ uaporoſæ ſpiritus, conſtrictio autem ſit illi oppoſita ſicut declaratum eſt et contrariorum eadem eſt ratio, differenter tamen, ideo erunt quoq; tot utilitates prouenientes ex conſtrictione, quot ſunt illæ quæ proueniunt ex dilatatione. ſunt quidem tot & oppoſitæ illis, per conſtrictionem autem fit mundificatio ſecundum Auic. ideo illius erunt duæ utilitates. nam ſicut per dilatationem thoracis habebamus refrigerationẽ ſpiritus, ſic quoq; per conſtrictionem & mundificationem habemus expulſionem aeris fuliginoſi qui non eſt amplius aptus natus refrigerare ſpiritus, neq; ipſos nutrire. Amplius ſicut dictum eſt in ſuperioribus ipſius nutrimenti alia pars retinetur, alia uero expellitur? Cum enim nutrimentum intro ſumatur ſitq́; diſ-*

ſimile

ſimile ipſi nutriendo, oportet prius ipſi aßimilari ſi nutrire debet illud, & cum totum aßimilari non poßit, ideo quod poteſt nutrire. i. ſimile retinetur, quod autem non poteſt nutrire. i. diſsimile, non retinetur, ſed expellitur; ideo ſicut per dilatationem per quam fit euentatio aer inſpiratur, qui debet aßimilari ipſi ſpiritui ut illum nutriat, ſic quoq; per conſtrictionẽ per quam fit mundificatio expellitur excrementum ipſius aeris, quod relictum eſt in concoctione ipſius, quem aßimilari nutriendo ſpiritui non potuit, & conſequẽter quod non erat amplius aptum natum nutricare ipſum; cum inquam ita res ſe habeat merito Auic. dixit illud uerbum quod facere uidebatur difficultatẽ (propter ſocietatem) *quoniam propter ſocietatem cũ iſti motus ſint contrarij ambo ſe concomitantur, ideo cum unus illorum habeat duas utilitates, alter quoq; tot habebit ſed oppoſitas duabus illius. quòd hoc ſit uerum quod ego dixi, & quòd hæc ſit mens Auic. in illo uerbo, declarat magis quando dicit.* (quando reuerti facit anhelitus illud quod ei attribuit virtus ſeparatiua ex vapore fumoſo, cuius cõparatio ad ſpiritum eſt comparatio humoris ſuperflui ad corpus cum aer expellitur.) *Scitis uos ſecundum dicta noſtra in omni nutritione neceſſariam eſſe attractionem nutrimenti. Amplius ut quod eſt attractum concoquatur, quod concoctum eſt, aßimiletur, quod autem non poteſt aßimilari ſed diſsimile remanet expellatur. neq; enim ſolum ſunt iſta neceſſaria in una nutritione ſed in omni, quoniam mul-*

te

tæ sunt nutritiones. dicebat enim Gal. in prima aph. particula ista omnino necessaria esse, quod quoq; uult hic innuere Auic. dicit enim cum ergo relinquantur excrementa in concoctione aeris sicut declarauimus supra quòd spiritus ex aere nutriuntur in propria quæstione contra quosdam: quoniam autē illa nutritio est occulta concoctioq; non manifesta, ita quoque cum expelluntur illa excrementa expulsio est occulta, & quoniam erat occulta, ideo ut à nobis intelligeretur Auic. illustrauit exemplis manifestis, nam sicut in partibus solidis quæ nutriuntur sic quoq; ipsi spiritus sed ex simplicioribus, quod negauit Gentilis, putauitq; secum esse Auic. & tamen Auic. dicit totum oppositum illius quod ipse dicit, ut hic uidemus & manibus pertractamus, uoluitq; Gal. idem dicere cum ex ipsius sententia ostēdimus oppositum. sicut ergo cum nutriuntur solida mēbra, & relinquitur aliquid, quod non est aptū natum amplius cōuerti in substantiam illorum, tunc expellunt illud tanquam excrementum, nam per (corpus) Auic. intelligere solet solidas partes, sicut notauimus quoque superius melius. Postea Auic. declarata concludit quàm breuissime cū inquit. (Temperamentum ergo eius est propterea quòd spiritui aduenit aer cum attrahitur, & mundificatio est propter eius exitum cū expellitur.) *Isti sunt breuiter usus tum euentationis tum mundificationis qui sunt effectus tum dilatationis tum constrictionis, nam inquit quòd* (quando fit aeris attractio per inspirationem tunc refri-

gerantur

gerantur spiritus, cum autem excrementosæ fuligines post concoctionem & nutricationem expelluntur, tunc mundificantur.) *Videte quòd quantum ad hoc omnia sunt iam clara ex declaratis, non est in his ideo immorandum, sed antequàm perueniamus ad alia quæ sequuntur, ut illa intelligatis, debetis scire quædam de respiratione, quoniam de illa tractat* Auic. *Quare notetis diligenter quòd aer expulsus per expirationem, & attractus per inspirationem differunt tum substantia quoniã attractus subtilior est simpliciorq́;. sed ille qui expellitur est craßior & compositior, nam semper craßius est excrementũ quod in concoctione relinquitur, quodq́; expellitur, quàm est ipsum alimentum. Nam sicut superius ostendimus humidum est nutrimentum ipsius ignis, cuius signum est illud quòd cum aliquid iam exiccatum est non est amplius aptum natum nutrire ignẽ. craßior ergo aer est qui expellitur, quoniam tanquã exiccatum relictum est, immo quãdoq; ita crassus est, ut uisu uideatur & percipiatur, quod maxime solet contingere tempore hyemis duplici de causa, tum intrinseca tum etiam extrinseca.* Intrinseca *quidem*

* *extrinseca autem causa, quoniam cum expiratur, exiens inuenit frigiditatem ipsius aeris continentis, & ideo inspissatur ita quòd uertatur etiam in aquam, sicut propemodum contingit in alembico, nam uapores exhalantes ex herbis impositis ascendunt ad partem concauam ipsius alembici, & inuenientes superficiem frigidam plumbeam refrigerantur & conspissantur,*

spissantur, sicq; descendunt sub forma ipsius aquæ. similienim modo cum uapores fuliginosi expirentur. tunc in hyeme inuenientes frigiditatem cõtinentis ingrossantur & fiunt aqua, cuius signum quoq; illud maximum est, quoniam cum animalia dormiunt homines maxime inueniunt linteamina madefacta ubi aerẽ expirarunt, quoniam aer inspissatur & uertitur in naturam aquæ, sicq; madefacit lintea secundũ quòd notabat quoq; Arist. in suo illo lib. de somno & uigilia; & hoc erat quod uolebam esse à uobis notandum inter alia. secundum uero quod notãdum est uolo quòd sit illud ne erretis in ijs quæ dicũtur à doctoribus, quoniam in hoc quoq; male intellecto errarunt uiri, qui sunt etiam magni nominis. sciatis ergo quòd in ipsa expiratione duo sunt motus, unus est ipsius cordis, alter uero ipsius thoracis. isti autem motus tum conueniunt, tum etiam differunt inter se. dicamus ergo primo in quibus conueniunt, secundo in quibus differunt. conueniunt quidem igitur in hoc, quòd propter utrunque aer inspiratur, per quem fit refrigeratio ipsius caloris innati. conueniunt quoq; in modo motus ipsorum. ambo enim & ille qui cordis est, & ille qui thoracis mouentur per constrictionem & dilatationem. dum autem dilatatur thorax aer attrahitur, dum uero constringitur expellitur aer fuliginosus. Ex quo colligitur error ipsius Alberti qui dicitur Magnus, qui quidem in suo lib. de respir. sicut potestis eum uidere, dicit constrictionem & dilatationem thoracis esse motus contrarios, & sicut per dilatationem aer

expellitur, ita per constrictionem aer inspiratur pro euentatione & nutricatione ipsorum spirituum, cum tamen totum omnino sit oppositum, nam per motũ dilatationis thoracis aer inspiratur, cum autem thorax constringitur tunc aer fuliginosus expellitur, quod quoq; probatur per naturam rei, nam cum thorax dilatatur quomodo poßibile est fieri ut aer non inspiretur ? cum trahatur, uidemus enim uasa ipsa repleri, cum autem fit constrictio tunc uasa clauduntur. quomodo ergo per illam potest fieri inspiratio aeris? si per dilatationem aperiũtur. Amplius omnes antiqui tum medici tum philosophi dixerũt per dilatationem aerem inspirari, per constrictionem uero expelli. ipse solus nuper dixit hoc somnium & hanc imaginationem chymeram, præterea conueniunt isti duo motus cordis & thoracis quòd sunt idem affectus. i. patiuntur in affectibus communibus, nam cum mutatur motus cordis mutatur quoq; motus ipsius thoracis, si enim frigidum ita constipet asperam arteriam ut non poßit fieri motus thoracis, sic quoq; motus cordis mutatur. quod autem dico de frigido, idem intelligatis uos de calido, & de gaudio lætitia & de mœstitia, nã aliquando per magnam melancholiam in quibusdã intercipi motum thoracis & etiam motum cordis, unde fiunt quoq; suspiria propter communicantiam motus cordis, & propterea in hoc quoq; ille Albertus Magnus male putauit motum cordis non intercipi, cum tamen motus thoracis intercipiatur, quod tamen falsum est omnino. nam uidemus quòd cum intercipitur

anhelitus cor ita palpitat ut uideatur uelle exire, quoniam motus illius mutatur ut quiescat non tamen quiescit, sed quoniam hi duo motus conueniunt in his, modo uidendum est in quibus differunt, differunt autē magnopere per attractionem ipsius aeris, nā motus thoracis trahit aerem extrinsecum, nondum alteratum. motus uero ipsius cordis trahit aerem alteratum & præparatum in pulmonibus. diximus enim superius quomodo concoquitur in pulmonibus. postea deuenit ad ipsum spiritum nutriendum atq; euentandum. Amplius differunt in principio ipsius motus, quoniā principium ipsius motus cordis est cor, sed principiū motus thoracis qui anhelitus appellatur, sunt ipsi musculi ipsius thoracis. primo tamen musculus ille qui diaphragma appellatur sicut docet Aristot. in suo lib. de anhelitu, quodq; ostendit & probauit Gal. in 6. lib. de usu partium. præterea differunt inter se isti duo motus in motu, quoniam motus ipsius cordis omnino naturalis est, motus autem ipsius thoracis est uoluntarius, & à uoluntate rectus quoq;: cuius signum illud est quòd motus cordis non potest prohiberi uoluntate, motus uero thoracis potest prohiberi, immo potest retineri atq; prohiberi usq; ad mortem, quemadmodum narrabat Gal. de illo seruo Hannibalis, qui cū delegatus esset morti ita tamē quòd sibi eligeret mortem potiorem, ita retinuit anhelitum quòd suffocatus interijt, quod nō esset si anhelitus esset uoluntati subiectus. Amplius differunt in perpetuitate motus, quoniam motus cordis semper durat dū animal uiuit, motus

tus uero thoracis non semper fit stante etiam uita ipsius. nam uidemus homines qui seipsos submergũt in aqua, qui tamen uiuunt sine motu thoracis tanto tempore, quanto sub aqua sunt, motus tamen cordis semper exequitur nunquam destruit. Videte ergo quomodo *isti duo motus differunt, diuersi autem sunt a natura fabricati non temere, sed quadam magna prouidentia, nam nisi esset prior motus thoracis per quẽ aer extrinsecus attraheretur suffocarentur, ñam aer à frigiditate aeris suffocaretur, & interimeretur, propterea natura prouisit ut aer per thoracem traheretur & in pulmonibus alteraretur & præpararetur, qui postea per motum cordis accederet ad refrigerandum & euentandum spiritũ. Amplius in pulmonibus oportuit aerem semper esse reconditum tanquam in thesauro & officina, quoniam cessante quandoque motu ipsius thoracis, posset calor euentari & refrigerari per illum aerem. quo cessante & deficiẽte nisi postea restauretur de nouo per anhelitum suffocatur animal. audistis modo quid dicat Auic. inquit.* (Aer enim qui attrahitur in primis cum ingreditur ad temperandum necesse est ut sit in effectu frigidus, sed postquam conuertitur ad qualitatem spiritus propter calorem longitudine more destruitur eius iuuamentum, & non indiget eo, & est aer nouus necessarius ut illius alterius suppleat vices,) *omnia ista sunt iam clara, oportet igitur necessario, ut egrediatur ad hoc ut suo Vicario locum euacuet, & ut fu*

mosæ

mosæ superfluitates substantiæ spiritus cum eo expellantur, ista omnia audistis iam a me in superioribus. Aer autem si est in bona dispositione accedens magis ad naturam ipsius spiritus, in quoq; nihil sit corruptũ est sanitatem conseruans. diximus enim & nos superius quomodo aer non solum sit necessarius ad uitam, sed etiam ad conseruandam sanitatem, cum enim corrumpitur & non est clarus, inducit ægritudines, & quandoq; ita corrumpitur ut fiat uenenosus. & hoc est quòd dicit Auic. in litera. (Et aer quidem dum est temperatus & clarus neque substantia extranea complexioni spiritus contraria ei admiscetur, est sanitatem efficiens & ipsam conseruans, & cum mutantur suæ operationes, contrarium operatur) *sed pro intelligentia dictorum Auic. notare debetis hic unum quod clarißime declarat Gal. in illo primo lib. de sanitate tuẽda. Nam dicebat ibi Gal. quòd aer dupliciter mutari potest, uno modo secundum qualitates, alio modo secundum substantiam, secundum qualitates quidem .s. calidum frigidum humidum & siccum, quam quidem mutationem unusquisq; non potest cognoscere, neq; unicuiq; illa potest nocere, quoniam alij homines magis conseruantur in calido, alij in frigido, alij in humido, alij in sicco secundum diuersitatem ægritudinum, immo & naturalium temperaturarum, quoniam alia animalia magis conseruantur in calido quàm in frigido aere, alia econtra, sic de alijs qualitatibus, propterea non omnia animalia offenduntur cum aer mu-*

tatur magis ad unam qualitatem quàm ad alterā, quo niam sunt aliqua quæ in illa magis conseruantur quā in alia. sed mutationem substantiæ aeris omnia timēt. cum enim aer corrumpitur & putrefit mutaturq́; secundum substantiam, nocet omnibus tam animalibus quàm plantis, & medijs, omnia mutantur omnia offenduntur, cuius signum illud est quòd ista sint uera, quoniam cum fiunt morbi epidemiales non omnes homines ægrotant. quoniam aer mutatur solum secundum qualitates propterea moriuntur quidem aliqui. sed sunt alij postea qui eo tempore saniores degunt, sicut sunt pleni omnes lib. Epid. Hipp. *Videmus enim illius processum qui dicit in hac & in hac dispositione aeris multi moriebantur, sed qui erant huiusmodi tem peratura, saniores fiebant, quoniam conseruabantur in illa qualitate aeris magis quàm in alia, sed cum aeris substantia mutatur, omnia animalia patiuntur, omnia illa suffocantur, omnia mutantur in sui substantia, unde uidemus quòd in agro* Puteolano *apud* Neapolim *corruptus ita est aer, ut si proijciantur in illum aliqua animalia, ut canes & talia quæcunque statim moriuntur, nullum potest animal ibi immorari: et sicut tempore pestilente in quacunq; regione accidit, nam patiuntur omnia animalia communiter: sed præter has mutationes, sunt aliæ diuisiones mutationum ipsius: nam mutationes aeris aliæ sunt naturales & secundum naturam.i. cum aer immutatur secundum causas naturales quas nominabimus, nā mutatur aer naturaliter aut propter circulum ipsius anni & periodum*

riodum solis, quæ mutationes temporales nominantur, de quibus in sequenti cap. dicemus, aut propter influxus & aspectus ordinatos ipsorum corporum cœlestium & stellarum, aut propter pluuias & tales causas naturaliter causantes: non naturaliter autem mutatur aer secundum causas non naturales ut propter uapores aliquos ascendentes in ipsum ex paludibus & aquis corruptis, quæ causæ hic non sunt dicendæ neque connumerandæ, neque illæ quæ sunt contra naturam, quoniam in particularibus sunt declarandæ. & hoc est quod inquit Auic. in fine cap. (Aeri præterea accidunt mutationes naturales & mutationes non naturales, & mutationes cursum egredientes naturalem ei contrariæ. Naturales uero sunt mutationes temporales, quoniam in unoquoque tempore ad aliam conuertitur complexionem) *nam alia est complexio ipsius in uere, alia in æstate, alia in hyeme, alia in autumno. de naturalibus ergo mutationibus primo est agendum, inter quas cum principales sint mutationes temporales, ideo de illis est primo tractandum. Cras ergo incipiemus cap. sequens de mutationibus aeris temporalibus, & erunt in illo cap. pulchra dicenda.*

LECTIO XLIX.

Cap. III. De naturis temporum: & est doctrinæ secundæ, Fen secundæ libri primi.

DEBES autem scire &c.) *audiuistis in calce præcedentis lectionis quemadmodum Auic. diuiserat dupliciter mutationes ipsius aeris; & diuisio una erat in duas partes. nam dicebat* Auic. *quòd mutationes aeris aliæ sunt secundum naturam, aliæ uero non naturales: inter illas autem quæ sunt secundum naturam ponebat* Auic. *mutationes temporum anni. Cum ergo maxime essent mutationes secundum naturam, & tractaturus esset de illis mutationibus, uoluit primo tractare de his post cap. iam expositum, & facit aliud cap. in quo intendit tractare de mutationibus temporalibus, quod habemus præ manibus exponendum, & hoc est propositum in hoc cap. tractabit ergo de temporibus anni, propterea optime inscripsit illud de naturis temporum. Sed antequam incipiat tractare de illis primo annotat quoddam tanquã à uobis primo supponendum & sciendum: Quoniam cum de illis temporibus tractent tum medici tũ astronomi, ne putetis quòd considerentur eadem consideratione, propterea* Auic. *primo admonet uos, quòd alio modo tempora considerantur à medico, alio modo ab astronomo, cum dicat.* (Debes autem scire

re quòd tempora iſta quę ſunt ſecundum me dicos alia ſunt ab eis quæ ſunt ſecundũ aſtro nomos.) *Et quia oſtendit etiam quomodo conſiderant illa aſtronomi, & quomodo medici, tantum ſecundum ſuperficiem: Expoſitores autem illius ſicco pede pertranſeunt & ſe potius implicant, propterea nos putauimus diligentius eſſe tractandum de temporibus anni, ut omnino rem hanc caperetis. oſtendemus ergo clariſsime & breuiſsime quoad fieri poteſt, quomodo Aſtronomi conſiderant illa, deinde quomodo medici. Dicamus ergo quòd aſtronomi conſiderãt tempora anni & illa diſtinguunt ſecundum motum ipſius ſolis in circulo Zodiaci: ſecundum quòd ſunt illi quatuor quadræ, ita ſunt quatuor tempora: & ut hoc intelligatis, debetis ſcire quòd in Zodiaco ſunt quatuor quadræ ſeu quatuor puncti, Sol autem mouetur in illo circulo Zodiaci, & modo eſt in hoc puncto modo in illo ſecundum quòd mouetur. primus ergo punctus huius circuli eſt punctus Arietis, in quo cum eſt Sol, calor moderatus eſt non autem nimium intenſus, & propterea ſecundum quòd eſt Sol in diuerſis punctis ſic quoq; calor eſt diuerſus. in puncto ergo arietis exiſtente Sole, calor moderatus eſt. cum autem ſic calor eſt moderatus, tempus unum eſt, quod dicitur uer. poſt tropicum Arietis ſol incipit eſſe in puncto cancri, qui eſt ſecunda quadra Zodiaci: cum autem ſol eſt in hoc puncto, calor amplius non eſt moderatus ſed mordax & intenſus: exiſtente calore intenſo & immoderato æſtas eſt, propterea exiſtente*

sole in puncto Cancri incipit æstas. Cum autem sol iam pertransit punctum ipsius cancri usq; ad punctũ Libræ durat æstas: cum est in puncto libræ incipit autumnus usq; quo perueniat ad punctum ipsius capricorni, sol non est ita intensus in calefaciendo sicut antea fuit. à puncto autem capricorni usq; ad punctum ipsius arietis iterum tunc est tempus quartum, quód appellatur hyems. Sol autem tunc remisse calefacit, & ideo secundum astronomos quatuor sunt tempora anni, secundum quód sol percurrendo circulum zodiaci in quo quidem sunt quatuor quadræ pertransit unam uel aliam quadram, quadræ autem istæ sunt æquales, & propterea quoque tempora sunt æqualia in duratione. quanto enim tempore sol manet in una quadra, tanto tempore dicitur esse uel uer, uel æstas, uel aliud tempus. quatuor ergo sunt tempora Astronomica, quæ distinguuntur non solum secundũ uim caloris, sed etiam secundum relationem ad ipsas quadras, quoniam autumnus est cum sol reperitur in puncto ipsius libræ, & sic in alijs. & quoniam sole existente in puncto arietis est uer, ideo quoq; dicimus uer habere calorem moderatum, quoniam cum sol in illo puncto existit moderate calefacit. hæc est distinctio temporum secundum astronomos, quam quidem breuiter quantum negocium nostrum id patitur recitauimus. neq; uolo quód profundius eam examinemus, sed illam dimittamus astronomis. Quoniam autem est alia distinctio illorum temporum secundũ considerationem ipsorum medicorum, quæ cum ad nostrum

ſtrum magis attineat propoſitum, magis quoq; conſideranda & examinanda eſt, maxime cum nos ſimus & philoſophi & medici. Nam *medici ſubtilius rem conſiderarunt & diuiſerunt ſua tempora, meliusq́; hanc rem perceperunt.* Nam *dicunt quidem aſtronomi cũ ſol incipit eſſe in puncto arietis, uſquequo perueniat ad punctum alium ſcilicet cancri, tunc eſt uer, in medio autem iſtorum duorum punctorum ſol pertranſit punctum ipſius* Gemini, *non hoc ſolum medici conſiderarunt cum aſtronomis appellantes illud uer, ſed aliud addiderunt, in principio enim conueniunt cũ illis, ſed in fine diſcordant propterea quód dicunt medici cum incipiunt oriri eliades ſtellæ tunc incipit ſecundum tempus, ſcilicet æſtas, nam eliades ſunt in dorſo tauri. cum ergo ſint in illius dorſo tunc incipiunt apparere, cum ſol recedit à tauro per* xx *gradus, nã ſi dorſum tauri non apparet, niſi cũ ſol recedit à tauro per* xx. *gradus, eliades autem ſint in dorſo tauri, ergo neq; illæ incipient apparere niſi cum ſol receſſerit à tauro per* xx *gradus. ortus ergo ſtellarum eliadum* Eliacarum *erit poſt receſſum ſolis à tauro per* xx *gradus, & hoc quoniam ſcitis motum ſolis eſſe diuerſum motui ſtellarum fixarum. cum ergo ſol oritur tunc eliades incipiunt apparere. modo in prima die* Maij *ſol recedit à tauro per* xx *gradus, tuncq́; incipiunt apparere eliades, ideo in prima die* Maij *incipit æſtas, & computando hoc totum ſpacium ab ortu & principio ipſius ſolis à puncto arietis, uſque ad receſſum illius à tauro per* xx *gradus, explet ſolũ men-*

ses duos, immo non explet duos menses, nam arietis punctus in x. die Martij, à x. die autem Martij usque ad primam diem Maij non sunt duo menses expleti. et ideo uer non erit longius. i. non durabit per duos menses secundum medicos, cum tamen secundum astronomos multo longius sit; in ortu autem eliadum. i. recedente Sole à tauro per xx gradus, hoc est in prima die Maij incipit æstas & durat usq; ad ortum Arcturi, Arcturus autem oritur apud æquinoctium autumnale, modo æquinoctium autumnale est in primo gradu Libræ, & primus gradus Libræ, est in duodecimo die Septembris nostri ergo consecutiue & necessario sequitur, quòd a prima die Maij, usque ad duodecimã Septembris durabit æstas, & sic æstas erit quatuor mensium integrorum secundum medicos, secundum quos etiã autumnus incipit in puncto libræ. i. in ortu Arcturi, & durat usq; ad occasum eliadum, quoniam tunc occidunt cum Tauri signum occidit, cũ sint in dorso ipsius Tauri. modo cum oritur sol in signo scorpionis, qui quidem est contrarius ipsi Tauro, occidit Taurus, non enim potest esse in duobus contrarijs. cum ergo orietur scorpionis signum, tũc erit occasus ipsarum eliadum, quoniam tunc occidunt cum Tauri signum occidit, illud occidit in ortu scorpionis, ergo in ortu scorpionis occident eliades: in ortu etiã scorpionis autumnus finietur. ortus autem scorpionis est secunda, uel tertia die Nouembris, ergo secunda, uel tertia die Nouembris finietur autumnus, & ideo durat autumnus a duodecima Septembris,

bris, usq; ad secundam Nouembris. *hyems ergo incipiet tertio* Nouembris, & *durat usq; ad ortum* Arietis, *qui oritur decimo die* Martij. *ergo hyems durabit a tertia die* Nouembris, *usq; ad* x. Martij, & *sic autumnus non explebit duos menses, hyems autem explebit quatuor menses, & decem dies. quod enim deficit ipsi ueri ad explendum duos menses hyems absumit supra quatuor menses. habemus ergo ex dictis quòd uer durat a decima die* Martij, *usq; ad primam diē* Maij; *æstas uero à prima die* Maij, *usq; ad primam diem* Septembris *uel circa; autumnus a prima die* Septembris, *uel circa usq; ad primos dies* Nouembris; *hyems uero à primis diebus* Nouembris, *usq; ad decimā* Martij, *uel circa. secundum ergo ipsos medicos ista quatuor tempora sunt inæqualia, non autē æqualia, sicut dixerunt mathematici & astronomi: nam hyems omnium longissima est; nam ex supputata ratione est mensium quatuor, dierum decem. post hyemem est æstas, quæ est mensium quatuor integrorum, breuiora autem sunt alia duo tempora media, nam uer est mensis unius dierum autem uiginti. autumnus mensium duorum integrorum. hæc est diuisio temporum perfecta secundum ipsos medicos. sed aduertendum à uobis est unum, quòd hæc diuisio est secundum* Orizontem, *qui est in quinto & quarto* Climate & *regiones propinquas, sicut* Græciam, Hispaniam: *alio enim modo se habent tempora in alijs climatibus, ut in tertio, secundo, primo, & sexto, et septimo, nam in septimo climate hyems longior est,*

quæ in alijs regionibus: in primo & secundo longior æstas est. Verum pro nunc uolo quòd ista accipiatis de diuisione temporum, quoniam alibi sunt ista diligentius pertractanda in omnibus climatibus. sufficiat dixisse de uno. sed forte aliquis insurget, & dicet, quòd ista sunt mea phantasmata, & mea inuenta, dico quòd non sunt mea inuenta, immo omnia sunt Gal. dicta & ipsius Hippocr. Gal. *quidem ita docet in primo* Epidem. *comm. secundo, ubi de his pertractauit, est defectuosus multum, tamen ipse quoq; docet hoc quod modo docuimus nos, autumnum esse solum duorum mensium.* Ego *ostendi hoc clarissime declarauiq; illa quæ ibi non perficit* Galen. Nam *ostendi quomodo hyems præcedit æstatem in lõgitudine durationis. sed sciendum adhuc quòd æstas diuiditur.* Gal. *enim ipse loco citato secundum antiquos diuidebat æstatem in duas partes, prima pars est à principio puncti cãcri usq; ad ortum ipsius* Leo*nis, in quo signo est canis qui oritur circa finem* Iu*lij, & continet* 50. *dies, uel circa. ista secunda pars dicitur* Mara*scus, illa uero prima pars dicitur à* Græ*cis* ὀπώρα, *quoniam in ea uigent fructus illi, qui a nostris* Latinis *dicti sunt horarij uertẽtes quasi nomen* Græ*cum, propterea illam appellant partem fructuum, quia fructus horarij sunt in maxima copia, et sic patet quomodo æstas habet duas partes.* Gal. *autẽ diuidebat hyemem in tres partes. prima pars ipsius est in solstitio hyemis, & hoc appellatur mediũ hyemis, quoniam utriusq; habet unam aliam partem: du-*

rat

rat autem puta per decem dies. illa autem prior pars dicitur sementum, tractum nomen quoniam eo tempore seminantur frumenta & alia frumentacea. Vl*tima uero pars quæ scilicet est a solstitio usq; ad uernũ tempus dicitur tempus plantandi. Aestas uero habet duas, scilicet marascum & tempus fructuum, reliqua uero duo tempora media uer, & autumnus propter illorum breuitatem non diuiduntur, sed indiuisa relinquuntur. habuistis enim quomodo non pertranscunt duos menses, immo uer non explet duos menses. habetisq; septem partes anni uer, marascum, tempus fructuum, autumnum, sementum, medium, & tempus plantandi. hæc est completa & perfecta diuisio temporum anni secundum antiquos medicos et completa descriptio: habetis quoq; rationem omniũ illorum quæ iam dicta sunt.* Videtis *modo quomodo sunt inæqualia secundum medicos, cum tamen astronomi posuerint illa æquaila. quot sunt iam audiuistis; modo reliquum est ut uideamus tex. Auic. quo illum intelligatis, uerum sciatis quód Auic. crassa mineruá docet horum temporum diuisionem: uidetur enim ꝙ doceat illam potius a posteriori, & audiatis quæso quam crasse doceat, inquit,* (debes autem &c.) *hoc clarum est* (Quatuor enim sunt secũdum Astronomos tempora, secundum mutationes solis in unaquaque quadra circuli signorum a puncto incipientes uernali.) *audiuistis à me quomodo sunt quatuor quadræ zodiaci, & secundũ quód in unaquaq; reperitur Sol, mutatur quo-*

que tempora, ita quòd sunt quatuor tempora quoq; anni, sed tamen sunt æqualia, quoniam æqualiter moratur in singula Sol, (Secundum medicos uero uer in terris temperatiuis est tempus, in quo non tantum sunt necessariæ res calefacientes propter frigus, ut inde sit multum curãdum neque euentatio propter calorem.) *Ver enim est tempus potius moderatum, quàm frigidum, uel calidum, propterea neq; euentationibus, neq; operimẽtis multis egemus. Ecce quàm crasse describat iste homo tempus uernale, non enim describit secundum illius principia, ut fecimus nos secundum doctrinam Gal. & Antiquorum: postea dicit,* (Et in ipso quidem est principium frondendi Arberes,) *quantum autem duret, declarat, & inquit,* (Et eius tempus est tempus inter æqualitaté vernalem, aut ipsum purũ donec sol sit in medio Tauri,) *idest uer durat à principio Arietis, usq; ad medium Tauri, idest usq; ad xv. gradum Tauri. Nos autem superius diximus illud durare, usq; ad xx. gradum Tauri, quando eliades incipiunt apparere, sed ista est pauca differentia a xv. usq; ad uiginti gradum, nam illi quinq; gradus faciunt solum duos dies. sunt ergo solum duo dies differentes, est pauca differentia.* (Et autumnus est huic oppositus in talibus quales sunt terræ nostræ.) *diximus autem nos quomodo autumnus incipiat in principio libræ, & durat usq; ad occasum Eliadum, uerum ut diximus Auic. Crasso modo pertractat hanc diuisionẽ*

temporum

temporum in alijs uero terris poßibile est, ut procedat uer.i. longetur magis quàm ad x v. *gradũ* Tauri, *et tardius incipiat, ut autũnus autem tardet quinto in septimo & secundo climate, & in fine sexti climatis, deinde inquit,* (Et æstas quidem est totum tempus calidum, & hyems totum tempus frigidum.) *hæc sunt facilia.* Vnumquodq; *igitur duorum temporum ueris & autumni est magis breue secundum medicos, quàm unumquodq; duorum temporum hyemis & æstatis. ista iam sunt clarius & subtilius a me pertractata superius, nam hyems est longior omnibus temporibus, post hanc est æstas, postea autumnus, ultimo est ipsum uer,* (Et hyems quidem est tempus æstati oppositum, æstati aut minus eo, aut maius secundum terras,) *in primo climate maior est æstas, in septimo uero maior & longior hyems, & in fine sexti.* (Et uidetur quòd uer sit tempus florum, & initij pomorum.) *Crasse describit uer,* (Et autumnus est tempus mutationis colorum foliorũ & principium casus eorum, & quòd est præter istud est hyems & æstas.) *iam credo quòd ista sint facilia, neq; indigent perscrutatione.* (Et dicemus quòd ueris complexio, &c.) *Hic modo incipio tractare de complexionibus temporum, & primo ipsius ueris. sed postquam non uultis me amplius legere, audiatis duo uerba, ut sciatis quid de beatis studere pro hac re. Domini postquam diuisimus tempora anni tum secundum antiquos, tum secundum* Auic. *nunc*

modo

cit ipsum ad finem ipsius medicinæ.i.sanitatem, secundum quòd ipse Gal. dicebat: modo ista quæstio conducit ad finem medicinæ.i.ad sanitatem, ergo medica est quòd conducat ad finem medicinæ. patet quia sine illa.i.sine determinatione, & cognitione cōplexionum temporum non possumus curationem bonam exequi. sed cum hoc quòd est conuenientißima, est quoq; quã difficillima, quoniam litigant duæ opiniones magnæ, propterea oportet quòd multum attendatis in hac re, utrinq; enim sunt rationes multæ & ualidæ: primoq; sunt rationes & argumenta illorum qui tenent uer esse temperatum, postea sunt illa quæ arguunt esse calidum, & humidum. Dicamus ergo primo rationes illorum qui tenent illud esse temperatum, inter hos homines prius est Gal. qui adducit rationes pro hac positione firmanda. sunt autem in summa 4. rationes illius. primum autem argumentum est tale: illud est tempus temperatißimum in quo est aer temperatus: aer autem tunc est temperatus cum corpora sunt magis sana. dicemus ergo sic in quo corpora sunt sana magis, sed in uere sunt corpora sana magis, quia aer est temperatißimus, ergo uer est temperatißimum. maior propositio huius rationis ualet et manifesta est, nã cum aer est temperatus cōseruat & facit sanitatem cum autem est corruptus uel male qualificatus, tunc inducit ægritudines fiuntq; contagia & pestilentiæ, secunda quoq; propositio patet quoniam in uere corpora humana sunt in maxima temperie, & magis sana quàm in alijs temporibus, ergo uer est temperatum

tum.i. aer existens in uere est temperatus, quoniam si non esset temperatus, tunc induceret intemperiem. secundo ad idem arguitur sic. illud tempus quod est maxime medium, & consequenter quod recedit ab extremis, est æquale & temperatum. Sed uer est recedens ab extremis ergo uer est temperatū & æquale. maior manifesta est de se, minor autē manifestatur, quòd uer ipsum recedat ab extremis, & sic est medium, nam nulla qualitas in ipso extrema excedit, calor enim moderatus est; modo calor per superius dicta semper agit, semper in actu est, propterea agens in illud humidum, quod relictum erat ab hyeme resoluit illud & attenuat ita quòd ipsum quoq; humidū nō excedat, sed sit temperatum & moderatum, propterea cum aer relinquatur moderate humidus uer erit in illis duabus qualitatibus temperatum, præterea frigus in eo non excedit quoniam recedit ab hyeme, quæ est frigida, & accedit ad æstatum quæ est calida. siccitatem autem in ipso non excedere manifestum est, quoniam nondum æstas fuit in qua calor maxime resoluit & exiccat, & hyems præcessit, quæ reliquit humiditatem illam, quam quidem attenuando ipse calor reddidit moderatam. cum ergo uer recedat tum a frigiditate, tum a caliditate, ab humiditate, & siccitate, relinquitur quòd sit æquale & medium, ergo est temperatum. Amplius tertio Gal. *probat suam positionem hoc modo deducendo ipsos aduersarios ad impoßibile, & argumentatur sic. si uer esset calidum & humidum secundum quòd posuistis uos aduersarij,*

uersarij, sequeretur unum maxime falsum, & contra omnes medicos, quòd scilicet uer esset corrumpens potius corpora humana quàm conseruans in sanitate, nam ad caliditatem & humiditatem iunctus sequitur corruptio substantiæ, idest putrefactio: si ergo uer esset calidum et humidum tunc eo tempore putrefierent magis corpora humana, et fierent pestilentiæ, pustulæ & ἐξανθήματα, *& aliæ quæcunq; ægritudines quæ fiunt ex putredine, quibus ægritudinibus pleni sunt libri* Epid. Hippoc. *nam* Hippoc. *consueuit in his libris dicere in tali constitutione aeris calida & humida plurimi moriebantur, & fiebãt pestilentes ægritudines. si ergo per uos uer esset calidum & humidum, corpora essent magis ægra in eo tempore, hoc tamen falsum est, cum inueniamus* Hipp. *& omnes antiquos dixisse sanum esse uer, & experientia quotidiana comprobari potest. magis enim ualent corpora in uere, ergo uer non est calidum & humidum, sed temperatum, nam si est temperatum sequitur etiam quòd sit magis sanum. Amplius & quarto argumentatur ad idem. hoc autem argumentum est ad hominem, dicit enim* Gal. *quòd aduersarij arguebant pro sua opinione sic. Ver medium est inter æstatem & hyemem, modo hyems est frigida, æstas uero sicca, ergo uer neq; erit siccum, neq; frigidum, sed erit calidum humidum. quatenus enim accedit ad æstatem quæ est calida, uer quoq; calidum est, quatenus uero accedit ad hyemem quæ est maxime humida, sic humidum est, ergo, &c. sed inquit* Gal. *refle-*

ctendo argumentum ad hominem, si ualeret tuus modus argumentandi in eadem quoq; forma probarem oppositum illius quod dicis, nam eodem modo argumentandi probarem uer esse frigidum & siccum. oppositum autem tu dixisti. Nam sic arguo. Ver mediũ est inter æstatem & hyemem. ergo quatenus in illis mediũ, neq; est calidũ sicut est æstas calida, neq; est humidũ, sicut humida est hyems, sed quatenus accedit ad æstatẽ quæ sicca est, uer quoq; siccũ est, quatenus uero accedit ad hyemem, quæ frigida est, frigidum quoq; est, ergo uer non est calidum & humidum, sicut dixisti tu, sed est frigidum & siccum, quod est oppositum illius quod dixisti. ista sunt argumenta Gal. quæ probant uer habere complexionem temperatam non autem calidam & humidam, sicut quidam posuere, & omnia ualent ut manifestum cuiq; est; maxime uero quartũ uidetur ita tenere, sicut suũ, quoniã idẽ est modus penitus argumẽtandi. Sed sunt quidã postea qui sequuntur Gal. qui alia quoq; addidere argumenta ad id dicentia & probantia uer esse temperatum, & primo quidem sic arguunt circa quod est innatum fieri intemperatum circa illud innatum est fieri temperatum, nam habetis quoq; in philosophia, quòd opposita sunt illa quæ circa idem subiectum nata sunt fieri; & circa idem genus, sed circa tempus ipsum innatum est fieri intemperatum, ergo & temperatũ, sed nullum aliud tempus est temperatum præter uer. ergo & uer est temperatum, in æstate enim calor intensus est & in alijs duobus temporibus est aliqua

qualitas

qualitas excedens, ergo circa tempus fit intemperatum, ex quo sequitur circa illud quoq; fieri temperatum, hoc autem tempus nullum aliud esse potest nisi uer, ergo uer est temperatum. Amplius & secundo sic arguūt circa idem illud tempus est temperatum, in quo omnia generantur, sed in uere omnia generantur. ergo uer est temperatum, ualet argumentū. maior propositio manifestatur quoniam uidemus etiam arbores non generare nisi sint in sano et bono habitu, nam si sunt in malo habitu toto illo anno infecundæ. sunt, modo habitus bonus esse non potest nec sanus nisi tempus quoq; sit temperatum & sanum. probatum enim et demonstratum est a nobis superius cum Auic. & magis declarabitur inferius, tempus sanum & tē peratum facere temperiem corporis: intemperatum autem intemperiem illius. cum ergo in uere omnia ista symphyta generentur, sunt quoq; in bono habitu corporis, ergo & tempus uernum sanum est, si modo uera sunt illa quæ a nobis dicta sunt, quòd temperies corporis non potest stare sine temperie aeris. a signo ergo, & a posteriori probant isti uer esse temperatum. tertio arguunt ad idem sic: illud tempus est temperatißimum, in quo temperate radij solares calefaciunt hanc regionem. probatur ista maior propositio, & uidetur esse nota ex dictis a me superius, quoniam tempora distinguuntur secundum quòd Sol est in quadris Zodiaci, in quibus modo magis calefacit modo minus, secundum quòd à nobis magis & minus accedit & recedit secundum quòd Ptolemæus doce-

bat in quarto quadripartitæ. modo adiungatis illi maiori minorem propositionem sic. In uere radij solares calefaciunt hanc regionem moderate, quoniam moderate quoq; recedit a nobis. ergo uer est tempus temperatum. minor probatur, quoniam Sol tunc est moderate propinquus, & moderate longinquus, ergo moderate calefacit. sed de hoc uidebimus in sequenti lectione. Cum autem Sol est in signo ipsius Libræ non moderate calefacit, non est enim eadem ratio accessus & recessus ipsius Solis. Scitis enim quantum differunt accessus & recessus ipsius secundum quòd iam didicistis ab Arist. in secundo lib. de generat. & corrupt. dicebat enim Arist. accessum Solis esse causam generationis, recessum uero illius esse causam corruptionis. cum ergo Sol accedit & reperitur, neq; nimis longinquus, neq; nimis propinquus, tunc moderate calefacit. est autem sic Sol cū reperitur in signo ipsius Arietis, sed tunc est uer. ergo uer est temperatum. Amplius quoq; probatur quòd uer sit temperatum per Ptholemæum in primo lib. quadripartitæ. Præterea Ptholemæus sæpius cōparat ipsum uer Ioui; modo Iuppiter est temperatus, ergo & uer est temperatum. Ista sunt ferè argumenta quæ adduci possunt ad probandum ipsius ueris temperiem, tum adducta à Gal. tum ab illis qui eius insequuntur sententiam, & quæcunq; talia formari possunt pro illis. In oppositum est alia oppositio antiquorum uirorum, & grauissimorum, qui adducti a ueritate ipsa & rationibus confirmati putarunt uer non esse temperatū,

sed

ſed calidum & humidum, ſunt autem & ad hanc opinionem adſtruendam argumenta oppoſita illis.

Atheneus enim maximus medicus & doctiſſimus probat uer eſſe calidum & humidum, non autem temperatum, & primo ſic arguebat; in uere res generãtur animatæ, modo caliditas & humiditas ſunt cauſæ ipſius uitæ, qualitates autem his oppoſitæ frigiditas et ſiccitas ſunt cauſæ mortis, ergó uer eſt calidum & humidum.i.in uere ſunt iſtæ qualitates. ſecundo quoque arguebat ſic. illud tempus eſt calidum & humidum, in quo generatur plurimum de ſanguine, in uere generatur plurimum ſanguinis ergo uer eſt calidũ & humidum, nam in quocunque tempore generatur plurimum de uno humore ſecũdum affinitatem quam in ſe habent, nam in hyeme generatur plurimum de pituita, quoniam pituita eſt frigida & humida, modo hyems eſt frigida & humida: in æſtate plurimum de bile, quoniam et æſtas & bilis calida & ſicca ſunt: In autumno generatur plurimum de melancholia quoniam utrunq; frigidum & ſiccum, non tamen omnino autumnus. ergo in uere quod eſt quartum tempus generatur plurimum de ſanguine, qui eſt calidus & humidus, ergo uer eſt calidum & humidum. quòd autem in uere generetur plurimum de ſanguine probatur quoq; per ipſum Hipp. in tertia particula aphor. in illo aph. in quo inquit quòd per tempus ipſius ueris, et per principium æſtatis maxime degunt pueri, & qui illis ætate proximi ſunt. Senes æſtate, & principio autumni, reliquo autem autumno & hye-

me magis ualent qui media sunt ætate, pueri autem & illis proximi magis ualent eo tempore, quoniam conseruatur in ipsis humor sanguineus qui correspondet illorum temperaturæ calidæ & humidæ, ergo uer est calidum & humidum. Amplius sic quoq; probatur conclusio: in uere sunt plurimi sudores. ergo uer calidum est & humidum quòd in ipso humidum abundet propter illam causam, propter consequentia, nam cum emanant sudores, aut emanant propter humiditatem, aut propter caliditatem, non propter caliditatem, ergo propter humiditatem, antecedēs autem probatur quòd in uere sint plurimi sudores emanantes, nam Hippocr. in tertia particula aphor. dicebat quòd in uere quod appropinquat ipsi æstati sunt plurimi sudores, si sudores sunt propter humiditatem, et maxime fiunt in illo tempore aeris, ergo uer ipsum erit humidum. propter quod enim unumquodq; tale & illud magis, si propter uer fiunt sudores qui sunt humidi, ergo uer magis humidum erit. Amplius idem probatur hoc modo: in uere sanguinei pessime degunt, ergo uer non est temperatum, sed calidum, & humidum. Vnde dicebat quoque Gilbertus porretanus, si bene memini in illo suo libro de sex principijs in capitu. de quando quòd sanguinei male degunt in uere, ergo uer calidum & humidum: dicebat enim ibi quoq; Porretanus quòd tempora anni alterant nostra corpora. Amplius idem confirmant per ipsum met Gal. & sic astruunt rationem accipiendum allegatum aphor. in tertio aphor. quòd pueri & qui
sunt

sunt illis ætate propinqui bene degunt in aeris parte, quæ affinis est æstati, & in principio æstatis, ubi exponebat Gal. quòd hoc est propterea quia pueri sunt calidi & humidi, & in alia parte sunt generati plurimi humores sanguinei, quoniam illa pars erat calida & humida, ut ergo illa humiditas parum refrenetur statim fiunt temperati, modo in fine ueris & principio æstatis est caliditas & siccitas moderata, quæ refrenat huiusmodi humiditatem, ideo optime degunt eo tempore. quid clarius? cum ipse met fateatur quod nos uolumus, inquiūt isti qui Atheneum sectantur, præterea probant idem per ipsum Hippocr. *qui in lib. illo suo de aere, aqua, dicebat solstitia & æquinoctia esse ualde periculosa, quoniam in istis fiunt maxime mutationes in aere, modo in uere est solstitium ùnum ergo illud periculosum, & quod circa illud est, ergo non temperatum, ut dicis tu ò Gal. sed etiam sic probatur conclusio, quoniam multæ & pessimæ fiunt ægritudines in uere secundum quòd habemus in tertia particula aphor. modo illa non sunt tempora temperata in quibus fiunt multæ ægritudines secundum ipsum* Hippocr. *& Gal. quoq;, ergo uer non est temperatum.* Hæc *sunt ferè argumenta huius contrariæ opinionis et talia quæ adduci possent, nam maxime fundata est ista sententia. uisis argumentis ad utranq; partem tum Gal. & sequacium, tum* Athenei, *quem damnat in hoc Gal.* Reliquum *est ut nunc faciamus illud quod debebamus facere in principio huius dubitationis antequam adduceremus utrinq; argumenta. o-*

portet.n q; præmittamus distinctiones, sicut consueui mus. quæ si præmissæ fuißet in principio nulla fuisset ista quæstio, quoniã prouenit solũ ex mala distinctione profectò erat soluta una data distinctione sine tot nugis, et mirũ est q; Gal. qui consueuit id facere, & semper damnat illos, qui sequuntur talẽ modũ dubitandi, nũc inciderit in eũdẽ errorem. primo. n. ponit argumẽta Athenei, secundo sua contra illum, postea distinctiones suas, postremo soluit Athenei argumenta. si dedisset unã distinctionẽ quam nunc dabimus nos, uidisset tum ueritatem rei, tum etiam argumenta nihil ualere. sed quòd non cognouerit huiusmodi distinctionem, & consequenter ueritatem rei, non credo, sed potius mihi persuadeo, hoc factum esse à Gal. studio contradicendi tanto uiro, quantus erat Atheneus, qui antiquißimus & maximus medicus fuit, cupiebat parumper cum ipso disputare, non enim possum ego aliud imaginari de Gal. Dicamus ergo tunc aerem esse temperatum cum existente in propria temperie nullum intemperatum extraneum ei accedat, quod ipsum quoq; intemperatum reddat: sua autem ista propria temperies non est illa temperies absoluta ponderis, sed est temperies illi conueniens cum est maxime in propria natura, quæ dicitur temperies ad iustitiã, idest temperies quæ illi attribuẽda est iuste: modo aer habet hanc temperiem iustitiæ, & est in propria natura, cum est calidus & humidus: inter enim quatuor elementa has duas quantitates in propria natura & temperie sibi uendicat quod non solum deter-

minauit

minauit Arist. in secundo lib. de generat. & corrupt. sed etiam ipsemet Gal. in lib. de elementis. ubiq; quoq; fatetur caliditatem, & humiditatem esse appropriatas ipsi aeri existenti in propria natura, ergo habemus hactenus tunc aerem esse temperatum, cum habet temperiem debitam ad iustitiam quæ ipsi cõuenit, non alij; modo ista temperies est cum caliditate & humiditate, ergo aer cum est temperatus est calidus & humidus. supposito hoc supponendũ est modo secundo aliud quod est comprobatum ab Arist. & Gal. & est secundum sententiam omnium philosophorum etiam modernorum. hoc autem est, quòd omnia quæcunq; generantur, generantur per calidum agens in humido, & non solum generantur; sed et sic conseruantur, calidum ergo et humidum ingrediuntur generationem rerum per se, quoniam per ipsa res generantur, sed aliæ duæ qualitates, idest frigiditas, et siccitas ingrediuntur opus naturæ per accidens, ingrediuntur generationem rerum per accidẽs, non p se, nã frigidum quatenus retinet ipsum calorem ne ita attenuetur quòd exhalet, neq; posit agere in humidum. frigidi enim est ingrossare & densare & consequenter retinere; ex calido ergo & humido omnia generantur per se & nutriuntur, sed per accidens ex frigido quatenus iuuat ipsum calorem; siccitas etiam ingreditur generationẽ quatenus constipat & non permittit simul cum frigiditate ipsum humidum fluere. ista quoq; superius ostendebamus: ex quo ergo ex his nutrimur, ex quibus constamus, ut dicebamus fusissime

me anno elapſo dum exponeremus primam primi, omnia nutriuntur quæ nutriuntur ex calido & humido, quoniā ex illis generantur per ſe, propterea quæ non nutriuntur & deberent nutriri neq; iam habent calidum agens in humido, ſunt mortua, & ſunt frigida & ſicca, quoniam iſtæ duæ qualitates ſunt per ſe facientes ad corruptionem rerum, ſicut illæ duæ per ſe faciunt ad generationem, unde græci quoq; appellant mortuos ἀλύοντασ quaſi dicant ſine humorib. Ecce ergo quomodo humidum faciat per ſe ad generationem rerum & illarum conſeruationem: omnia enim quæ generantur tantū durant quoad in proprio calido & humido conſeruantur. tertio ſupponēdum eſt à uobis aliud, quòd caliditas & humiditas non dicuntur in omnibus uniuoce, ſed æquiuoce, immo analogice, et ſecundum prius et poſterius, nam uno modo eſt caliditas & eſt humiditas in miſtis cum in illis exceſſu magno ſunt non quòd habeant huiuſmodi temperamentum cum his qualitatibus, ſed quia in illis excedunt, alio modo ſunt iſtæ duæ qualitates in miſtis quatenus per illas conſeruantur in propria temperatura & in eſſe, nam poteſt eſſe illius temperies frigida & ſicca, tamen in eo miſto, neceſſe eſt tamen de caliditate & humiditate eſſe ut conſeruetur in eſſe, alioquin corrumperetur. tertio dicunt caliditas & humiditas eſſe in miſtis cum comparatiue ad alia miſta. dicitur aliquod miſtum eſſe calidum et humidum, cum hoc tamen quòd exiſtit in propria tēperie et illa propria temperies comparata ad temperies aliorum miſtorum

storum dicitur calida & humida, sicut dicimus hepar esse calidum & humidum cum illud comparamus cordi & cerebro, nam temperatura hepatis comparata temperaturæ cordis est calida & humida, sic temperaturam cordis dicimus esse calidam siccam comparatam temperaturæ hepatis: propterea cum his tribus modis dicimus aliquam rem calidam & humidã, dico quòd hoc tertio modo intelligitur ab Atheneo et sequacibus uer esse calidum et humidum, quoniam cũ sua temperie stat caliditas ipsa et humiditas, nõ enim primo modo accipimus esse calidum et humidum quia caliditas & humiditas in illo excedant & propterea Galene, oportebat te ad hoc aduertere sicut alias aduertis, nam ipse in 8 lib. de placitis Hipp. & Plat. *ubi probabat aerem semper in actu esse in corporibus nostris, aquam uero minime, nam pituita est humor aqueus, sed tamen est aqua in actu, spiritus autẽ sunt in actu quoniam cum suscipiant naturam aeris, qui actu est, ideo sunt semper actu. postea addit Gal. adhuc quòd sanguis est humor temperatißimus cum tamen alibi in multis lib. dicat & fateatur apertißime ipsum sanguinem esse calidum & humidum, per te ò Gal. sanguis est temperatus, et cum hoc quòd est temperatus est calidus et humidus comparatiue ad alios humores, quia sua temperies stat cum caliditate et humiditate, sic quoq; debes intelligere Atheneum dixisse, uer esse calidum et humidum, non quòd caliditas et humiditas in eo excellat, sed temperies ipsius aeris in uere stat cum caliditate et humiditate, non-*

ne

ne idem fatetur Gal. sed ostendit se non intelligere gratia contradicendi tanto medico. hac distinctione ipsius caliditatis et humiditatis præmissa, nihil probant in contrarium adducta argumenta tum Gal. tũ sequacium, qñ illa omnia arguunt cõtra illos qui putãt ipsum uer habere caliditatẽ et humiditatẽ excedẽtes. Atheneus autem & qui ipsum sequuntur dicunt uer habere caliditatem & humiditatem, cum quibus qualitatibus stat temperies ipsius, quoniam in uere aer est in propria natura & temperie. nihil enim accedit ad eam neq; calidum neq; frigidum, quod possit in ipsum inducere aliquam qualitatem excedentem, non aliquid humidum, non quid siccum, sed cum ita est tũc est temperatus, ergo in uere est tẽperatus existensq; in sua temperie, quæ est calida & humida, tunc est in propria temperie & natura aer cum est calidus & humidus, quoniam ista est propria illius temperies. Ecce ergo quomodo sua argumenta nihil faciunt contra Atheneum, immo pro illo faciunt. Concedimus nos ò Gal. uer esse temperatum sicut probas, sed tamen in hac sua temperie est calidus & humidus. Nam cum alteratur aer ad aliquam qualitatem excedentẽ, tunc alteratur ratione causarũ alterantium aut propter radios solares, nimium calefacientes, aut propter frigiditatem inductam à uaporibus ascendentibus ex terra. modo in uere sol moderate calefacit sicut iam probatum est, non inducens in aerem caliditatem excedentem, sunt quoq; moderati uapores ascendentes è terra humectantes ipsum, ideo non habet ali

quo modo qualitatem excedentem, sed est temperatus, & cum hac sua temperie stat ipsa caliditas & humiditas: propterea dicimus quoq; nos uer esse temperatum in propria temperie, quæ calida & humida est, propterea tua argumenta ò Gal. nihil probant, quoniam cõcedimus esse temperatum uer sicut dicis, sed est calidum & humidum, cum hac sua temperie, neq; oportebat te adducere tot argumenta et cõtradicere non solum tanto uiro, sed & ueritati. Creditis uos Domini tantæ fuisse pertinaciæ, ut uoluerit dicere uer esse calidum & humidum excessiue? o o nõ est dicendum, quoniam hoc colligimus ex dictis ipsius Gal. in loco citato, & ipse quoq; fateretur si uellet quoniam cognoscebat ueritatem hanc. sed creditis fortasse diuinum hunc hominem non intellexisse opinionem Athenei? intellexit ipse sicut potest clarissime colligi ex ipso met. sed hoc fecit quoniã Gal. erat superbus & cupiebat contradicere Atheneo, quoniã erat maximus medicus & philosophus, ut uideretur omnino maior omnibus. & ideo uidete quòd semper differit cum excellẽtis. medicis & philosophis, non uidetis uos quòd disputet cum istis uulgaribus, quia omnino cupiebat ut diceretur Gal. princeps medicorum, sicut dicitur Arist. princeps philosophorum, nihil aliud cupiebat. & quòd hoc sit uerum uidete etiã quantum ualeant sua argumenta cum sint ita debilia, ut illa una distinctione data soluantur. sunt quidem probabilia & possent capere aliquem, sed soluuntur omnino per aliquod perspicax ingenium. illa distinctione

habita

habita uos inuenictis Gal. ferè semper in suis contradictionibus adducere argumenta probabilia & nihil demonstratiua. Quare Alpharabius quoque ille magnus uir in suis lib. rhetoricorum dicebat in inuestiganda ueritate nõ esse utendum probabilibus & rhetoricis argumentis, sicut facit sæpißime & ut plurimum Gal. inquit magnus ille arabs Alpharabius Gal. enim cum uult inuestigare in quæstionibus ueritatem adducit sua argumenta omnia probabilia quidem, sed nihil necessarij concludentia. uidistis quoq; quid ualeant illa quæ adducit in hac quæstione contra Atheneum & antiquos medicos, qui cognouerunt hanc ueritatem. discurrite per illa omnia, & uidebitis per uos ipsos an concludant aliquid, nisi de caliditate & humiditate excedente, de qua non loquimur, ut diximus loquimur (bone Deus) de temperie aeris, quæ calida est & humida. habetis modo quæstionem hanc completam contra ipsum Gal. qui illam mouit & putauit se concludere contra antiquos cum tamen contra se concluserit, completaq; quæstione accedamus modo ad alia.

LECTIO LI.

IN *calce superioris lectionis uidimus quantum æquiuocatio illa & metaphora fecerit errare illos, qui defendere uolunt. Ver esse temperatum, nam ex distinctione illius data à nobis sua argumenta ruunt, omnia soluuntur per se, nam nos quidem dicimus uer esse temperatum in propria natura, quæ est calida et humida,*

humida, ideo dicimus quoq; illud esse calidum & humidum, tunc enim omnia sunt temperata cum sunt in propria natura, & temperatura, sic quoque uer est temperatum existens in propria natura, quæ quidem non est absoluta sed iustitialis & comparata ad temperaturam æstatis, hyemis, & autumni, est calida & humida. Præterea non ne ipse quoque Gal. dicebat *aquam tunc esse in propria natura cum habet illi additas qualitates scilicet frigiditatem & humiditatem & terram quoq; esse in sua tēperie naturæ, cū est in suis proprijs qualitatibus & ab alijs recedit?* His suppositis *nonne uidetis quòd utriusq; rationes sunt concordes & dicunt ueritatem simul?* Gal. enim & *sequaces arguunt semper de caliditate & humiditate excessiua, Atheneus tamen non intellexit eo modo, ergo contradicit ei* Gal. *Atheneus autem & antiqui doctissimi & excellentissimi dixerunt, uer esse calidum & humidum non excessiue, sed cum sua temperie.* Qui *autem sequuntur illos ex modernioribus arguunt de caliditate & humiditate ueris excessiue, quæ rationes bene arguunt intellectæ modo nostro, ergo dictū iam & declaratum est.* Quoniam ergo Gal. *argumēta sunt probabilia neq; pertranseunt demonstrationem, ideo dicamus ad suum primum, quod tale erat; illud est tempus temperatissimum in quo aer est temperatus. sed in uere aer est temperatus, ergo non est calidum & humidum, nego consequentiam, quoniam ista temperies ueris est calida & humida, ideo stat uer esse temperatum & calidum & humidum compa*

ratiue ad alia tempora, quoniam illius temperies est iustitialis & comparatiua, non autem absoluta. Ad secundum argumentum: illud est tempus temperatũ quod medium existens maxime recedit ab extremis, sed uer est ita, quoniam uer recedit tum ab æstate tũ ab hyeme, ergo est temperatum. nihil ualet contra nos istud argumentum, quoniam cõcedimus quòd uer est temperatum & recedit ab extremis, neque enim ponimus in eo excessus caliditatis & humiditatis, sed sua temperies est calida & humida. Ad tertium quod deducebat ad impoßibile: si uer esset calidum & humidum, sequeretur quòd esset peius omnibus alijs tẽporibus & magis corrumpens, hoc est contra omnes medicos, qui uno ore dicunt uer esse saluberrimum; ergo &c. dico quòd tu ò Gal. deberes hoc modo conficere illud tuũ antecedẽs; si uer esset calidũ & humidum exceßiuum, sequeretur postea tuum consequẽs quod infers: & mirum est de Gal. qui non distinxit de ista temperie absoluta & comparatiua, qua distinctione non data, uidetur concludere argumentũ. Sed quoniam data est à nobis, uidete quantum modo ualeat hoc argumentum, nam uer est temperatum, ergo sanum: ista temperies tamen comparata ad alia tempora, est calida & humida, non autem quòd caliditas & humiditas excedant in illo. Ad quartum & ultimum Gal. quod est ad hominem, dico quòd non considerauit naturam rei, & stupefio quomodo iste homo nunc fit tam proteruus, tamq; contumax contra illos antiquos doctos, superbia certe illi uelabat oculos intellectus.

tellectus. nam hoc argumentum nihil contra nos, sed potius est contra ipsum; non enim illi antiqui faciebant hanc demonstrationem ut disputarent et arguerent, quoniam non erant ita contumaces, bene ipse Gal. fecit postea demonstrationem ad argumentandũ, sed faciebant illam potius ad inueniendam ueritatem, quam certe etiã inuenerunt. propterea non debebas ó Gal. postea reflectere argumentum quando tempe ries aeris in uere est calida et humida non frigida sicca, ideo neq; tuus modus argumentandi ualet sicut ualet ratio ipsorum. uideatis ergo quid probent ista sua argumenta nihil profecto, debebat prius ponere distinctionem sicut consueuit in quæstionibus, neq; deceptus esset, neq; superbia uelasset illi oculos, erat enim arrogantißimus & superbus, conabatur deprimere omnes uiros altißimos, sicut nunc Atheneum, ut seipsum extolleret, cum tamen contra ueritatem procederet, quod neq; ignorabat ipse, sciebat quamoptime Atheneum sequi in hoc ueritatem, sed uoluit illũ parum deprimere, cum tamen seipsum deprimat. nihil aliud cupiebat Gal. nisi nomẽ primi medici, sicut philosophi primi nomen iniunctum est ipsi Arist. Quantum ad hoc dictum ergo habemus uer esse temperatum, cum hocq; calidum et humidum quod neq; negaret ipse Gal. si uellet ueritatem fateri. Vidimus quo modo non est temperatum absolute, quomodoq; non ualeant argumenta Gal. contra Atheneum. Auic. autem idem dicit quod Gal. etsi breuius, cito enim se expedit et dicit. (Et dicemus quod veris com-

plexio est temperata neq; est sicut existimant quidam calida & humida.) *Sed tu Auic. cum Gal. non intellexisti, aut finxisti non intelligere Atheneum, non enim dicit uer excessiue esse calidum & humidum, sicut illi impingis. sed dicit quòd non est medici demonstrare uer esse temperatum, ut se hic expediat de hac quæstione, & dicit hoc munus esse philosophi naturalis, cum ait,* (Certificare uero istud multa inuestigatione est in parte naturalis philosophiæ, credere autẽ debemus quòd uer est temperatum.) *Expeditis his modo ueniendum est ad alia quæ in tex. sequuntur,*) Et æstas est calida, &c.) *ut optime intelligatis illa quæ sequuntur in tex. multa priùs sunt supponenda & præscienda, quoniam dicit Auic. tempus secundum quod sequitur ipsum uer .i. æstatem esse calidam, hoc autem postea probat, & nos probabimus. sed hic potest aliquis dubitare, cur est quòd in æstate aer est calidus. iam diximus quomodo aer fit modo calidior, modo frigidior secundum causas caloris antecedentis, nã cœlestis calor est quoq; faciens huiusmodi tempus calidum, cum ergo corpora cælestia efficiant huiusmodi calidum, oportet quòd in aliquid illum imprimant. de hoc ergo quod suscipit impreßionẽ ipsius caloris, est aer secundum quod probauimus anno elapso in expositione primæ primi, ubi loquebamur de ipsis elementis, illa sunt supponenda, tanquam scita, quoniã puto nos scire illa quæ ibi diximus, aer ergo suscipit impreßionẽ caloris factã a cœlestibus corporibus, secundum*

cundum ergo maiorem recessum & minorem, magis et minus quoq; aer imprimitur ipso calore secundum quòd ipse Arist. quoq; dicebat in lib. secundo de generat. & corrupt. ubi dicebat motum ipsorum corporum cœlestium imprimere calorem in ista inferiora per medium aerem, & communiter quidem motum omnium stellarum, sed primo & præcipue motum ipsius solis, propterea quoniam principaliter secundũ impreßionem illius in aerem caloris etiã calidum & non calidum est tempus, tempora quoq; secundum motum illius.i.accessum & recessum distinguentur: & annus secundum periodum illius finietur & incipiet. et quoniam mutat impreßionem accessum & recessum secundum quatuor quadras zodiaci, in quibus mouetur, ideo quatuor quoq; erunt tempora anni, & secundum motum illius & lunæ fiunt dies quoq; decretorij, de quibus maxime in medicina differitur, de quibusq; locuti sumus alias ex professo, & ostendimus quomodo fiant secundum motus horum syderum in secundo lib. aph. Hipp. ubi est locus proprius, & longam disputationem de hoc fecimus ubi probauimus idẽ rationibus mathematicis quæ hic non sunt repetẽdæ, supponantur. Quare cum sol est in prima quadra.i. in signo arietis facit unum tempus, cum autem est in signo cancri.i. in secunda quadra, facit aliud tempus, & est secunda mutatio ipsius solis, tertia mutatio est cum sol ingreditur punctum libræ, sed secunda illa mutatio cum ingreditur punctum cancri est magna mutatio, quarta quoq; est magna mutatio & est cum iã

pertransiuit tertiam quadram et iam ingreditur punctum ipsius capricorni, & ideo secundum quòd supra dicebamus cum Auic. quatuor sunt tempora, secundũ quòd sol reperitur in quatuor quadris zodiaci, & secundum quòd in singulis mutatur, sic quoque caloris mutatur: nam maior fit secundum maiorem accessum ad aerem & nos, minus autem secundum mitiorem recessum ab aere & à nobis. Quare secundum ista signa uidetis quomodo sunt quatuor mutationes insignes ipsius anni & caloris, nam caloris impreßio moderata est in principio arietis usq; ad principium ipsius cancri, nam sol neq; ita recedit à nobis sicut in quarta quadra, neq; ita accedit sicut in secunda. Cum autem sol est in principio cancri, tunc magis incenditur etiam usq; ad principium libræ, & in hac quadra existente sole, quoniam maxime accedit ad nos & ipsum aerem, maximam quoq; impreßionem caloris facit, & ideo tempus hoc maxime calidum est. cum uero sol est in libra usq; ad punctum capricorni, recedit à nobis semper magis, & ideo semper magis calor minuitur, quoniam uero cum est in capricorno maxime recedit à nobis, ideo paucam facit impreßionem in aere, & propterea sunt maxima frigora ultra hoc quòd non est calor, uidete ergo quomodo secundum recessum & accessum solis calor maior & minor est. in principio ergo cancri intensus est calor quoniam est supra Zenith capitum nostrorum & appropinquat maxime nobis est, enim in sublimi ipsius cœli, cum autem dicimus esse supra zenith capitum nostro-

nostrorum, intelligimus ipsum opponi recte capitibus nostris, & cum est maxime propinquus nobis facit magnam impreßionem caloris. ratio est quoniam tunc radij sui maxime in meridiano cum sint magis oppositi in se reflectuntur & multiplicantur sicq; calorem magnum excitant, & cum reflectuntur faciunt angulos rectos. sed cum non poßint facere angulos rectos, saltem faciunt illos acutos. cum non possunt facere acutos, faciunt obtusos. Sed cum faciunt angulos rectos magis calefaciunt, cum uero acutos minus, cum obtusos minime. Quòd autem hoc sit uerum probatur quoq; in his inferioribus, nonne magis ignis calefacit, & maiorem calorem inducit in illum, qui opposite illi imminet, illiq; [illegible] opponitur, quàm in illum, qui ei recte non opponatur, hoc certum est, & experientia comprobatur. Experimini enim & uos quotidie, saltem potestis experiri. ratio huius est; quoniam illi radij à centro ducuntur, & uirtus ipsa calefactiua educitur è circunferentia. nõne superius quoq; probauimus uirtutem maiorem esse in centro, quàm in circumferentia? quoniam magis unita est. necessario uirtus unita semper maior est seipsa dispersa. Et, ut hanc rem clarißime intelligatis, sit hic circulus bipedalis ipsius ignis; agat in hoc passum, quod illi opponitur recte, agat in hoc quoq; passum oblique se illi exponens: cum per iam dicta à nobis in his quæ habent circunferentiam, uirtus maior sit in medio, quàm in circunferentia, quoniam magis unita; certum est, quòd magis calefaciet illud passum oppo-

ſitum recte ipſi medio, quoniam uirtus calefactiua ad ipſum ducitur ex illo medio, quàm paſſum oblique op poſitum, quoniam uirtus calefactiua ex circunferentia ducitur ad ipſum. Ita ad propoſitum redeuntes di camus, quòd cum ſol ipſe accedat ad nos magis in æſtate, & upra zenith capitum noſtrorum, ſic maiorem quoq; facit impreßionem caloris, quoniam cum ita eſt, opponitur nobis, & radij illius è centro proueniunt, ideo in ſe reflexi, atq; conuerſi faciunt angulum rectum, & maximum calorem excitant. ſi uero propter longinquitatem regionis ab illo non poſſunt facere angulum rectum ſaltem faciunt illum acutum & adhuc calefaciet multum quid eſt, ſed non ita ſicut quando faciunt angulum rectum. Nam regula quoq; eſt apud ipſos mathematicos, quòd cum linea recta ducta cadat ſuper planum facit in ſe conuerſa angulum rectum modo perpendiculariter ſuper illud cadat, ſed ſi non ita perpendiculariter cadat ſuper planum eadē linea cum in ſe conuerſa non poßit facere angulum rectum ſaltem facit illum acutum. acutus autem angulus propinquus eſt ipſi recto, & ſi magis declinet non facit acutum, ſed obliquum. Cum ergo ſol eſt in tropico ipſius cancri, ſi linea perpendicularis recta .i. radij perpendiculares recti cadunt ſuper aliquam partem aeris in ſe conuerſi faciunt angulos rectos. cum autem anguli facti ſunt ab illis recti magis multiplicantur in medio aere ſicq; maiorem faciunt impreſſionem, ideo regio illa cœli difficillima eſt eo tempore, radij autem eo modo faciunt angulum rectū, quoniam

niam recte è centro educuntur circa regionem illam, quæ Siene nominatur, ideo calores in illa sunt intensissimi. nam ut diximus fortiores sunt radij ducti ex centro quàm ex circunferentia. in nostra autem regione non sunt ita intensi calores, quoniam radij perpendiculares non cadunt super illam, ideo non faciunt in se conuersi et reflexi angulos rectos, sed cum nõ possint illos facere, quoniam parum declinant, ideo faciunt acutos qui rectis sunt proximi, ideo sunt quidẽ magni eo tẽpore calores, sed nõ ita intensi sicut in regione Sienæ & in quarto climate. nam sunt in illis aliquibus regionibus, propterea ita intensi ut sint inhabitabiles uel saltem difficile habitabiles. habetis ergo hactenus causas intensionis caloris in ipso aere. principalis enim & immediata causa est, ipsa appropinquatio & accessus solis & rectitudo axis deuenientis ad aerem nostrum: secunda uero & minus principalis causa est reflexio radiorum facientium angulos, modo rectos, modo acutos, modo obliquos secundum quòd ducuntur perpendiculariter et recte à centro, sed his declaratis quoniam mentionem fecimus et faciemus de una propositione, ideo uolo quòd eã physica ratione manifestemus, sumus enim & medici & physici. Apud physicos naturales est una talis propositio, motus et lumen excitant calorem. non enim omnes intelligunt hanc propositionem, & si famosissimam, multi quidem sciunt motũ & lumen excitare calorem, sed cur & quomodo nesciunt, multi sciunt huius rei et effectus quia, ignorant autem pro-

pter quid, nunc ergo aduertatis, quoniam uolo ut habeatis propter quid. Cum enim motus & lumen subtilient ipsum aerem & quanto subtilient tanto rarefacient quanto rarefaciant tanto magis aer accedat ad naturam ipsius ignis, ideo tanto magis quoq; calefit cum ignis sit calidus, nam aer si magis ingrossetur, tendit ad naturam aquæ sicq; fit frigidus. si magis subtilietur, et calefiat tanto magis est uia in ipsum ignem & consequenter calefit secundum quòd dicebat quoque Alex. Aphr. in primo Quæst. natural. cap. si me mini sexto, et quæstione ut diximus & citauimus superius. dicebat enim Alex. quòd quanto aer incrassatur & densatur tanto magis frigefit & aqueum redditur, & quanto magis rarefit, tanto magis incalescit et fit igneus, eadem enim est ratio oppositorum differenter tamen & opposito modo, ex his ergo clare patet quòd quæcunq; attenuant ipsum aerem illum calefaciunt. ista enim consecutiue se habent, et cum attenuatur aer calefit, quoniam tendit ad naturam ignis, sed motus & lumen attenuant aerem ergo illum calefaciunt. cum enim motus localis sit omnium motuum nobilissimus, propterea illi datum est ignire et calefacere, & datus est perfectis corporibus perfecte, imperfectioribus uero imperfecte, secundum enim perfectionem corporum quæ mouentur, commensuratus est, quoniã enim cœlestia corpora perfectissima sunt, ideo natura dedit illis ut perpetuo mouerentur, isto motu locali post cœlestia, quoniam ignis subsequitur, ideo illi attribuit hunc motũ natura uelocissimum. uelocissime

locißime enim mouetur ignis comparatione aliorum elementorum. cum autem magis abeat ab illis corporibus aer habuit quidem hunc motum, ſed non ita uelocem ſicut ignis habuit tertio ſecuta eſt aqua quæ cum magis ab illis diſtet, non habuit à natura talem motum localem, niſi prius ab aliquo mota. ideo dicimus aquam non moueri, niſi motam. cum autem terra maxime omnium diſtaret, ita quòd tamq; centrum omnium ſit, fuit penitus expers illius motus, & habuit ſempiternam in medio quietem, ſicut ignis cũ ſit propinquißimus ipſius cœleſtibus, habuit ut ſemper in motu eſſet ſemper agitaretur hinc inde, nunquam quieſceret, propterea ſecundum motum iſtorum corporum habuerunt calorem maiorem & minorẽ, tanto enim magis appropinquant cœleſtibus corporibus, quæ ſuo motu illa rarefaciunt. Quapropter cũ ignis ſit illis maxime propinquus habuit perpetuam agitationem, & motum ita quòd cum hoc etiam, quòd eſt propinquus motui illorum corporum, ita ſubtiliatus eſt & rarefactus, ut habuerit intenſiorem calorem omnibus alijs corporibus, inflammatur enim per motum ipſius cœli perpetuum & ſui ipſius confricando partes cum partibus, conſequenter quanto magis inflammatur per motum ipſum, calefit quoq; per lumen illorum corporum. Vnde quoniam corpora, quanto tenuiora & ſubtiliora ſunt, tanto quoq; ſunt lucidiora, unde quoniam magis longinquus eſt à talium corporum motu ipſe aer propterea fuit quidem ſubtiliatus per ſuiipſius motum, et motum illorum ita quòd

cale-

calefactus quoque est, non tamen ita sic ut ignis. ille enim cum esset omnium propinquissimus, fuit quoque omnium tenuissimus, & calidissimus consecutiue, qui quidem aer dum hoc modo sit calidus, si magis inter seipsum agitetur & confricetur tendit in naturam ignis quoniam magis attenuatur, cuius illud manifestum est signum quòd cum confricantur lapides inuicem excitatur ignis, quoniam aer ita attenuatur, ut uertatur in naturam ignis. Quare uideatis Domini quoniam cum motus calefaciat non calefacit, nisi quia attenuat prius illud corpus, consequuntur se ista. quoniam mouentur etiam ista corpora & sunt propinqua motui cœlestium ergo attenuantur, attenuantur ergo calefiunt, quanto magis sunt tenuia, tanto calidiora. patet ergo quomodo motus natus sic calefacere dicebamus, postea quòd lumen quoq; calefacit, quòd quidem uerissimum est. nam uidemus quãto magis aer est calidior, tanto magis luminosior, & è contra quòd quidem sensu ipso comprobatur. nam si radij Solis reflectantur super aliquem hominem uestitum in speculo illo concauo, ita calefaciunt ipsas uestes, ut etiam comburat illas, cum ergo Sol magis ad nos appropinquat, tanto magis reflectuntur illius radij, & ideo magis luminosus redditur, & magis etiam calefit, consequenterq; calefacit corpora ista mista, quòd hoc sit uerum, neq; chimerice dictum manifestum est ex dictis ipsius Auic. in litera cum dicat quòd (In æstate maius, & intensius lumen est in ipso aere ideo maior quoque calor,) *cum enim*

enim magis reflectantur radij in eadem æstate, et eadem die cum Sol est in meridiano, quàm cum est in oriente, tamen magis propinquus nobis est Sol, cum est in oriente, quàm cum est in meridiano, a quo prouenit hoc? hoc fortasse est propter concentricos, nam cum est in oriente, est propinquior capitibus nostris, quàm cum est in summo & sublimi ipsius cœli magis calefacit non est reddere causam. est enim dubitatio quomodo idē potest esse longinquior & propinquior nostris capitibus quam dubitationem nolo nunc soluere, neq; huiusmodi rei causam reddere. nam mathematicis id longius probandum et examinandum relinquo. maxime cum nos nunc simus physici & medici. non enim attinet ad professionem nostram propterea ista iam dimittamus, & ueniamus ad ea, quæ negocio nostro subseruiunt. sat enim sit dixisse illa pauca pro intellectu eorum quæ dicit Auic. hic. scio enim in hoc meo auditorio esse multos bonos mathematicos & Astrologos, qui hæc sciunt ideo ista dimittam illis consideranda. scio postea quòd sunt multi qui astronomiam nunquam didicerunt, neq; ista intelligunt, & isti me deridebunt, si amplius super his rationes adducam, nam cum non intelligant, ad quid ista adducere? Vos uero qui ea scitis nihil discetis, nollem enim ut contingeret, sicut contingit illi prædicatori Arlotto Piouano, qui cum concionabatur dicebat ea quæ nec ipse, nec alij eum audientes intelligerent. Veniamus ad nostrum negocium. Nota quòd cum descendisset cathedram & iret domum nosq; ipsum conueniremus,

remus, dixit ſub porticu Aromatariæ *de la burſa, quòd ille* Peretus *Mantuanus, quem audiebat dum ueniſſet ad declarandũ quoddam exemplum in textu* Ariſt. *erat enim philoſophus, quod exemplum mathematicum erat dixit*, Domini, Ego nolo *facere, ſicut faciebat meus præceptor* Nicoletus, *qui cum uellet exponere iſta exempla mathematica dicebat*, Ego no*lo declarare quia ego quidem intelligo illa, ſed quoniam uos non intelligeretis, taceo ego autem, inquit* Peretus, *dico quòd ſcio hic eſſe multos bonos Aſtronomos & mathematicos*. Ideo *ſi intelligerem hoc exemplum declararem, uos qui ſcitis declarate mihi, ſic quoq; poteram dicere ego, inquit* Montanus.

LECTIO LII.

IAM *audiuiſtis in calce præcedentis lectionis, quomodo in æſtate maior eſt calor, quàm in alijs temporibus. quæſitum deinde erat cur cum magis appropinquet nobis, cum eſt in oriente, quàm cum eſt in meridiano, tamen minor calor excitatur. ſed ſolutionem huius prætermiſimus quoniam noſtrum negociũ non eſt. ad oſtendendũ autem cur maior calor in æſtate eſt utebamur duplici cauſa & ratione. prima autem & principalis erat appropinquatio ipſius* Solis *ad* Zenith *capitum noſtrorum, cum enim nobis eſt propinquus, tunc radij proueniunt ab axe illius, uel ſaltem exeunt magis propinque a centro* Solis. *ſecunda cauſa erat reflexio radiorum facientium angulum rectum cum perpendiculariter cadunt radij, uel ſaltem*

tem acutum cum non ita perpendiculariter cadūt, qui proximus est recto. nam quomodo reflexio radiorum potest esse principalis causa cum illa non fieret nisi Sol nobis appropinquaret, nam quoniam propinquus est nobis reflectuntur illius radij, & declarabamus quomodo in æstate magis appropinquat nobis, et etiam uidebamus illam propositionem famosam quomodo motus & lumen calefaciunt. adduximusq; super hoc rationem physicam quoniam multi sciunt quidem quia illius propositionis sed propter quid ignorant, propterea declarauimus, quomodo per subtiliationem & attenuationem calefaciunt, quæ iam sunt a uobis supponenda, neq; amplius repetenda. illa .n. sumus speculati antequam ueniremus ad ea, quæ dicit Auic. in hoc cap. Nunc ergo uisis illis ueniamus ad expositionem text. Auic. qui uult probare & ostendere causas cur est quòd Sol magis calefacit in æstate, quàm in alijs temporibus, idest cur est quòd æstas sit calidior omnibus temporibus, & inquit, (Et æstas est calida propter ea quia Sol oppositioni capitum est propinquus,) *hæc est principalis & prima causa quā nos quoque reddebamus, quoniam enim in æstate magis appropinquat nobis Sol, ideo maior calor excitatur, ostendimus quomodo & cur fiat. ista enim iam sunt declarata, nolo amplius immorari in his: dicit postea,* (Et fortitudo existit radij qui ab eo profluit, &c.) *Aduertatis quoniam Auic. concludit quod dictum est, quòd scilicet æstas calida est non solum eo quia proximus*

est

est nobis Sol, sed etiam quia radij reflectuntur & faciunt uel angulos rectos, uel acutos si rectos facere non possunt, sed tamen nos dicebamus illam primam esse principalem causam, quoniam sine illa hæc secunda nulla est, dat ergo hanc secundam causam, nunc cũ dicit. Et *fortitudo radij existit qui ab eo profluit, qui imaginatur conuerti retro in æstate, aut super angulos ualde acutos, aut super seipsum in lineis in quibus penetrauit. hæc omnia sunt dicta a nobis: nonne uidetis quòd idem dicit, est tamen differentia quoniam nos clarissime exposuimus hãc rẽ et ordinatissime. sed ipse in hoc maxime inordinatus & difficillimus in suis uerbis, ita quòd intelligi ferè non posit, quòd hoc sit uerum, patet quoniam etiam sui expositores hic quærunt de ipso, cum non poßint percipere uult enim dicere; & fortitudo existit radij, qui ab eo profluit, cùm appropinquat magis Sol Zenith capitum nostrorum, tunc radij ab eo profluentes sunt fortiores in calefaciendo.* Ecce *ergo quomodo reflexio supponat priorem causam, idest appropinquationem. ratio huius est, cum dicit,* (qui imaginatur conuerti retro in æstate) *notate illud uerbum* (imaginatur,) *ut intelligatis Auic. est enim uerbum paßiuum in hoc loco, ut dicatis quoniam nos imaginamur, oportet quòd etiam uos imaginemini hoc uerbum imaginatur paßiue iacere. uidete quomodo propter ignorantiam istorum interpretum oportet uos discere nouare grammaticam. non possum aliud facere ego. hic est sensus quoniam nos imaginamur illos radios refle-*

cti,

cti, & in aere facere angulos rectos, & tunc maximus intensißimusq; calor est, sicut in siene & quarto climate. aut si non possunt facere angulos rectos saltē faciunt illos acutos & multiplicātur ita in medio, sicq; excitāt calorem. dixit autem quem radium nos imaginamur reflecti, quoniam reuera non est reflexio, sed est mathematica reflexio, sed cum reflectatur corpus illud in quo sunt radij illi quoq; reflectum solius corporis est reflecti: reflectitur & incorporeum dum sit in corpore quod reflectitur, qui ergo habent radios reflexos facientes radios rectos maxime calefiunt, sicut illi qui inhabitat illam regionem siene. sunt enim sub tropico cancri, & ideo accipiunt radios profluentes a centro. sed cum ista nostra regio non sit sub tropico cancri, non accipit radios immediate profluentes à centro Solis: tamen accipit illos propinque profluentes a centro, propterea radij illi in nostra regione reflexi non faciunt angulos rectos cum perpendiculariter non cadant a centro super illam, sed faciunt angulos acutos qui rectis sunt proximi. ideo in hac quidem regione fiunt calores, sed non ita intensi sicut in illa. dictum est enim lineam cadentem rectam super planum si perpendiculariter cadat in se reflexam facere angulum rectum, si autem parum declinet facere acutum. radij ergo qui super capita nostra cadunt, non cadunt perpendiculariter, sed aliqualiter declinant, & ideo cum non possint facere in se reflexi angulum rectum, faciunt illum quem facere possunt .i. acutum, qui recto proximus

mus est. Quare ex his potest patere quemadmodum maior et minor calor sit secundum approximationem maiorem & minorem ipsius Solis, & secundum quòd regiones maxime appropinquant illi regioni in qua radij reflexi faciunt angulos rectos, nam magni post illam regionem sunt calores in quarto climate, quoniam radij reflexi faciunt angulos acutos ualde, in primo uero climate & secundo fiunt minus acuti, propterea, & minores calores. in sexto, in quo sumus nos minus acuti fiunt, & in fine sexti climatis, & in septimo toto fiunt, non acuti amplius, sed obliqui. propterea non solum non sunt ibi calores, sed etiam sunt semper maxima frigora. (Quando ergo, inquit Auicenna, aut super seipsum in lineis in quibus penetrauit, & propterea inspissatur radius, intellexit cum conuertuntur huiusmodi radij in se multiplicantur, & virtus eorum fortificatur, sicque magis calefaciunt.) *Ecce quomodo intelliguntur dicta ipsius Auic. Intellectis his quæ iã sunt declarata à nobis, quomodo enim intelligeretis hanc literã nisi prius intellexissetis illa quæ diximus, dicatis obsecro. sequitur autem in litera, & inquit* (Huius uero causa pro certo existit eo quòd casus radij Solis alius est qui est sicut casus axis columnæ & pyramidis, sicut si à centro corporis Solis penetret ad illud quod est ei oppositum,) *dicit Auic. quòd reflexio huiusmodi radiorum facientium angulos rectos, uel ualde acutos excitat calorem. Cum ergo est pro=*

propinquus nobis sol ipsius centrum propinquum est & super axe. axis autem est linea ducta a centro cæli ad circumferentiam, cadunt radij facientes angulos rectos uel acutos formant quandam figuram uel pyramidis siue columnæ. hoc namq; proprium est corporum calidorum luminosorum, ut faciant scilicet pyramidem, cuius pyramidis acumen est ipsa axis. pyramis autem semper habet acumen supra, seu dicatis illud quod est acutum, cum uero descendit, tunc facit Clunum. Quare cum radij reflectuntur tunc faciunt columnam, cum faciunt angulos & sic multiplicātur, et excitāt calorem. ista sint hoc modo declarata, dicit postea Auic. (Alius est qui est sicut superficiei & circunferentiæ, aut qui est propinquus circunferentiæ &c.) *Nunc Auic. ostendere uult quòd radij uel cadunt ab axe solis, uel ab illius circunferentia. Si cadunt ab axe, tunc maiorem calorem inducunt, si autem proueniunt à circunferentia debilius agunt. quoniam ergo in hyeme nos habemus radios prouenientes à circūferentia propter magnam illius à nobis longinquitatem, propterea minimus est calor, minor enim uirtus est in illis qui proueniunt à circunferentia, quàm illis qui proueniunt à cẽtro, in æstate enim maior calor est, quoniam à solis centro procedunt radij, propterea inquit Auicen.* (Alius est qui est sicut superficiei & circunferentiæ, aut qui est propinquus circunferẽtiæ.) *Postea reddit causam, cur est quòd radius proueniens à centro solis est fortior in calefaciendo, et*

 maior

maior ipſius uirtus eſt quàm radij illius uirtutis, quæ à circunferentia deuenit, et ait quòd hoc eſt quoniam illi radij qui à circunferentia naſcuntur cum reflectantur ad centrum adiuuant uirtutem ipſius centri, propterea in illo tota uis eſt, et propterea fortiores ſunt radij qui ab ipſo oriuntur in agendo, nam non ſolum habent uirtutem ipſius centri, à quo oriuntur, ſed etiam circunferentiæ, ſed non è contra. non enim radij centri adiuuant qui naſcuntur à circunferentia, et ideo ſunt paucæ uirtutis et fortitudinis in agendo, et dicit. (Et eius quidem uirtus exiſtit in axe & quòd impreſsio ei aduenit ab omnibus extremis) *ille uero qui eſt in parte extremorum .i. qui eſt in circūferentia magis debilis. ratio eſt quoniam uirtus centri non deuenit ad ipſam. Quapropter nos ſumus cadentes in æſtate ſub axe circa ipſum, et perdurat hoc tempus ſuper nos, qui morātur in iſtis latitudinibus. Quaſi dicat* Auic. *quòd illa regio in qua ipſe erat eſt ſub axe ſolis .i. quòd radij ſuper illam cadentes deueniunt à centro ſolis, uel propinque. Ecce quomodo quamoptime ſubiunxit illud uerbum.* (Nam illi ſolum ſunt ſub axe) *.i. radij directe cadentes ſuper ipſos naſcuntur à centro qui inhabitant regionem exiſtentem ſub tropico cancri, nam cum proueniant à centro reflexi, faciunt ibi angulos rectos & maximum excitant calorem, itaq; ferè ſunt inhabitabiles, aut ſaltem ferè difficile habitabiles. Quanto autem magis regiones ſunt propinquæ illi, tanto magis quoq; habent radios propinque na-*

ſcentes à centro; quia ergo ſua regio erat illi propin qua, propterea radij cadentes, ſuper ipſum naſcuntur propinque à centro ſolis, ideo in illa regione fiũt quoq; in æſtate magni calores. Et *in illis latitudinibus regionum, & quoniam ſunt plurima climata, non autem unum ſolum clima propterea artificioſe dixit.* (Et hi qui morantur in iſtis latitudinibus) *in numero plurali, non autem in iſta latitudine in numero ſingulari. quod autem in æſtate habeamus radios natos à centro ſolis uel ſaltem propinquo à centro, probat adhuc* Auic. *ſigno & inquit.* (Ideoq; in æſtate lumen exiſtit magis ſplendidum licet ſpatium quòd eſt à noſtro loco ad locum Solis ſit longius, cum ſol exiſtit circa ſuam augem.) *Quod habeamus radios natos propinque à centro & reflectuntur faciuntq; angulos ualde acutos probatur, & oſtendo inquit* Auic. *ſigno, nam* (uidemus quòd in æſtate magis luminoſus eſt aer quàm in alijs temporibus) *inditium maximum quòd reflexi maxime in aere multiplicentur modo cum maior exiſtit lux in medio aere & intenſior reddit illum magis luminoſum & illum rarefacit, ad rarefactionem autem ſequitur caliditas, ſicut ſupra dictum ſatis eſt. ideo cum in æſtate luminoſior eſt aer, calidior quoque erit, iſta enim ſe conſequuntur, quoniam luminoſus eſt, ideo rarefacit aerem, rarefacit aerem, ideo illum calefacit, quanto enim magis illum rarefacit, tanto magis quoq; uertit illum in ignẽ conſequenter reddit illum calidum. ſed diceret quis cur*

in meridiano quoq; cum sol magis longinquus est à nobis quàm cum est in oriente, tamen maior lux & intensior est in meridiano quàm cum est in oriente, & maior calor; non enim uidetur hoc posse consonare ueritati, propterea astronomi imaginati sunt orizontem, qui quidem distinguat hemisphærium superius ab inferiori, ideo dicunt, surgat sol ab hemisphærio inferiori ad superius, & linea ducatur recta, tunc ab oriente ad orizontem, & alia à meridiano ad eundem, certum est quòd longior erit illa quæ ducitur ab oriente ad orizontem, quàm illa quæ est à meridiano ad orizontem. ideo maior quoque lux est. sed ista longe melius & subtilius, longeq́; probata sunt à mathematicis in theoricis planetarũ. hæc potius dicta sunt ut satisfacerem huic negocio, pingui enim crassaq́; minerua sunt pro nunc ista probata, ideo non amplius immoremur in his, sed illa mittamus ipsis mathematicis, & hoc totum est quod inquit Auic. *quòd cum sol est in meridiano .i. in auge, est longinquior à nobis quàm cum est in oriente, propterea* Auic. *respondet huic dictioni & inquit quòd* (hoc est probatum & declaratum à philosophis naturalibus in parte philosophiæ naturalis) *quæ Astronomia appellatur & dicit* (istius uero longinquitatis & propinquitatis, scilicet cum est in auge) *.i. in meridiano & in oriente comparatio in parte astronomica partis disciplinalis philosophiæ declaratur. remittit ergo huius rei declarationem ad philosophum naturalem.* Et *quoniam certũ est ex his quæ dixit*

dixit Auic. motum & lumen calefacere, propterea remittit se ad philosophum naturalem, quoniã in parte una naturalis philosophiæ hoc declaratum est, cum inquit. (Et certificatio fortitudinis caloris & fortitudinis luminis monstratur in parte philosophiæ naturalis.) *Quo ad primum, quoniam non est nostra professio, pauca quædã diximus, & remisimus nos ad astronomos, sed quoniam nos sumus & Medici & philosophi, ideo declarauimus secundum, quomodo scilicet lumen & motus calorem excitent, dedimusq; huius rei, propter quid nolo amplius illa repetere sed suppono, ego uos illa iam intellexisse. sed ueniamus ad alia ne toto hoc anno stemus in hoc cap. Cum ergo Auic. iam probauerit satis æstatem esse calidam, cum etiam sensu ipso sentiamus eam esse calidã, cõsequenter modo uult probare quæ qualitas paßiua ei conueniat, et ostendet eam esse siccam, cuius rei aßignat tres rationes, prima harum causarum est quòd æstas est sicca, propterea quia uapores non ascendunt humidi sicut in alijs temporibus, nec faciunt pluuias, propterea etiam qui in illo sunt, resoluuntur a magna & intensa radiorum caliditate, ideo non humectatur aer. sed aduertatis, quòd nunc loquimur de æstate naturali, non autem de æstate illa, quæ præter naturam est propter aspectus et constellationes, nam potest esse æstas maxime pluuiosa, sed si est æstas naturalis, uapores nisi rarißime ascendunt, & ita fiunt pluuiæ rarißime, quoniam illos uapores caliditas Solis resoluit. Sed dicemus de hoc in*

secundo cap. idest in cap. seq. nolo nunc in hoc immorari, ne ponamus cap. in cap. et bis idem repetamus, quod pro nunc supponendum est tanquam certum, quoniam probabitur. Supponit unum Auic. in hoc toto cap. quod est notandum à uobis, ne fallamini. Supponit enim q; consideremus aerem non in propria natura, quoniam est calidus & humidus, nam hæc consideratio pertinet ad ipsum philosophum naturalem. probat enim ille aerem esse quandam substantiam cõpositam ex materia & forma, calidam & humidam. Consideratio autem medici de ipso est non ut est in propria natura, sed ut est semper commistum aliquo extrinseco, quod illum reddat modo frigidum, modo calidum, modo siccum, modo humidum, considerat enim medicus ipsum aerem quatenus expiratur & inspiratur, et extrinsecus alterat corpus humanum, nihil quærit de parte illa aeris superiori calida humida, sed de hac inferiori, quæ semper circundat corpora nostra. Vana enim esset illi consideratio illius. debet enim considerare de aere, ut alterat et. immutat nos, modo non immutat, nisi iste qui nobiscum est, non immutat autem nisi immutetur, non immutatur nisi per aliquod extrinsecum illi accedens. non enim calefit aer, nisi per aliquid ei accedens, quod calidũ sit infrigidatur per aliquod frigidum commistum, humectatur per aliquod humidum, exiccatur per aliquod siccum, & hæc est summa conclusionis ipsius Auic. non enim intelligetis illum, nisi hæc prius sciatis, nihil penitus intelligetis de illis quæ dicit, quæ iam dixit,

dixit, & etiam dicturus est in hoc toto cap. Ideo *causa cur exiccatur aer est, quoniam illius substantia resoluitur ab illa caliditate intensa.* Amplius *dicit tertio quòd æstas sicca est.i.aer siccus est in æstate, quoniam non accidit illi quod solet accidere cum humectatur, nam illi non accedunt pluuiæ propter iam dictã causam, quoniam uapores non ascendunt ad ipsum, et illi pauci qui in ipso sunt commisti resoluuntur a magna caliditate. cum ergo non humectatur aer ab illis exiccatur, non autem siccatur alia de causa, nisi quia suo humido priuatur, hoc enim probabit inferius* Auic. *cum hoc etiam præbet ille* Aristot. *in suis libris de generat. dicit enim quòd humectatio & exiccatio opponuntur priuatiue, exiccatio enim est priuatio humectationis, illa uero est fortior alijs rationibus quoque & causis; quoniam scilicet humidum proprium ipsius aeris & substantia resoluitur a tam intensa caliditate; hæc ergo sunt tria quæ reddunt siccum ipsum aerem tempore æstatis.* Cum *ergo ex his tribus causis satis manifeste liqueat æstatem esse siccam, & iam probatum sit eam esse calidam, reliquum est, ut concludamus ipsam æstatem esse calidam siccam. de caliditate illius iam diximus superius, de siccitate illius, iam audiatis.* Notandum *ergo a uobis est Domini, quòd superius quoque admonebamus nos appellare aerem æstiuum esse calidum siccum, & aerem in se calidum humidum comparatiue, non autem absolute, ideo cum comparetur ad aliud, oportet etiam quòd inueniamus*

illud, ad quod comparatur & refertur, non enim ad unum solum tempus refertur, sed ad reliqua omnia tempora. Aestas ergo cum dicitur esse calida sicca intelligitur comparatiue tum ad hyemem, tum ad reliqua duo tempora, si enim aestas esset calida sicca absolute, ita quòd caliditas tunc ipsius aeris esset absoluta, non autem relata ad reliquorum temporum qualitatem, tunc non possemus respirare, et si respiraremus. & si respiraremus non euentarentur, nec refrigerarentur spiritus ipsi. et sic cum non refrigerarentur sic ignirent et exhalarent, et dimitterent corpus humanum, quod postea moreretur, propterea semper aer est frigidus respectu nostrorum corporum, et ipsorum spirituum semper est frigidus humidus, respectu nostrum. Vnde dicebat quoq; Gal. quomodocunque sit calidus aer in regionibus habitabilibus semper est frigidus, respectu nostrorum corporum, quòd si non est frigidus, tunc illae regiones sunt inhabitabiles. quòd si sit uerum patet per hoc signum, quoniam quotiescunque in tempore aestiuo calidißimo etiam discooperitur ipsum cerebrum aliquo magno uulnere leditur semper frigiditate, et ad frigiditatem alteratur, sicut dicebat quoq; Gal. quòd non esset, nisi semper aer esset frigidus respectu nostrorum corporum. bene uerum est quòd modo est calidior, modo frigidior, modo siccior, modo humidior, sed semper est frigidus. dicit ergo, (Et aestas preter hoc, quod est calida, est etiam sicca propter resolutionem humorum, quae fit in ea a mul-

multa caliditate,) *hæc eſt prima cauſa cur æſtas ſit ſicca; dat poſtea ſecundam rationem cum dicit,* (& propter reſolutionem ſubſtantiæ aeris,& ipſius ſimilitudinem cum natura ignea,) *ita legitur in textu antiquo ſed melius eſt, ut legamus hanc literam ſecundum quòd correxit ille Andreas Alpagi, dicit enim quòd non corrumpitur, quoniam ſequeretur maximum inconueniens, nam duretur uacuum, quod tantum abhorret natura, ſicut habetis a philoſophis maxime ab* Ariſt. *4. phyſ. ſed corrũpitur ſubſtantia et reſoluitur quia maius ſpacium occupat cum rareſiat caliditate. nam ſecundum* Ariſt. *quarto lib. metheor. et ſecundo lib. de generat. et corrupt. illa ſunt inſpiſſata et rara quæ habent paucam materiam, magnum uero locum occupant: illa uero denſa quæ habent multam materiam, ſed paucum locum occupant, propterea philoſophi antiqui dicebant quòd rarum et denſum ſunt principia rerum naturalium, ut narrabat* Ariſt. *contra quos ille arguit, ſed etiam ipſi habent multas rationes & magni momenti pro ſe, non enim oportet quòd tantum uideamus argumentationes contra ipſos ipſius* Ariſt. *ſed & eorum placita, & placitorum fundamenta, quoniam non mouebantur ſine aliquo fundamento tanti uiri, neque aſpernamini eorum ſententias, ſed quàm optime illas ſpeculemini.* Ariſt. *autem poſuit calidũ, frigidum, humidum, & ſiccum eſſe principia rerũ naturalium, quoniam ſunt principia ipſius generationis rerum naturalium ſecutus ipſum* Platonem, *& primo*

mo Hippoc. qui antea fuit. ab illo enim omnes philosophi acceperunt postea suas sententias bonas, non q; ipse Hipp. putarit istas quatuor qualitates esse principia substantiarum, non enim tam ignarus fuit, non tam ignari illum sequentes Arist. & Plat. Sed per illas qualitates intelligentes ipsa elementa quatuor: quæ sunt corpora simplicia, nam elementorum nomina, sunt potius nomina balneatorum secundum quod dicebat Gal. primo lib. de Elementis. Dico ergo quòd densum & rarum secundũ hos antiquos philosophos, sunt principia rerum, nam ad raritatem sequitur caliditas: ad densitatem uero frigiditas. Quare ego quoq; dico cum his philosophis quòd rarum & densum immediate sunt mutantia ipsius substantiæ: quomodo enim mutabitur aer in aquam, nisi de raritate mutetur in densitatem: Nam quàm primum aer incipit densari, incipit quoq; mutari in sua substantia, & accipere formã aquæ. si cum aqua incipit rarefieri, mutatur in sua substantia, & accipit formam ipsius aeris, nam ad raritatem sequitur caliditas, quæ stat cum aere. ad densitatem uero frigiditas, cum qua stat aqua, propterea rarum & densum sunt rerum naturalium principia. Sed non propterea sumus nos pro philosophis antiquis contra ipsum Aristot. immo sumus cum illo. nam dico ego solum quòd rarum & densum sunt immediata principia mutationis rerũ naturalium: calidum uero frigidum humidum & siccum dicimus esse causas intrinsecas ipsius rei naturalis. sed hæc sint satis, quantum ad hoc. nolo enim in hoc protrahere

trahere sermonem meum, dicemus alias, & diximus de hac re. satis est quòd nūc excitaui ingenia uestra. melius ergo est ut redeamus ad propositum nostrum quòd legamus secundum tex. Auic. ut scilicet dicamus aerem tempore æstatis exiccari propter ipsius rarefactionem ab intensa caliditate, nam quanto magis rarefit, tanto magis aßimilatur igni, & accipit de forma ipsius, quòd uerum sit hoc quòd litera Andr. sit melior. uideatis quoniam subiunxit Auic. (Et ipsius similitudinem cum natura ignea,) *quid clarius esse potest, nam quomodo aßimilatur ipsi igni, nisi quando rarefit. quoniam magis subtiliatur, magisq; calefit, propterea certum habeo, non poßibile aliter esse literam Auic. quoniam eius mens est ista, Cum enim rarefiat ab illa magna caliditate consequēter tendit ad naturam ipsius ignis, modo ignis non potest esse sine siccitate, propterea aer exiccatur, concluditur ergo ex dictis æstatem esse calidam & siccā. dicit modo quæ sit complexio hyemis cum dixerit de complexione æstatis, & dicit quòd* (Hyems est frigida & humida, habet enim contrarias, qualitates qualitatibus ipsius æstatis quoniā etiam habet causas contrarias illi,) *quas non numerat gratia breuitatis, nam possunt colligi ex his quæ dicūtur de æstate cum oppositionis eadem sit ratio & disciplina opposito modo. Postquam non uultis me amplius legere audiatis saltē quid faciendū sit; Cras disputabitur cum ipso Auic. de complexione ueris & autumni, & comparabuntur inter se istæ duæ com=*

complexiones. ponit enim duas conclusiones probandas Auic. prima est quòd uer est temperatißimum, secunda quòd autumnus est frigidus & siccus, quas quidem conclusiones sustinet & fulcit multis rationibus, ita quòd nihil aliud facit in hoc reliquo totius cap. nisi probare istas duas conclusiones. uidebitis quantum laborabimus contra ipsum.

LECTIO LIII.

IN autumno uero iam calor diminutus fuit, & frigiditas nondum peruenit ad complementum, &c.) *Vt intelligatis ea quæ dicuntur in hoc toto cap. debetis diligenter scire quemadmodum Auic. intendit probare in hoc cap. has duas conclusiones; quas modo dicemus; & sciatis quoniã cum dicimus uer & alia tria tempora talia esse, non intelligimus quòd ueris substantia sit talis, sed quia secundum tale & tale tempus permiscentur in eo tales & tales uapores, talia & talia extrinseca, siue refrigerantia, siue calefacientia, siue humectantia, siue exiccantia. hæc est prima conclusio scienda, ut ueniamus postea ad ea, quæ dicit Auic. Sed nos ponimus hic aliam conclusionem contrariam illi; Quoniã dicimus ipsum uer esse calidum humidum, sic quoque alia tempora; sed dicamus nunc de uere. dicimus ergo uer est calidum & humidum in propria substantia, quoniam habet talem temperaturam ipse aer, hoc autem probabamus superius in propria quæstione, ut audiuistis. secundo dicimus quòd uer est calidum & humidum,*

humidum, æstas uero calida & sicca, sicq; alia tempora cum suis qualitatibus, quia aer tunc in propria substantia habet huiusmodi qualitates, non autẽ quia illi aliquid extrinsecum accedat, bene illud quod extrinsecus accedit consideramus, sed consideramus ipsam substantiam aeris, scilicet quod efficitur talis uel talis, nam quotiescunq; excedunt in ipso qualitates, istæ tunc excedunt uirtute ipsius Solis & uaporum alterantium ipsam substantiam aeris, nam cum est in ipso maior caliditas et siccitas quàm illi conueniat, tunc est ratione Solis alterantis ipsum, sicq; in uere aer est humidus & calidus in propria substantia. secunda conclusio quam hic ponit Auic. est quoniam enim intendit probare quòd uer comparatum ipsi autumno est temperatum, sed autumnus quoad qualitates quidem actiuas est temperatus, quia in illo non excedit aliqua duarum qualitatum actiuarum, neq; frigiditas, neq; caliditas. quo ad ipsas qualitates paßiuas, dicit Auic. quòd, (Autumnus est tẽperatus sed in eo excedit ipsa siccitas,) *quod quoque dixit Gal. ego autem oppositam conclusionem sustineo, Dico enim quòd autumnus non est temperatus quo ad qualitates actiuas, neq; siccus quoad paßiuas, sed bene concedo secundo autumnum neque esse calidũ, neque esse frigidum, neq; humidum, neque siccum, sed est inæqualis, modo frigidus, modo calidus, modo siccus, modo humidus. Vnde & inæqualis autũni &c. dicebat ille Poeta uidens autumnum esse inæqualem quoad suas qualitates. Auic. ergo ut diximus sustinet*

net autumnum frigidum ſiccum, uel temperatum in a-ctiuis, ſed quantum ad paßiuas dixit illum eſſe ſiccũ, nihil aliud uult probare in hoc toto cap. Videte modo *quomodo in probandis his dictis eſt longus more ſuo. iſta autem oppoſita nos ſuſtinemus, quoniam ueritatem rei attingunt. ſecundum conceptum intellectus mei, ego nolo damnare opinionem contrariam, ſed ego illam uobis fideliter recitabo & confutabo rationibus & ſenſu ipſo atteſtante, poſtea ponam ſententiã meam in hoc, uos eligetis utramuis, nolo enim ut in hoc alicui ſitis addicti, non mihi magis quàm* Auicen. *ſed eligite eam quæ placuerit uobis.* Ego omnia recitabo, *non aſtringo uos.* Videamus *ergo iſtas probationes* Auic. *primo quomodo uer eſt temperatum, & quomodo ipſe autumnus eſt temperatus in actiuis, ſiccus uero in paßiuis. ponit ergo primo unam propoſitionem deinde illam probat rationibus. propoſitio eſt iſta; autumnus eſt temperatus quo ad actiuas, ita ꝙ in eo, neq; frigiditas, neq; caliditas ſola dominatur, ſed ſimul ambæ; quo ad paßiuas autem non ſic eſt immo eſt ſiccus. dicit ergo in autumno uero iam calor diminutus fuit, & frigiditas nondum peruenit ad complementum, & ſimile exiſtit quòd iam in medio ſtamus longitudinis, quæ eſt inter axem quam nominauimus, & inter circunferentiam, propinquus igitur exiſtit in temperamento quòd inter caliditatem et frigiditatem exiſtit. hæc eſt probatio primi dicti ipſius propoſitionis, ſeu concluſionis; ratione enim hac probat autumnum eſſe temperatum, quo ad actiuas qualitates,*

litates, quoniam tunc neq; est excedens caliditas, neq; frigiditas, cum ipsi radij Solis appropinquant nostro capiti mediocriter, ita quod neq; nimis distat a nobis, neq; nimis appropinquat Sol, tunc enim ipsius radij reflectuntur quidem, sed mediocriter, ita quòd neq; faciunt angulum rectum, neq; ualde acutum, sed mediocriter multiplicantur in medio, ideo mediocriter quoq; illud calefaciunt, nam cum est propinquus magis Zenith nostrorum capitum ipse Sol, radij ab illius centro procedunt, ideo habent magnam uim calefaciendi, cum uerò distat a nobis, tunc radij nascuntur a circunferentia & minimam uim habent calefaciendi, immo ita minimam habent illam uim, ut minimum excitent calorem propterea tunc sunt frigora, cum uero neq; ita longinquus est, neq; ita propinquus, sed est in medio, tunc radij, neq; a centro, neq; a circunferentia nascuntur, sed propinque tum ab ipso centro, tum a circunferentia, & sic habent mediocriter calefaciendi uim. Quare tunc calor quidam temperatus & mediocris est, sed ita est in autumno, non enim nimium appropinquat nobis Sol, neq; nimium distat, sed in medio est, ideo mediocris excitatur calor. Probatum ergo iam esse existimo autumnum non habére caliditatem excedentem, cum enim iam sol non sit amplius in secunda quadra .i. cum æstas præterijt, incipit esse & moueri; & moueri in ipsa Libra, modo cum non est in secunda quadra radij ab eo producti non oriuntur a centro, sed propinque ipsi centro, propterea non excitant illum immoderatum calorẽ,

quem

quem ſolent excitare in æſtate, ſed excitant illum moderatũ. aſsimilabitur ergo in hoc ipſi ueri autumnus, nam ſicut in uere ſol eſt in ariete, qui eſt medius inter cancrum & capricornum, ſic quoq; in autumno eſt in Libra, quæ eſt inter cancrum & capricornũ, propterea ſicut in uere ipſo qualitates actiuæ ſunt tẽperatæ, non autem excedentes, ſic quoq; in autumno erunt temperatæ, ergo relinquitur autumnus temperatus in actiuis qualitatibus. hæc eſt probatio ipſius Auic. *pro primo dicto concluſionis ſuæ.* Incipiamus *ergo ab hac ratione, ut illam deſtruamus, ne ſimus poſtea moleſti uobis, ſic enim breuius & ordinatius procedemus in examinando ſtatim quamcunq; probationem.* Examinemus *ergo* Domini *hanc ſuam probationem, nihil enim concludit, nam uidetur quidem in hac ſua ratione habere rationem ipſius efficientis.i.ſolis, quoniam dicit,* (Sicut in uere eſt mediocriter diſtans a nobis & mediocris eſt calor, ſic quoque in autumno, cum ſit mediocriter a nobis diſtans, mediocris quoque & temperatus eſt calor,) *hæc erat ſua comparatio, ſi bene meminiſtis, ſed non facit mentionem de ipſo paſſo recipiente, & ideo deceptus eſt* Auic. *non enim ſciebat quòd actio non fit niſi ab agente in paſſo optime diſpoſito, & ſecundum ipſam diſpoſitionem paſsi recipientis fit ipſa actio. non enim habetis nos ab* Ariſt. *quoque ſæpius non poſſe fieri actionem, niſi agens agat in paſſum propinquum, & bene diſpoſitum? uellem quòd mihi in hoc reſponderet* Auicen. *facit enim hoc*

ſuum

ſuum argumentum ex ſemiſſe, ideo ex ſemiſſe quoq; concludit & colligit: non enim ualet eſt eodem modo Sol qui eſt agens propinquus in uere & autumno, ergo eodem modo calor, ſed oportet adiungere aliquid aliud, ut ſi dicamus, eſt eodem modo agens & patiens eodem modo diſpoſitum, ergo eſt idem calor. ſed poſtea negatur antecedens quoniam etſi agens eodem modo ſe habeat, tamen diſpoſitio materialis ipſius paſſi non eſt eadem; ſed inæqualis. ſi enim eßet eodem modo aer diſpoſitus, eodem quoq; modo reciperet ipſas impreßiones, ſed non eſt eodem modo diſpoſitus, nam in uere eſt craßior ipſe aer quam in autumno, nam in autumno eſt tenuior & rarior propter præcedentem caliditatem magnam & intenſam ipſius æſtatis, modo quanto eſt craßior, tanto minus recipit ipſas impreßiones Solis .i. *calorem, quoniam in ipſum non poſſunt ita penetrare radij* Solis; *cum autem eſt tenuior facilius recipit calorem impreſſum ab agente, quoniam ad ipſam raritatem faciliime ſequitur caliditas, unde dicebat* Gal. *quòd aqua quidem facile frigeſit, ſed difficile caleſit, quoniam eſt denſa; ad denſitatem autem facilius ſequitur frigiditas, quàm ipſa caliditas, ut ſupra declaratum eſt, immo ſi uolumus poßumus hãc rationem ſumere ab ipſo* Auic. *in ipſius dictis inferius, ut ſit argumentũ ad hominem: & uidebitis* Domini *quòd ex ipſius fundamentis illum refellemus. dicit enim infra quòd* (Cum Sol deuenit ad primum punctum ipſis arietis, tunc eſt aer craſſus, humidus, uaporoſus,) *ideſt in prin-*

cipio ipsius ueris. modo cum sit ita humidus aer si debet reduci ad propriam temperiem, ut magis calidus fiat cum propter ipsius craßitiem & uapores humidos sit frigidus, oportet quòd paulatim reducatur a sole in ipsum agentem ad subtiliationem. nisi enim subtilietur non suscipiet ipsam caliditatem, propterea nõ ita sumit ipsam caliditatem, sicut qñ est subtilis, non ita uaporosus. Cum aũt in autumno per dicta sit subtilis aer propter præcedentem caliditatem propterea facilius alteratur ad calidum quoniam facilius sumit ipsius solis impreßionem, & postea frigesit, quoniam non ita intensa est actio ipsius solis, cum est in Libra, sicut est in cancro, hac de causa in die cum in ipsum agat sol est calidus, quoniam cito sumit ipsam caliditatem, in nocte uero frigidus, quoniam sol non amplius illum alterat. immo notate quoniam ipsemet Auic. inferius coactus ab ipsa ueritate, dicet in meridie esse maximum calorem, in nocte uero frigidum esse aerem, quia calor propter solem magis potest in die, frigus uero in nocte propter illius recessum. faciamus ergo sic, si in autumno per te ó Auic. modo est frigus modo calor, nonne est inæqualis & instabilis? quid ergo dicis illum esse temperatũ in qualitatibus actiuis, cum modo una illarum modo altera dominetur indifferenter? Videtis ergo quomodo non eadem ratio ipsius ueris & autumni, quoniam & si idem sit agens eodemq; modo se habẽs in ambobus, nõ tamen paßum eodem modo se habet in illis. aliud enim est subiectum recipiens impreßionem ipsius solis in

uere,

uere, aliud uero in autumno. hæc ergo est destructio ipsius primæ rationis Auic. qua probabat primum dictum conclusionis, quoniam nō inquirimus solam agentis uim sed & dispositionem ipsius paßi, est ergo autumnus inæqualis quo ad suas actiuas qualitates, quoniam modo frigidus modo calidus. Accedamus modo ad aliud ipsius dictum, uult enim probare hoc dictum suum quando ait: inter humiditatem autem, & siccitatem non est temperatus: uult dicere quòd autumnus non est temperatus quoad suas qualitates paßiuas, immo excedit in eo una earum scilicet siccitas. primo audietis suam rationem qua probat hoc suum dictum, deinde examinabimus ipsam. dicit ergo Auic. probo modo quod autumnus non poßit esse temperatus quoad suas paßiuas qualitates, nam in æstatis tēpore præceßit maxima siccitas, quoniam maxima erat caliditas resoluens illos uapores ipsum humectantes aerem. Amplius nihil acceßit quod sit humectans quodq; potuerit ipsum humectare, cum ergo æstatem statim sequatur autumnus & relinquatur in aere illa siccitas, sequitur quòd in autumno necessario aer sit siccus: hæc est ratio ipsius Auic. quando dicit, (Quomodo enim hoc esset cum Sol iam siccauerit aerem, & nondum acciderit exiccans humectantibus quod sit exiccationi causæ exiccatis oppositum.) *Quantum ergo ad hanc rationem dico primo, quando dicit quòd,* (præcesſit siccitas maxima in æstate,) *propter illā magnam caliditatem, uerum est hoc, sed cum dicit po=*

stea quòd (nihil eſt in autumno quòd poſsit humectare aerem, & expellere ab illo ſiccitatem ,) *dico q̧ hoc totũ falſum eſt , & non ſolũ contra ipſum , ſed etiam contra experimentum , ſed dicamus primo an accidat in autumno aliquid quod poſsit ipſum humectare , nam ſupra diximus quòd aer exiccatur cum non humectatur ab aliquo adueniente extrinſecus .i.cum priuatur ipſa humiditate, modo quomodo poteſt exiccare cum in autumno ipſo ſint pluuiæ, quæ poſſunt expellere ipſam ſiccitatem aeris inductam a caliditate intenſa ipſius ſolis in æſtate circa xx. diem Septembris. Vnde etiam uulgares ſolent appellare illas pluuias, pluuias Sancti Michaelis.hoc poteſtis ſcire Itali non uidemus hoc ſenſu ipſo.* Amplius *ſunt & aliæ cauſæ accedentes ad ipſum aerem , quæ poſsunt illum humectare, ſunt enim euaporationes humidæ multæ ; quæ illum humectant cum ipſi miſceantur,nam cum in autumno ſit moderatus calor non exceſsiuus , ſicut eſt in æſtate , propterea colliquat ipſas res , & ideo fiunt euaporationes, nam cum calor debilis eſt, multiplicantur uapores humidi per ſe etiã. o* Auic. *ſed in autumno debilis eſt calor, per ſe quoq; ergo multiplicantur huiuſmodi uapores, qui cum per miſceantur aeri , ipſum humectant , ergo non eſt ſiccus , quoniam per illa humectantia exiccatio tollitur. iſta argumenta uidetis , quomodo nihil probent , ergo nulla eſt concluſio .* Dicit *poſtea quædam alia argumenta pro quorum declaratione aduertatis quod dicit* Auic. (Non quodlibet frigidum etiam minimum

minimum poteſt condenſare ipſum aerem, ſed quodlibet calidum etiam calidum reſoluit, ſi ſit minimum,) *dico quòd hoc eſt falſe dictum, neq; habet ueritatem aliquo modo, nam dico ego quòd ſicut quodlibet calidum reſoluit, ita quodlibet frigidum condenſat, ita enim modicum calidi, modicum quoq; reſoluit, ſicut modicum frigidi, modicum condenſat, neq; maior ratio eſt de uno in reſoluendo, quàm de altero in condenſando, tamen quodcunq; frigiditate condenſat, ſicut quodcunq; calidum reſoluit. Videte ergo quomodo præſtat ſe mirandum omnibus iſte homo cum dicat iſta, quæ nullam prorſus in ſe includunt ueritatem. ſed uidebimus alia quoq; longe magis miranda. Videte quæſo quomodo ſupponit hoc unum quod multa indigebat cõſideratione, et probatione, præter illud quod iam diximus. dicit enim Auic. quòd* (longe magis calidum exiccatur, quàm frigidum ipſum humectetur.) *proptere a cum in autumno ſit ſiccitas ipſius aeris relicta ab æſtate non poteſt ita humectari per ſuccedentem frigiditatem, ideo remanet ſiccus, ſed cum in uere ſit magna humiditas in uere derelicta ab ipſa hyeme facillime exiccatur ab ipſa caliditate ſuccedente in uere, ideo ita exiccatur, quòd ad temperamentum reducitur, propterea uer eſt temperatum autumnus uero non, ſed eſt ſiccus, dico* Domini *quòd eſt magnus error, magna fallacia in hac re, & optime attendatis, decipit enim nos, aut ſponte uoluit nos decipere, ideo in hoc caute ambulandum eſt ſicut ipſe ambulauit, nã*

uidete quomodo uult ipsum humidum facilius exiccari, quàm ipsum siccum humectari. Ad hoc enim uolo quòd ita respondeamus distinguēdo de humido, quoniam humidum est duplex, aliud substantiale, aliud uero humidum infusionis. ista distinctio non est mea, tamen enim formo ego noua, sed est ipsiusmet Arist. in secundo de generat. & corrupt. si ergo loquamur de humido substantiali & de humido mistionis, dico quòd tunc uerum est illud quod dicit Auic. humidum facilius exiccari quàm siccum humectari. nam bene uidemus quòd facillime corpus humanum cadit in exiccationem ipsius, ita q; humidum substantiale exiccatur, sicut contingit in hecticis, tamen difficillime & ferè impoßibile est quòd humectentur. nam si debet humectari, oportet illud humectari per ipsum alimentum, modo ipsum alimentum non potest deuenire ad ipsa membra cum sint exiccata neq; attrahant. Amplius oportet ipsum alimentum humidum permutari et adiungi ad minimam quamcunque partem ipsius corporis, sed cùm corpora sunt exiccata, pori sunt strictiores, ideo humidum alimentum nō potest transire per illos & illis adhærere partibus, propterea non possunt ex illo nutriri, consequēter neq; humectari. difficilius ergo est humectare siccum quàm exiccare humidum substantiale. si autem loquamur de humido infusionis non de substantiali, tunc dico quòd ita facile est siccum humectari, sicut humidum siccari, immo quod plus est dico quòd facilius est humectare siccum quàm exiccare humidum, & hoc probatur ipso experimento

rimento, quoniam si pannus optime siccus, ponatur in aqua statim in instanti fere temporis humectabis, cum tamen longiori tempore opus fuerit ad ipsum exiccãdum ut duabus horis aut tribus. Amplius uidemus ipso sensu facilius esse humectare aerem siccum quàm exiccare cum est humidus. Vnde si in æstate cũ aer est siccior si pluuia parua superuenerit, statim humectatur, si autem humidus fuerit aliqua longiori pluuia non nisi difficile exiccatur & longiori tempore. Videtis ergo quomodo humidum infusionis est difficilius ad hoc quòd exiccetur, quàm sit siccum ad hoc q̃ humectetur, propterea illa propositio medicorum famosissima & in ore omnium permeans est falsa si uniuersaliter intelligatur, cum dicunt quòd humidũ difficilius exiccatur quàm siccum humectetur. est enim uera de humido quod est in mistis & in animatis, quæ quidem aluntur, sed non est postea uera de humido infuso sicut aeris propter pluuiam, de subsantiali uerà est non de infuso. hoc modo enim est limitanda, alioqui non esset uera uniuersaliter. Amplius dicitur hic in text. quòd quilibet calor & in quocunq; gradu sit potest resoluere & exiccare: sed non quælibet frigiditas potest humectare, sed requiritur magna frigiditas & intensa. Aduertatis in hoc, dico enim quòd caliditas per accidens resoluit, cum enim per se calefaciat, & calefaciendo rarefacit ipsum aerem rarefaciendo facit illum exhalare partes humidas, si quæ permistæ sunt cum illo, & sic resoluit per accidens, & consequenter exiccat. Amplius dico quòd frigidi-

tas magna non solum non humectat, sed etiam exiccat, nam sicut est ipsius caliditatis trahere humidum à centro ad circunferentiam, & facit illud euaporare, sic quoq; frigidi est trahere ipsum à circunferentia ad centrum. sunt isti duo motus contrarij, cum unus sit à centro ad circunferentiam, alter econuerso à circunferentia ad centrum. Cum ergo trahat illud humidum ad centrum, illud exprimit constringendo & consecutiue exiccat. Quare non solum ipsa caliditas exiccat, sed etiam frigiditas. Vnde uidemus q; facilius humidum exiccatur & citius accedente aliqua magna frigiditate, quàm propter aliquam caliditatem; neq; hoc solum ego dico sed ipse Arist. 4. lib. meteor. quòd sit uerum, patet, quia propter frigiditatem magnam uapores ascendentes in aerem ita constipantur, & frigiditas illa ita exprimit ab illis humidum ut tandem fiat aqua, quæ siccior est quam illi uapores tenues, sicq; fiunt pluuiæ, & hoc est quod dicebat Alex. aphrod. in primo lib. Quæst. naturalium cap. sexto, quam quæstionem sæpius citauimus, ideo illam uideatis, ubi dicebat quod cum illi uapores magis exprimuntur à frigiditate, fit aqua consequenter pluuia, quòd si adhuc frigiditas agat in illam aquam & exprimat ab illa humidum magis tunc tendit ad naturam terræ, neq; est amplius aqua sed medium quoddam inter aquam & terram.i. glacies: quòd si adhuc magis illam exprimit ita exiccatur ut fiat ipsa terra, propterea exiccat semper frigiditas magis, propterea frigidiorem dicimus esse terram aqua propter hãc rationem.

rationem. Vnde etiam aliàs ostendimus ex professo disputantes aquam non esse primum frigidorum, sed terram contra communem opinionem, quod quidem ipse quoq; Auic. non negauit, immo asseuerauit firmiter in suis lib. natural. in quibus pertractat de rebus naturalibus. nunc autem uidetur quòd sui met non sit memor. Quapropter dicamus etiam quòd frigiditas duplex, alia enim est quæ exiccat, alia est quæ humectat. hæc est non mea distinctio sed ipsius Auer. quarto meteor. dico enim quòd frigiditas ut frigiditas exprimit, exprimendo exiccat, unde exprimendo aerẽ facit ex illo qui est principiũ humidorũ aquã, quæ lõge magis densior & siccior est, deinde magis exprimendo facit ex aqua illa glaciem, postremo si in illam magis agat exprimendo, uertit illam in terram, sicut iam dictum fuit. si autem ista frigiditas sit coniuncta ipsi humiditati ut accidit in aqua, tunc non amplius exprimit, consequenter neq; exiccat, sed humectat, & hoc propterea non est ratione frigiditatis, sed est ratione qua coniuncta est frigiditas ipsi humiditati, alioquin non humectaret. frigiditas ergo aquea est illa quæ humectat, sed terrea & aliqualibet dũmodo non sit cum humiditate exiccat exprimendo humidum, sicut accidit in hyeme, nam si sit frigiditas magna sine ipsa pluuia, tunc non solum non humectat, immo exiccat ita ut uertat aquam in naturam glaciei, sed si sit frigiditas cum aliqua pluuia, quoniam est iuncta humiditati maxime humectat, propterea non ualet quòd omnis frigiditas humectet, & quòd oportet magnam

esse

esse frigiditatem si debet humectare, immo magis exiccabit, quia magis exprimet humidum. Postquàm non uultis me amplius legere, die lunæ ego perficiam hoc cap. omnino si potero & audietis pulcherrima, nam contradicam ipsi Auic. & Gal. & audietis utranque sententiam, eligetis postea meliorem quæ magis placuerit, excitabo saltem ingenia uestra si aliud facere non potero. nolo enim ut credatis mihi quatenus ego sed rationibus demonstrantibus.

LECTIO LIIII.

IDEO QVE non est dispositio quæ faciat remanere uer in humiditate.) *Ista est conclusio, quam quidem intendebat Auic. probare per rationes illas præmissas, quæ sunt declaratæ in præcedenti lect. & confutatæ à nobis, qui tenemus conclusionem oppositam. nã dicebat hanc suam conclusionẽ fulciri una ratione, quoniam non quælibet frigiditas humectat sicut quælibet caliditas exiccat, nam minima etiam caliditas exiccat, sed frigiditas si debet humectare oportet quòd sit aliqualiter intensa, alioquin non humectat: ex hac ratione quid sequitur? sequitur quòd non est eadem ratio ut caliditas ipsius ueris faciat illud esse humidum sicut aduersarij posuerunt, quoniã caliditas facile resoluit & consequenter exiccat, uel ut melius loquamur euaporat, magis enim resoluere quàm euaporare propterea facit ipsum uer temperatum, sed frigiditas illa remissa ipsius autumni non potest humectare siccitatem relictam in aere ab æstate,*

æstate, quoniam oportet illam esse aliqualiter intensam alioquin non humectat, propterea autumnus remanet siccus cum uer sit temperatum. concludit ergo cum dicat ideoq; non est dispositio quæ faciat remanere uer in humiditate hyemis, sicut est dispositio quæ facit remanere autumnum in siccitate æstatis. declarat magis hanc suam conclusionem, cum dicat ueris enim humiditas temperatur in tãto tempore propter caliditatem, in quanto non temperatur siccitas autũni propter frigiditatem, ista omnia sunt declarata neque indigent maiori expositione sed cõtra talem expositionem diximus quoque superius cum negaremus rationem suam, contrariumq; probaremus etiam ipso sensu, nam dicebamus quòd intensa frigiditas nõ solum non humectat sicut affirmat Auic. sed etiam exiccat, modo non sit cum ipsa humiditate coniuncta, ut in aqua intelligebamus de frigiditate secundum se ut est frigiditas quæ exiccat, propterea quando dicit quòd longe magis caliditas exiccat humiditatem ueris relictam ab hyeme & reducit ad temperamentum, quàm faciat frigiditas ipsius autumni in humectando siccitatem ipsius aeris relictam ab æstate; dico quòd oportebat ipsum hoc probare, non autem supponere tanquam per se manifestum, maxime cum hoc sit falsum, uidemus enim longe maiorem exiccationem à frigiditate factam quàm ab ipsa caliditate. hoc enim experientia manifestum fit nobis, quoniam si exponatur pannus humidus, & ponatur tempore ipsius æstatis cum sol est in tropico canceri, nõ ita cito exiccabitur,

ſicut ſi exponatur ipſi uento, cumq́; magna frigiditas eſt ipſius continentis. comprimit enim ipſum pannũ illa frigiditas, ſicq́; exprimendo humidum facillime èxiccat. Amplius dicimus quòd ipſa frigiditas quoq; facit ſenſibilem ualde humectationem magis quàm ipſa caliditas reſolutionem, unde uidemus quòd cũ ſol eſt ſub tropico cancri in nocte frigiditas comprimens ipſum humidum aerem facit cadere rorem, & non ita citò reſoluitur ab ipſa caliditate, immo quandoq;, & ut plurimum remanet uſq; ad meridiem antequam reſoluatur, quod eſt ſignum maximum frigiditatem exiſtentem cum humiditate magis citius humectare, quàm ipſam caliditatem reſoluere. Vnde uidemus ꝙ frigiditas quoq; cauſat pluuias & humiditatem ipſius aeris, cum non eſt ita intenſa, ut exprimat poſtea humidum, quoniam tunc exſiccat ſecundum quòd dicebat Ariſt. & Auer. omneſq́; philoſophi concedũt, propterea oportebat ipſum probare magis hanc ſuã rationẽ quòd ſcilicet frigiditas minus humectet quàm ipſa caliditas reſoluit, quoniam cæteris partibus exiſtentibus uidebimus oppoſitum illius, & quoniam uolebat omnino hanc concluſionem probare cum uideret hanc rationem dictam nihil probare, propterea ſubiunxit aliam probationem cum dixit, & uidetur quòd humectatio iſta, & exiccatio ſimiles ſint operationibus habitus & priuationis, & non duorum contrariorum operationibus: uult dicere in hac ſua ratione quòd humiditas habet quandam rationem ipſius habitus, ſiccitas uero probationis; ideo hoc ſtante

uult

uult probatum esse quòd facilius est exiccari humidũ ipsius ueris, quàm siccum ipsius autumni humectari, modo clarum est quòd naturaliter facilior est trãsitus ab habitu ad priuationem, quàm a priuatione ad habitum, quod non solum philosophi comprobant, sed etiam ipse sensus docet. nonne uidemus quòd erit homo qui disciplinas addiscit per x. annos, & longiori tempore etiam, scientia autem est quidam habitus in ipsa mente, tamẽ propter unam solam ægritudinẽ etiam breuiusculam obliuiscetur omnium illorũ quæ ante didicerat, obliuio autem est ista nisi priuatio habitus iam in mente acquisiti scilicet scientiæ, immo ita omnium obliuiscuntur, ut ne nomina quidem amplius exprimere sciant, sicut de pluribus narrat Plinius. Et ego noui multos qui ne nomen quidem post ægritudinem sciuissent dicere, quod quidem maxime solet accidere in his qui patiuntur apoplexiam, sicut sæpius uidi cum illos curarem. hæc est ergo ratio ipsius Auic. quòd magis humectatio possit exiccatione, quã exiccationem humectatione, quoniam a priuatione ad habitum difficilior est transitus, quàm è contra. Exiccatio enim non est nisi humidæ substantiæ destructio. Ecce ergo quomodo est priuatio, sed est quidã habitus sed substantiæ humidæ acquisitio, modo acquirere aliquid difficilius est, quàm illud deperdere. sed uideamus etiam, in hac sua probatione peccat, ideo nihil penitus concludit. quoniam ita facile est transire de humido ad siccum, sicut etiam de sicco ad humidũ, neq; maior ratio est de uno, quàm de altero, & quoniam

niam dicebatur illa propositio quod facilior est transitus de habitu in priuationem, quàm è contra, modo humiditas est habitus respectu ipsius siccitatis; dico quòd uera est propositio prima, sed oportet eam limitare nam duplex est habitus, alius enim est habitus de prima spetie qualitatis, alius uero est de alio genere prædicamentali. propositio famosa allegata est uera de habitu illo primæ spetiei qualitatis, quoniã difficilior est transitus de ignorantia ad scientiã, quàm è contra. sed de habitu qui facit unum genus prædicamentale quòd appellatur habere, non est uera propositio, quoniam ita facile est me habere uestem sicut non habere, ita facile est me non habere uestem sicut habere, propterea humiditas & siccitas non sunt in prima specie qualitatis, ideo non ualet propositio de illis, sed sunt in genere ipsius habitus. ideo ita facile est habere priuationem unam sicut alteram, non est difficilius habere humiditatem quàm siccitatem. Quare uidete quomodo non ualet huiusmodi sua probatio quòd si etiam concederetur hoc totum, quod tamen ego non adhuc concedo, non tamen propterea etiam aliquid concluderet contra nos, quoniam illæ qualitates quæ quidem per alterationem acquiruntur, ita facile acquiruntur, ut una difficilius altera non acquiratur, modo humiditas & siccitas, & si sint habitus & priuatio tamen per alterationes acquiruntur, propterea ita facile est acquiri unam illarum sicut alteram, nulla est differentia. hæc est ratio ipsius Auic. quæ quantum concludat uisum est, sed non deduxit

hanc

hanc rationem ne decipiamini. posuit solum minorem propositionem ipsius syllogismi & minuit per illā totam rationem, non deduxit illā aut noluit deducere, dicatis modo quomodo uultis, sed quia Auic. dixerat humiditatem habere rationem ipsius habitus, siccitatem uero ipsius priuationis, ideo respondet cuidam tacitæ quæstioni, quam quis facere potuisset, nam potuisset aliquis dicere, quomodo aer est humidus quomodo siccus, cum aer sit humidus essentialiter, ergo uidetur quòd illi sit accidens huiusmodi qualitas, propterea respondet huic quæstioni & dicit quòd cum consideramus nos ipsum aerem, & dicimus illum esse humidum uel siccum, non intelligimus quia ita sit in propria substantia, sed secundum quòd sensibiliter sit talis uel talis per ea quæ illi extrinsecus adueniunt. propterea inquit Auic. cum loquimur de humiditate ipsius aeris non intelligimus humiditatem ipsam substantialem, sed accidentalem & extrinsecus aduenientē. nam de illa substantia hic ne cogitamus quidem nunc, sed de illa extrinseca & siccitate, quæ fit per cōmistionem extrinsecorum. & hoc est quòd dicit in hac litera. Cum enim in hoc loco dicimus aerem humidū & aerem siccum non intelligimus eius formam neque eius qualitatem naturalem, aer enim in propria substātia est calidus humidus, neq; de hoc in hoc loco cogitamus, aut multum solicitamur, & cum aerem dicimus humidum declarat nunc sua dicta quomodo intelligat, non uolumus intelligere nisi cui admisti fuerint uapores multi aquosi, aut aerem cuius spißitudo

conuersa

conuersa fuit à similitudine uaporis aquosi, & aerem dicimus siccum, aerem scilicet ex quo resolutum fuit quod de uaporibus aquosis ei erat admistum, quoniã se conuertit ad similitudinem ignis propter resolutionem, & cum quo admisti fuerint terrestres fumi, qui sua siccitate terræ similãtur, sed hic nos uolumus sustinere & defendere contrariam conclusionem, dicimus enim quòd cum dicimus aerem humidum, non solum intelligimus secundum illa quæ ei extrinsecus adueniunt, idest secundum uapores & pluuias, quæ illum humectant, sed ẽt substantiã ipsam consideramus, quoniam habemus quidem rationem uaporum qui cũ illo admiscentur, sed etiam ipsius substantiæ. nam in tempore calido aer est calidus in propria substantia, in eoq; exiccatur, ideo in propria substantia est siccus, in frigido autem ita comprimitur quòd fit de natura ipsius aquæ, immo est ferè acqua, sicut patet in illis regionibus quæ sunt ita frigidæ ut inhabitabiles sint, nam si quis iter tenderet per illum aerem, madefieret, quoniam maxime frigidus est, ideo condensatur, & consecutiue fit humidus. in illis etiam regionibus quæ sunt calidiores, sicut in primo climate ita calidus est aer, ut sint quoque inhabitabiles illæ regiones, quoniam tendit ad naturam ipsius ignis, ita calidus & exiccatus est ab intensione illius caliditatis, propterea non solum propter uapores illi commistos, uel humidos, uel terrestres, idest siccos humidus fit, uel siccus, sed etiam quoniam ita redditur in propria substantia uel calidus, uel frigidus, humidus,

uel

uel ſiccus. quod hoc ſit uerum, manifeſtum reddo adhuc magis per ipſum met Auic. *nonne uidetis ſi in proprijs uerbis ſibi contradicit, legatis illa uerba,* (Et aerem dicimus ſiccum, aerem ſcilicet ex quo reſolutum fuit quod de uaporibus aquoſis ei erat admiſtum, quoniam ſe conuertit ad ſimilitudinem ſubſtantiæ ignis propter reſolutionem.) *notate* Domini *quæſo, dicit enim quòd cum dicimus aerem ſiccum, tunc aer ille aſsimilatur ſubſtantiæ ipſius ignis, modo quomodo poteſt aſsimilari ipſi igni, niſi rarefiat, quoniam ut diximus ſupra cum aer rarefit magis, magis quoq; tendit ad naturam ipſius ignis, quoniam magis exiccatur, cum primo magis calefiat, ideo cum ignis calidus ſit & ſiccus in propria ſubſtantia, aer autem illius aſsimilatur ſubſtantiæ, cum dicimus eſſe ſiccum, ergo eſt calidus ſiccus in propria ſubſtantia. Cum enim exiccatur aer eſt ſimilis exhalationi ſiccæ, & exiccatur etiam propter illas exhalationes ſiccas. Quapropter ſi debet eſſe uel ſiccus, uel humidus, uel alio modo qualificatus, oportet quòd non ſolum ſit ita propter aliquid extrinſecus accedens, ſed oportet quòd talis ſit in propria ſubſtantia, niſi enim in propria ſubſtantia calefiat & exiccetur, quomodo aſsimilabitur ſubſtantiæ ignis, nam cum ita exiccatur & calefit, rareſcitq; tunc eſt in potentia ignis, ideſt eſt in uia ad ipſum ignem, cum uero denſatur & eſt frigidus humidus, eſt in potentia aquæ, & in uia ad aquam, ita quòd propinquus eſt formæ ipſius aquæ, ſecundum quòd*

docebamus superius ex mente ipsius Alex. Aphrod. in quæst. citata primi lib. Videte ergo quòd illa sua probatio nulla est. superfluitas igitur hyemalis minuitur ex uere propter quamlibet caliditatem, quæ in ipso accedit, propter quod Sol oppositioni capitū propinquus existit, &c. Iam *probata est conclusio ab* Auic. *rationibus quæ a nobis sunt omnes confutatæ, quoniam falsæ, nam modo uult illam quoq; probare signis.* Videamus *obsecro ista sua signa, an per ea aliquid concludat. dicit quòd ueris caliditas resoluit humiditatem superfluam quæ relicta est ab ipsa hyeme, quoniam probatum est quòd caliditas quælibet resoluit, ideo remanet temperatum ipsum uer. postea dicit,* (Autumni uero substantia non propter quamlibet frigiditatem quæ in ipso accidat, humectat,) *non eodem modo in autumno siccitas ipsius potest humectari, quoniam non quælibet frigiditas humectat, sed magna frigiditas, modo in illo est minima frigiditas. quod hoc sit uerum inquit* Auic. probatur signo) *& dicit,* (Et cum hoc cognoscere uoles cōsiderabis an res siccæ in aere frigido tam cito humectantur q̃ cito res humidę in aere calido exiccātur, postquā pones frigidum in frigiditate sua, siccum calidū in caliditate sua,) *ferè istud est signum* Auic. *quo probat autumni siccitatem nō posse ita humectari a frigiditate ipsius mediocri, sicut ueris humiditas ab illius caliditate exiccatur et temperatur, sed quantum hoc sit sophisticum & fallax signum audiatis, nam aut intel-*

ligit

ligit de frigiditate sola in gradu, quæ est cum ipsa humiditate noctis ipsius autumni, tunc ego dico quòd cæteris partibus, & si sint ijdem gradus caliditatis, & frigiditatis, magis frigiditas humectabit, quàm ipsa caliditas exiccet, citius enim quod ponitur in illo humido frigido humectabitur, quàm humidum positum in calido exiccetur. Amplius cum nos consideremus humiditatem ipsius autumni, & siccitatem illius, consideramus respectu nostrorum corporum, quatenus scilicet alterat nostra corpora secundum hanc uel illam qualitatem; modo ponamus quòd aliquis ambulet in nocte autumni & in die, uidebimus a quo magis lædetur. certũ est enim & experientia comprobatũ possibileq; comprobari, quòd magis lædetur ab humiditate & frigiditate radiorum Lunæ frigidæ humidæ, quoniam maxime humectabitur & infrigidabitur, quàm in die a caliditate & siccitate radiorum ipsius solis, modo sit idem gradus utriusq;. propterea uidete quomodo nihil concludit suum argumentũ siue signum, quoniam non est uerum illud quòd dicit, si loquatur de frigiditate iuncta ipsi humiditati, nam cæteris paribus magis humectat quàm ipsa caliditas resoluat. si autem non intelligat de ista humiditate, sed de illa, quæ quidem iuncta est ipsi siccitati, tunc dico quòd illa non solum non humectat magis quàm resoluat ipsa caliditas, sed etiam potius exiccat, sicut dictum est; non enim sunt mea ista dicta, sed sunt Arist. quòd sit hoc uerum probatur sensu, nàm cum boreas flat ita frigidus est aer & siccus, tamen non humectat

mectat immo exiccat, nam si exponantur panni ad boream flantem tunc citius exiccabuntur, quàm si exponantur ipsis radijs Solis, & hoc uident quoq; mulieres quæ cum uolunt exiccare pannos exponunt illos flante uento isto frigido sicco, sed frigiditas quæ est in nocte autumni est cum humiditate, propterea magis humectat quàm caliditas fortasse resoluat. non enim habet quid exprimat, sicut cum est cum siccitate, & quoniam istud suum signum erat infirmum & falsum, neq; sibi satisfaciebat, ideo percunctabatur an posset inuenire alias rationes, & quærebat omnino aliquas latebras, dat ergo alias probationes, & inquit. (Cum ergo hoc consideraueris inuenies rem interea diuersam) *licet hic existat res alia maior ista, & est quòd humiditas in aere calido & frigido simul non permanet, nisi propter emanationis permanentiam ad eas uenientis, sed siccitas indiget nulla emanatione, uult adducere aliam rationem maiorem sicut ipse dicit, uidebimus an ita sit, uult autem probare quòd uer non sit humidum, sed tēperatum, & quòd autumnus est siccus, & antequā condat argumentum primo sibi quædam assumit, & inquit quòd* (humiditas in aere esse non potest, nisi sit continua & magna emanatio.) *quoniam autem possunt esse duæ res, quæ possunt illi accedere & humectare illum, scilicet & pluuiæ descendnes & uapores humidi ascendentes, ideo non dixit humectari aerem aut per pluuiam aut per euaporationem, sed usus est uno uocabulo comprehē*

dente

dente ista duo potentia humectare ipsum, uocabulum autem est istud (emanatio) *nam per emanationẽ intellexit illa duo Auic. quoniam per alterum illorũ aer humectatur. hoc notato, atq; præsuppostto arguitur modo sic ad conclusionem. ubi est continua et magna emanatio ibi est humiditas, postea subiungit Auic. in uere non est continua, magnaq; emanatio, ergo in uere non est humiditas, ergo uer non humidũ, sed temperatum existit. antequam ueniamus ad alia uolo ut examinemus prius hanc rationem quid concludit. Dicamus ergo quòd quando dicit primo,* (Vbi est magna emanatio ibi est humiditas,) *per hanc propositionem intelligit quòd ubi non est emanatio magna non est humiditas, ita quòd sola emanatio uidetur per ipsum esse causa humectationis ipsius aeris, quòd tamen falsum esse dicimus; quandoquidem frigiditas ipsa moderata iuncta cum humiditate relicta ab hyeme humectat ipsum aerem, nam comprimit ipsum aerem & reddit illud corpulentius & humidius, loquimur autem nunc de humiditate sensibili, quoniam de insensibili nihil curamus. ideo dicemus ad ipsum quòd & si in uere sit pauca emanatio, tamen est frigiditas illa iuncta cum humiditate, quæ humectat aerem ipsum. Amplius uultis melius argumentum contra ipsum. Cum ipsemet superius sicut audiuistis dixerit frigiditatem humectare, si ergo ò Auic. dicis aerem posse humectari à frigiditate cur nam facis mentionem solum de emanatione? uidete obsecro, nescit iste quid superius dixerit, nec sibi constat.*

stat. uidete quæso, uult probare quòd uer non est humidum & assumit quòd sola emanatio est illa quæ potest humectare ipsum aerem, nam semper ex se sicca tur aer & causis illum calefacientibus, ergo non humectatur nisi per aliquod extrinsecus aduenies, quod ipsum humectet. sed iam ostendimus quomodo fallitur in hoc, & quomodo humiditas in uere est per aliam quoq; causam, quæ non est amplius repetenda, modo cum exiccatur tunc prouenit ut ipse dicit ista exiccatio, eo quia emanatio ad illum non accedit, modo uult nunc probare illud antecedens quòd aer exiccatur nisi ad illum accedat emanatio, & inquit (Hoc autem quòd humiditas non permanet in corporibus aeri discoopertis, & in ipso aere, nisi propter emanationem, non est nisi propterea quòd aer non dicitur fortis frigiditatis, nisi per comparationem nostrorum corporū, neque eius frigiditas prouenit apud nos in terris habitatis tanta, quia aliquo modo resoluat, immo in omnibus resoluit dispositionibus propter illud quod in eo existit de uirtute solis & stellarum.) *Cum ergo abscinditur emanatio & perdurat resolutio, cito aduenit siccitas. Innuit hanc rationem Auic. his uerbis. Cum aer semper sit calidus considerando illum in sua natura non comparatum ad nos, ideo semper resoluit ipsam humiditatem in illo existētē in his nostris regionibus, quæ habitabiles sunt, non loquimur de illis quæ propter ipsius frigiditatem sunt inhabitabiles, non enim*

potest

potest unquam esse ita frigidus in his, quia semper tã-tam caliditatem in se habeat ut possit resoluere emanationes humidas, quod quoq; asseuerabat Gal. in primo lib. de tuend. sanit. cum probaret quoq; ipse acrẽ ita calidum esse quocunq; tẽpore ut resoluat & exiccet corpora humana ideo corrumpuntur hac quoque ratione, immo dicit quòd potest quidem esse modo frigidior modo calidior, sed quòd semper non sit calidus in his regionibus non est dicendum, quoniam si ita esset tunc istæ regiones essent inhabitabiles. dicamus ergo sic: semper aer sua caliditate resoluit humiditatem in ipso existentem, ergo exiccat semper, nisi ergo aliquid extrinsecum humectans aduenîat non humectatur, sed siccus remanet. cum ergo in uere non sit emanatio quæ ipsum possit humectare, cumq; per iam dicta resoluat humiditatem in ipso existentem, sequitur ex hoc quòd resoluet illam humiditatem superfluam, reliquam uero dimittet, ita quòd temperatus fiet, ergo uer est temperatum non humidum. hanc rationem Auic. maiorem propositionem diximus iam, minorem postea subiungit, cum dicit; in uere autem illud quod resoluitur est plus eo quod euaporat, sed ad hanc suam rationem respondeo quòd bene uerum est illud quod dixit Auic. ipsum aerem semper calidum ita esse, ut resoluat humiditatem, sed quia in uere est ipsa humiditas derelicta ab hyeme crassa non subtilis, & frigiditas quædam humectans, propterea non potest ita resoluere ut exiccetur aer, immo semper remanet humidus & sunt ipse uirtutes cœlestes hume-

ctantes ipsum, ideo non potest exiccari. concedo ego quoq; quòd semper resoluit, neq; propterea contra nos aliquid sequitur, quoniam cum hoc quòd resoluit humiditatem in illo existentem nõ tamen ita resoluit, quin semper humidus remaneat, aerem enim supra diximus esse deferentem uirtutes cœlestium corporũ, nuncius est uer & angelus diuinorum, & secundum quòd in ipso imprimuntur diuersæ illorum uirtutes diuersos quoq; producit effectus. Vnde dicebat ille, creauit Angelos *suos: propter ergo istas uirtutes diuersas influxas modo resoluit humiditatem magis, modo minus, modo nihil, immo humectatur, modo refrigerat, modo humectat, modo calefacit. hac de causa in uere non potest resolui à sua caliditate humiditas propria, quia humidus relinquetur.* Hinc *possumus reddere causam & rationem unius problematis, cur est enim quòd quandoq; in parte superiori aeris sunt uapores crassiores, ipse quoq; ibi crassior redditur, tamen non fit pluuia, ibi enim est perpetua frigiditas, tamen non est perpetua pluuia, deberet semper illum incrassare & condensare sicq; descenderet & fieret pluuia. huius rei reddebat causam quoq;* Auer. *in primo meteor. cap. 4. dicebat quòd hoc quoque prouenit eo quia illa pars ipsius aeris est subtilior, ideo neque ita potest incrassari ut fiat pluuia. quærebat enim* Auer. *causas ipsius pluuiæ, secũda ratio est quia non ita comprimit illum semper frigiditas ut descendat, neq; ipsi uapores ascendere possunt ad illam partem, ideo neq; fiunt semper pluuiæ, & sunt aspectus*

con=

constellationesq́; quæ non refrigerant illum, immo ali quando refrigerant. sed cum calefaciunt illum non possunt densari illæ partes ita ut descendant. Cum uero uapores ascendunt in illam partem aeris, in qua generantur pluuiæ & cum hoc sunt aspectus humectantes, tunc inspissantur & refrigerantur, descẽdit & generatur sic pluuia, & quandoq; etiam si uapores non ascendunt ad illam tamen signa & aspectus cœlestes sunt frigidi & humidi, ideo maximæ longissimæq́; pluuiæ generantur, sicut contingit in his diebus elapsis & nunc cum simus in uere. Videtis enim uos quomodo per xx dies durant ipsæ pluuiæ, certũ est quòd non sunt generatæ propter uapores ascendentes, sed propter ipsos aspectus & signa cœlestia imprimentia frigiditatem & humiditatem in illa parte aeris, & sic factæ sunt pluuiæ. quòd non fuerint propter uapores ascendentes manifestum est, immo propter constellationes, quoniam quidam magnus Astronomus ante hanc pluuiã per quindecim dies prædixit illam futuram longam, egoq́; illum audiui, non enim sciebat ipse quòd deberent ascendere tanti uapores, sed bene præuidebat quòd in hoc tempore signa frigida & humida coniungi deberent, propterea prædixit futuram pluuiam. Quapropter cum in ipso uere sint constellationes & uirtutes influxæ à cœlestibus corporibus, quæ sunt frigidæ & humidæ, ideo non resoluitur omnino illa humiditas, sed ita resoluitur quòd remanet humidus, non autem fit temperatus eo modo quo intelligit Auic. Videbimus modo dé

ipsis

ipsis euaporationibus in sequenti lectione, quoniam quædam uidetur dicere hic de ipsis, uidebimus an aliquid de ipsis intelligat, & credo quod perficiemus hoc cap.

LECTIO LV.

IN *hesterna lectione declaratum est ab Auic. q̃ uer sit temperatum, autumnus uero siccus, una ratione ultima inter alias dictas. dicebat enim quòd cum non fiunt euaporationes & pluuiæ quæ humectant aerem, exiccatur, quoniam humidum quod in ipso est exhalat propter caliditatem ipsius aeris, quæ semper resoluit illud, nã nunquam potest ita frigidus esse, ut in se non sit ita calidus quòd resoluat aliquid ipsius humiditatis, modo in ipso uere non sunt euaporationes, neq; sunt pluuiæ, quæ possunt ipsum humectare, ideo ita resoluit sua caliditate moderata humiditatem superfluam derelictam ab ipsa hyeme, ut temperetur humidumq; non relinquatur, sed diximus nos quòd hoc est falsum, immo non ita resoluit humiditatem in ipso existentem ut non remaneat humidus propter influxus ipsarum stellarum, nam quandoq; sunt stellæ influentes siccæ, sicq; aer exiccat, quoniam uirtutes illarũ recipit, quandoq; humidæ quandoq; frigidæ, quæ illum humectant, ita quòd non resoluit humiditatem in illo existentem: est etiam ipsa frigiditas quæ quidem incrassando ipsum aerem, humidum illũ reddit, propterea etsi resoluatur humiditas, non tamẽ potest ita resolui, quin semper relinquatur aer humi-*

dus sicut dicebamus. frigiditas enim ipsa comprimit aerem, uirtus stellarum influit in ipsum aerem sicq; humectatur, nam per se frigiditas constipat, & exsiccat potius. cuius rei illud est signum, quòd si sit ali qua dies in hyeme frigida, quoniam aer est frigidus tunc illas dies distillata est, sed cum humiditas sit cum ipsa frigiditate adiuncta uirtute superiorũ humectat. uirtus enim illa longe insensibilius agit in hæc inferiora. & quòd frigiditas humectet manifestum est etiam quoniam comprimit aerem, illumq; condensat, nam in hyeme si præcedat dies frigidissima tuncq; subsequatur nox, aer ille ita crassefactus & condensatus descendit fitq; sub forma ipsius pruinæ, inuenitur enim mane terra cooperta pruina, propterea in autũno illa siccitas quoq; hac ratione humectat, quoniam frigiditas illa comprimit aerem & nõ semper eodem modo resoluit caliditas, immo quandoq; magis quandoque uero minus, frigiditas etiam non semper comprimit, sed exprimit & exiccat, propterea si in hyeme sit dies frigidissimus flante borea frigido sicco, nõ tamen in nocte sequente cadit pruina, quoniam exiccauit ipsum aerem præcedens uentus. hæc sint dicta pro his quæ dicebamus contra Auic. Videamus modo quid dicat hactenus, uidimus enim quomodo nõ est uerum quod dicebat, dicebat autem quòd (vbi non est emanatio ibi non est humectatio.) *Nos diximus quomodo fiat ab alijs causis, nunc uidendum istud suum fundamentum an sit uerum dicit enim quòd* (in vere maior est resolutio quàm euaporatio

tio, propterea sequitur quòd ver tẽperetur) *consideremus quæso primũ hoc, nam dico quòd omni no falsum est, nam cum est crassus aer & calor debilis, non fit resolutio immo proprie fit euaporatio. nõne euaporatio fit à debili calore? propterea cur dicis ò Auic. & tu Gal. quoniam sustinetis uer esse temperatum, in illo quoque maiorem esse resolutionem quã euaporationem? nam resolutio fit à magno fortiq; calore, oppositum autem est in uere per Auic. quoq; dicunt enim & illius in uere esse calorem temperatum ergo maior erit euaporatio quàm resolutio, miror ego quomodo iste homo sumpserit hoc fundamentum tanquàm probatum, cum non solum non sit probabile, sed etiam est falsum. quòd hoc sit uerum uidebimus quoque melius inferius. ex uerbis enim ipsius met Auicen. hoc quod modo diximus eliciemus. illud enim ipsemet fatetur postea, cum dicat,* (Et huius quidem causa est eò quòd euaporationum duæ res efficiunt, vna est caliditas subtilis pauca ĩ eo quòd ex spatio manifestum existit. prima causa ipsius euaporationis est caliditas ipsius aeris debilis,) *nam cum dicit,* (in spatio) *intelligatis in hoc aere, postea dat aliã causam, cum dicit,* (& caliditas fortis in terra abscondita, ex qua ad terræ superficiem res profluit subtilis, &c.) *Ego Domini declarabo primo sensum fideliter ipsius Auic. quid scilicet sentiat in his omnibus uerbis et in hoc toto paragrapho, postea uidebimus de ueritate, uult enim Auic. proba*

re

re in uere maiorem esse resolutionem ipsa euaporatione, ut relinquat probatum uer esse temperatum, & ad hoc probandum suum habet primo fundamentum, quòd ad faciendam ipsam euaporationem duo causæ concurrunt, primo caliditas moderata, quæ quidem est in hoc spatio ipsius aeris, alia uero causa est ipsa caliditas intensa & uehemens, quæ in terra abscondita est quæ quidem trahit ipsum humidum a cētro ad superficiem, ut facilius fiat euaporatio ipsa per illam moderatam caliditatem existentem in ipso aere, declarat autem, & dicit (Quòd enim de terra occultum est in hyeme uehementi calore calidum existit, quemadmodum in sapiētijs naturalibus principalibus declaratū fuit, & caliditas aeris pauca,) *hæc est sententia Auic. Examinemus modo hanc partem, quoniam ex hoc supposito ipse postea probat suum propositum, & uideamus de caliditate temperata ipsius aeris postea de illa quæ est in terra. Dico ergo quòd cuiuscunque caliditatis est euaporare probo per Aristot. per Gal. & tandem per ipsum Auic. qui quidem in hoc cap. dicit quòd quilibet calor resoluit, ergo quilibet calor euaporat, audiuistis eum supra cum de hoc disputaret, nam euaporatio est resolutione debiliori modo si quilibet calor resoluit, quanto magis euaporat, dummodo semper inter ipsum calorem & passum sit proportio maioris inæqualitatis, nam cum calor potest uincere ipsam materiam semper potest facere euaporationem, calor autem si debilis est non semper re-*

resoluit, sed tunc euaporationem facit, cum est fortis resoluit, non autem euaporat. quòd si non uultis mihi credere potestis experimento comprobare hanc rem, nam si imponatis aquam in Lebete, uel aliquo uase super ignem debilem uidebitis multos uapores ascendere cum incipiat illam calefacere. quòd si eadem aqua imponatur igni forti & uehementi in calefaciendo, tunc non solum facit euaporationem, sed etiam resoluit maximam partem illius humidi, hac de causa dicunt medici, q; calor aeris soluit, sed non resoluit, nam moderatus est, neq; habet tantam uim ut possit resoluere, & ideo caueant a calore aeris dicebat ille, unde Arist. & Auerr. cum ipso in primo lib. metheor. dicebãt quòd in æstate, & in hyeme non fiunt nisi rarißimæ pluuiæ. loquuntur autem illi philosophi de his duobus temporibus cum se habent secundum naturam, dabantq; rationem, quoniam in æstate quidẽ non eleuantur uapores humidi, qui quidem poßint incrassare aërem, ut fiat pluuia. cum enim per superius dicta in æstate sit caliditas intensa, non euaporationem facit, sed illud quod euaporat, resoluit, ideo resoluti uapores non possunt condensari, ita quòd fiat pluuia, in hyeme uero neq; fiunt euaporationes. calor enim ita debilis est ut non poßit supra materiam. ideo in hyeme non fiunt pluuiæ recte quidem. ad hoc respicientes ipsi philosophi, protulerunt in his temporibus non fieri pluuias. uidete ergo quomodo poßitis intelligere has rationes medicæ artis, nisi prius didiceritis illum totum Arist. lib. metheor. nam ille lib.

est

est necessarius ad hanc nostram artem, est quidem necessaria tota philosophia naturalis eleganti medico, quoniam ubi desinit philosophus naturalis, ibi incipit elegans medicus secundum quòd dicebat Arist. in lib. de sensu & sensili. Sed maxime iste lib. inter omnes alios necessarius est & primo loco necessarius. est enim anima medicinæ, neq; unquam poteritis esse boni medici, nisi prius didiceritis illum lib. hoc ergo stante, quod modo dictum est, debilem calorem causare ipsam euaporationem fortem uero resolutionem illud quòd subiunxit Auic. falsum esse confirmo, cum dicit quòd, (in uere maior est resolutio, quàm euaporatio,) *probat autem hoc ipse quoniam in uere caliditas abscondita in terra diminuta & debilis est, propterea non potest trahere humidum a centro ad superficiem ut fiat euaporatio, dico quantum ad hoc etiam quòd etsi illa caliditas non sit ita fortis ut possit trahere humidum a centro, tamen illa caliditas non est sufficiens, neq; necessaria ad hoc quòd nõ fiat euaporatio. primo probo quòd non sit sufficiens, secundo quòd non necessaria, quòd quidem sit sufficiens probo per Arist. quoniam in hyeme est fortis caliditas in ipsa terra abscondita, immo in ipsa aqua, uidemus enim aquam esse calidam per antiperistasim quòd etsi Arist. non diceret, nos tamen quotidiana experientia doceret, neq; hoc potest negari, ideo deberent fieri maiores euaporationes & pluuiæ multæ tamen non fiunt nisi rarißimæ. ergo illa abscondita caliditas in terra non est sufficiens ad generandas pluuias,*

uias, quoniam si esset sufficiens eo tempore multæ generarentur. præterea quòd ista caliditas ad faciendã euaporationem non sit necessaria, probo, quoniam, secundum ipsum Aristot. pluuiæ sunt aut propter magnam frigiditatem existentem in aere, quæ ipsum condensat, aut propter ipsam euaporationem, sed in mense Augusti fiunt pluuiæ multæ non propter frigiditatem existentem in aere ipsum condensatem, ergo propter euaporationem factam ex ipsa terra, modo in eo tempore caliditas in terra abscondita non est, immo in ipsa est frigiditas propter præcedentem æstatem in qua calor aperuerat poros & meatus terræ, sicq; caliditas illa euaporarat, et tamen maior est euaporatio, ergo illa caliditas non est necessaria, nam si esset necessaria tunc non fierent nisi paucæ euaporationes; oppositum tamen sensu percipimus, uidemus enim nebulas multas in aere, & illos uapores crassos quos uocant Veneti caliginem, & aliàs tales euaporationes, cum ergo non sit necessaria ista caliditas, non uidetur aliquid probare, neq; concludere Auic. quoniam & si in uere non sit caliditas abscondita in terra nisi debilis non propterea sequitur quòd in eo tempore non poßint fieri euaporationes. Præterea etiam si supponantur omnia illa quæ supponit iste tamq; uera, tamen omnia sunt falsa, quæ concludit (audiatis) etiam falsa, sequitur enim. dicit quòd (in hyeme sunt multæ pluuiæ,) *quod probat per suum fundamentum iactum, quòd putabat esse uerum, cum tamen multa inuestigatione debebat probari,*

ri, nam si in hyeme est magna frigiditas in aere condensans ipsum, amplius fortis est ipsa caliditas absco̅dita in terra per antiperistasin fortificata, ideo multæ pluuiæ fiunt in hyeme, & dicit, (hoc esse declaratum in naturalibus scientiis,) *ideo tanquam firmißimum reliquit sine alia probatione, quod tamen dictum nos dicimus esse contra* Arist. *ueritatem & ipsam experientiam manifestantem nobis oppositum illius quod dicit, nam ultra hoc quod in hyeme non sunt plurimæ pluuiæ, immo sunt rarißimæ, intelligatis semper nos de his temporibus cum se habe̅t secundum naturam, dico ergo quòd cum hyems est secundum naturam esse potius sicca, ultra hoc quòd non sunt plurimæ pluuiæ, sed sunt pluuiæ in uere & autumno mediocres secundum quòd dicebat ipse* Hip. *& ipsemet* Auic. *uolo enim confutare* Auic. *per ipsum met* Auic.*neq; à suis fundamentis uolo discedere, quod maxime erit contra ipsum, hoc est quod intendit, cum dicit,* (quod enim de them. &c.) *perseuerat postea* Auic. *probando quod in tempore hyemis sunt plurimæ pluuiæ, quoniam non solum sunt pluuiæ in hyeme propter multas euaporationes, quæ fiunt magna existente & intensa caliditate abscondita, sed etiam propter frigiditatem ipsius aeris quæ constipat illam euaporationem, & facit illam desce̅dere, nihil enim est quòd resoluat illam in hyeme. sed quomodo potest esse uerum hoc, quod dicit* Auic. *na̅ in aere tunc non est illa caliditas debilis & moderata, quæ necessaria est ad faciendam euaporationem.*

amplius illa intensa frigiditas quæ tunc est in aere quàmprimum eßet attractum humidum ad superficiē ab ipsa caliditate abscondita constipat & inspissat illud, ita quòd non potest ascendere, propterea non possunt fieri pluuiæ, sed omnia ista conueniunt in uere & autumno, quoniam tunc est frigiditas debilis et moderata in aere, quæ potest condensare illas euaporationes factas a caliditate quoq; debili & moderata existente in ipso aere. quid ergo dicis ò Auic. Videte literam. (Duæ igitur res ad humectandum coniungūtur, quæ sunt sublimatio & inspissatio, & quanto magis cum etiam frigiditas ipsius aeris operatur spissitudinem & concussionem ad euaporationem,) *ista sunt falsa. Præterea ò Auic. debebas probare illud quod dicis, quòd scilicet in uere sit maior resolutio quàm euaporatio, nam nos probamus oppositum, quoniam resolutio fit nisi à forti calore, modo in uere est debilis & moderatus calor, ergo ille in uere non potest resoluere, immo solum euaporat, propterea illa quæ dixisti de euaporationibus in hyeme omnia sunt falsa et in uere illa sunt uera, tu tamen contrarium concludis quoniam dicis in hyeme esse maiorem resolutionē partium humidarum existentium in aere ipsa euaporatione humida ut dicis ò Auic. quòd in hyeme est maior euaporatio quàm in uere? cum tamen oppositum omnino sit, nam concesit ipse quoq; in eo tempore esse magnam euaporationem, in quo quidem caliditas aeris moderata est: est quoq; frigiditas pauca constipans*

pans uapores qui iam ascenderunt, modo in uere debilitas caloris existit, quæ potest colliquare ipsam materiam humidam & euaporare. Quare concludunus quòd in uere fiunt maiores euaporationes & maiores pluuiæ, ecce oppositum illius quod dicebas. dicit autem in litera (In vere autem resolutio aeris est magis fortis quàm euaporatio & calor absconditus occultus ualde minuitur & apparet ex eo quòd superficiei terræ aduenit subito res, quæ est fortior quàm uaporans aut res quæ subtilis existit euaporationis) *iste homo supponit unum falsissimum, neq; enim possum illũ in hoc excusare nam dicit quòd si uolumus scire in uere maiorem esse resolutionẽ debemus perspicere terram, quoniam ex illa eleuatur quædam subtilis euaporatio, quæ quidem statim resoluitur ab ambiente calore. Ego nescio ubi hoc uiderit, nonne supponit ipse quoq; in uere esse moderatum calorem, & quandam debilem frigiditatem, quomodo ergò calor ille potest resoluere illam euaporationem? bene hoc uerissimum esset si in uere esset illa caliditas intensa, quæ quidem est in æstate, & certe nolo quòd amplius in his immoremur, nam ferè pro ipso uerecundor, nescio ubi ista inuenerit, & quomodo hic illa inculcarit omnia sunt falsa. oporteret ipsum impugnare in singulis quibusq; uerbis. Aut res quæ existit subtilis euaporatiõis propterea quòd multum superat materiam & subtiliat & inuenit pauca euaporatio calorem multum in aere. hoc falsum est ô Auicen. Et completur resolutio*

propter hoc, hoc est secundum plurimum & secundum earum causarum singularitatem absq; alijs causis, ex quibus hæ aliæ proueniunt causæ præter eas quas nominauimus: per has causas innuit Auic. quòd sunt etiam causæ aliæ præter has, scilicet influxus coelestes qui adiuuant resolutionem ipsam, ut omnino probet quòd illa sit maior euaporatione, tamen possumus nos contra ipsum instare, nam cum sol est in ariete, tunc radij moderate calefaciunt, ideo cum moderatus sit calor non solum non fiet resolutio sed fiet maior euaporatio. Videte quæso quomodo omnia sunt contraria illis quæ dicit. Præterea supponit unum aliud quod falsissimum est: dicit enim quòd (in vere pauca est materia humida quæ quidem possit humectare aerem euaporando cũ illi commisceatur) *hoc enim quòd sit falsum, patet sensu, nam multa est materia humida in uere, & hac ratione nihil concludit. hoc uidemus nos sensu manifestante, dicit ergo.* (Amplius autem non est ibi materia multa quæ illud quod fuit sublimatum & subtiliatum restauret, & propterea oportet ut natura ueris trahat ad æqualitatem) *idest sit temperatum inter humiditatem & siccitatem, propter meas fortißimas rationes et inuestigationem acutam huius rei, ò fortißimæ sunt. sicut est temperatum inter caliditatem & frigiditatem, hæc est ergo conclusio omnium fortißimarum rationum istius hominis quòd uer est temperatum in paßiuis qualitatibus, sicut probatum est supra quòd est temperatum*

in

in actiuis. Sed si non habet alia argumenta, dico quòd nihil conclusit, & ista sua conclusio nulla est, qui enim male præmittit & falsè, male & falsè concludit. uidistis iam & audiuistis quomodo ualeant sua argumenta, & quomodo omnia sunt soluta, audiatis obsecro quòd subnectit. dicit enim (Et si probauimus quòd uer est temperatum tam in actiuis quã in passiuis qualitatibus, tamen non uolumus propterea negare quin ueris pars tendens ad hyemem sit magis humida quàm sicca.) *Ecce quomodo quæsiuit latebras & postea ab ipsa ueritate rei coactus fuit fateri quod nos dicimus. quid enim aliud uolumus quàm quòd sit magis humidus quàm siccus aer in parte illa ueris? o o nihil aliud uolumus. Ecce ergo quomodo laborasti frustra ó Auic. adduxisti rationes quæ potuissent aliquem intricare, postea idem concludis quod nos concludimus, propterea uidete nunquid opinio Athenei sit uera nec ne. Quare etiam illud argumentum aduersariorum quod putabant esse maximum & fortißimum, quod pro sua fortitudine appellant suum Achillem; uidebitis quomodo est imbecille, quod tale erat. non possumus transire de extremo uno ad alterum extremum nisi per mediũ transeamus, sed cum transimus de hyeme ad æstatem transimus de extremo ad extremum, quoniam sicut hyems frigidißima & humidißima omnium temporum est, sic quoq; æstas calidißima & siccißima est, ergo oportet per medium transire. hoc medium autem in quo neq; frigiditas neq; caliditas nec siccitas neq; humiditas*

miditas dominetur, tale medium est ipsum uer, ergo uer est temperatum & æquale. Dico quòd nihil concludit contra Atheneum, quem semper defendimus, *quoniam concedo totum. uideamus modo quid contra nos faciat. non transitur de extremo ad extremũ nisi per aliquod medium transeatur, concedo. sed cum transimus de hyeme ad æstatem, tunc transimus de extremo ad extremum, ergo oportet illud medium esse temperatum, uer est medium, illud ergo uer est temperatum. concedo quòd est temperatum & medium in qualitatibus, quæ conueniunt in propria natura & temperie ipsi aeri, modo istæ sunt duæ qualitates, humiditas cum caliditate ergo uer est calidum & humidum existens temperatum, uerißimum dictum ergo illud est quòd cum transimus de hyeme ad æstatem oportet pertransire per medium, quòd mediũ sit conueniens ipsi aeri. sed illud medium est cum caliditate & humiditate, propterea uer calidum est & humidum. Videte ergo quomodo suus Achilles factus est debilis, nihil probat profectò sicut uidistis. Quare nos concludimus uer esse calidum & humidum, non autẽ temperatum eo modo quo intelligunt nostri aduersarij. Cum non uultis me amplius in hoc progredi, ego non redibo ad ista declaranda. permittatis me legere si uultis. alioquin ego incipiam aliud cap.* Incipiam *ergo caput sequens quod est de iudicijs temporũ & eorum mutationib. uos perlegetis reliquũ huius cap. facile.n. illud intelligetis ex his quæ modo sunt declarata nolo.n. in hoc ca. manere per totũ hunc annũ.*

LECTIO LVI.

De iudicijs temporum & eorum mutationibus. Cap. IIII.

Vt intelligatis ea quæ sunt hic dicenda ab Auic. & à nobis debetis unum scire & meminisse quòd hoc erat propositum ipsius à principio huius secundæ doctrinæ, secundæ Fen pertractare, scilicet de causis in illa tota usq; ad finem, & ut tractatũ de illis ordinatũ faceret Auic. primo egit de causis in uniuersali, ubi uidimus nos de causis tamẽ antecedentibus primitiuis scilicet & coniunctis. uidimus de coniuncta causa & cõtinẽte, quæ distinguũtur secundũ græcos doctores, et quantũ in hoc falluntur isti moderni philosophi ostensum est: de omnibusq; differentijs ipsarum causarum pertractatum satis. ubi ostendebamus quòd omnes causæ antecedentes sunt extrinsecæ ab ipsius morbi essentia, & de illis ut sunt efficientes consideratum est, & inter alias diuisiones antecedentium causarum efficientium, & alterantiũ ultima & principalis erat illa, quòd causarum alterantium & immutantium nostrum corpus aliæ sunt non necessariæ, quæ quidem occurrunt nobis sed non necessario ad degendã uitã, aliæ sunt necessariæ quæ uitæ omnino sunt necessariæ, neq; possunt quotidie euitari. hæc erat enim potißima una illarum diuisio. Cum dedisset hãc diuisionem accepit membrum alterum, quando dicit

tur quòd illarum causarum aliæ sunt necessariæ uitæ ipsorum animalium, & diuisit illud in sex. dixit enim causarum necessariarum genera sex esse si bene meministis, illasq; numerauit, cum dixit, quòd (istarum causarum sunt aer, tum cibus & potus, somnus & uigilia, motus & quies, accidentia animæ, exinanitio & repletio.) *cum ergo inter illas prima & principalis esset ipse aer, quem euitare non possumus, quin semper immutet nostra corpora, essetq; tractaturus de illis ordinatim propterea incepit agere de natura ipsius in se considerati non respectu alicuius, ordinatissimus est enim Auic. in ordinandis & continuandis suis cap. quoniam debemus semper tractare de ente prius ut absolutum quidem, postea ut est quid relatum, quoniam ab uniuersalibus ad particularia procedendum est. egit ergo de natura illius & usu, quem præbet corporibus humanis, quoniam cum est temperatus præbet temperiem illis, cum est intemperatus intemperiē quoq; inducit.* Et *quoniam aer mutatur, ideo diuisit mutationes illius, & dixit quòd;* (aliæ sunt illius mutationes naturales, & secundum naturam, aliæ non naturales, & præter naturam.) *Et, cum uellet agere de illis sumpsit primo mutationes naturales & quæ secundum cursum naturæ sunt, ut de illis pertractaret exquisite.* Et *quoniam inter mutationes naturales sunt principales mutationes temporales, idest secundum quatuor tempora ipsius anni, propterea sumpsit tractatum de quatuor temporibus*

anni,

anni, de illorumq; complexione disseruit. Cum ergo de illis egerit in superiori cap. consequenterq; pertractandum esset de alijs mutationibus ipsius aeris naturalibus, prius uoluit agere de iudicijs temporũ, quæ sunt mutationes naturales aeris secundum tempora. sed ut applicantur ipsi corpori humano quod est illarum subiectum immutatum. Nam *cum prius sit pertractandum de temporibus secundum se & absolute, propterea primo egit de mutationibus aeris secundũ illa tempora in se considerata, postea ut applicantur corpori humano, & super ipsum præbent iudicium, ut scilicet uel bene, uel male immutent corpora humana. uoluit ergo pertractare de illis, ut nos sciremus iudicare quid sit futurũ de intemperie aliqua inducta ex aliquo morbo, & maxime cõfert medico tractatus iste, quoniã scit postea prouidere cũ accedit ægritudo ad corpus ipsum. maxime enim iuuatur medicus in curatione illius ægritudinis quoniã capit quo modo sit in illo procedendum secundum tempus hoc uel illud amplius accedat ægritudo, præuidet quid sit futurum ratione quoq; ipsius temporis, iuuatur quoq; mirum in modum medicus in prognostico, nam scit postea prædicere futuram salutem uel corruptionẽ. per cognitionem ergo horum temporum iudicat medicus quid futurum: propter ea non immerito Auic. inscripsit hoc cap. de iudicijs temporum & eorum mutationibus. & hoc quantum ad progressum Auic. & titulum cap.* Q*uantum autem ad tractatum dico quòd præmittit unum fundamẽtum suum, postea pertractat*

tractat de temporibus anni, ut applicantur & comparantur corpori humano, sed ut intelligatis & distincte procedatis, uolo quòd prius animaduertatis unum, & intelligatis statim quæcunq; dicutur in hoc cap. nam debetis scire q omnia ista quæ dicuntur ab Auic. hic fundantur super uno fundamentò summo apud ipsum, & nisi illud præmisisset non potuisset tractatum hunc recte persequi. hoc fundamentum tale est quòd aer immutat corpora humana, uel ad frigidum, uel ad calidum, uel ad aliquid aliud secundum qualitates illas, quæ in ipso reperiuntur, caliditatē, frigiditatem, humiditatem, & siccitatem. hoc enim manifestum esse puto. quid enim inducit aer humidus nisi humiditatem? quid aliud siccus, nisi quòd exiccat? quid facit aliud aer calidus, nisi quòd calefacit? frigidus nisi quòd frigefacit? istud ergo est fundamentum principale, & primum quod præmittit Auicen. tanquam supponendum sine alia ratione & probatione, cum uerissimum postea præbet aliud fundamentum, quod quidem tale est, quoniam quotiescunq; fuerit aliqua mala complexio in corpore humano conueniēs mutatio ipsius aeris est contraria illi, idest in qua sint qualitates contrariæ, quoniam contraria contrarijs remouentur & curantur, à similibus autem conseruantur. hoc est suum secundum suppositum. omnia quæcunq; in hoc cap. disputantur super his suppositis fundata sunt. sed quoniam sunt multæ dubitationes in illa propositione allegata, famosaq; apud omnes, quòd contraria contrarijs remouentur & curantur, a simi-

a similibus autem conseruantur, ideo oportet quòd a nobis illæ nunc soluantur. sed si ista supponantur uera & probata, sequitur ex illis suppositis, quòd si aer alterans humana corpora alteret ea cum eisdem qualitatibus, quæ sunt in ipsis corporibus, corrumpit magis ipsa si male se habeant, sed si sint temperata et sana conseruantur in propria temperie. si autem cũ contrarijs qualitatibus curat, si male se habeant ita, quòd sint intemperata. hinc est quòd cum aliquis est conseruandus in temperie mittitur a medicis ad aerẽ sibi familiarem, & similem in complexione. & ideo corpora sana debent fugere aerem sibi contrarium in complexione, quoniam non indigent immutatione. sed conseruatione, corpora uero ægra ad aerem sibi contrarium mittenda sunt; quoniam ab illo immutantur ad temperiem. si ergo inueniatur corpus quadratum quod describunt medici, uersetur in aere simili, sed si sint corpora quæ habeant aliquam qualitatem excedentem illã debent morari in aere contrariam habente qualitatem. ab illo enim maxime iuuantur in illoq; morantur, melius se habent quàm in simili, propterea in tempore illo quod contrariam habet illis qualitatem, optime degunt: quod manifestum omnibus est, nam senes propterea melius uiuunt & saniores in æstate, quoniam etsi illi sint frigidi sicciq;, tamen habent multam humiditatem infusam quæ ab illo calore intenso moderatur, & sic ad maiorem temperiem reducuntur. pessime uero degunt in hyeme, quoniam humiditas illa infusa superabundat, ideo magis ad in=

intemperiem tendunt, iuuenes uero peßime degunt in æstate, quoniam acuitur illorum caliditas & siccitas, & efficiuntur magis intemperati, hyeme uero optime, quoniam illæ intensæ qualitates franguntur et ad temperamentum reducuntur à contrarijs in illa qualitatibus existentibus, humiditate scilicet & frigiditate. Quare notandum est optime quòd illa propositio uera est, siue primum dictum propositionis contrarijs contraria curantur, modo non recesserit multum ad contrariam illam qualitatem corpus humanum. nam si parum inclinarit ad illam maxime iuuabitur a contrarijs & curabitur, sed si multum recesserit ad illam non modo non curabitur a contrarijs, sed & offendetur magis & occidetur. propterea limitanda est hæc propositio quæ habetur in tex. Auic. nisi illa corpora multum recesserint ad qualitatem contrariam, nam si sit aliquod corpus quòd maxime declinet ad intemperiem frigidam siccam, si uoluerit illud reducere ad temperiem per contrarias qualitates, calidas scilicet & humidas, tunc magis offendetur. Vnde dicebat quoq; Gal. de hoc loquens, quòd si sit membrum patiens aliquam intemperiem calidam humidã, si per contrarias qualitates uoluerimus curare illã, quæ tamen magna sit, tunc ita infrigidabimus, ut offendatur magis, ita quòd illud membrum sentiet maximos dolores, & periculum est de mortificatione illius membri, & ne fiat cancrena, sphacelismus. propterea uidetis quomodo propositio uera est, neq; sine ratione hoc contingit, nam si uolumus optime consi-

derare rem ipsam, nos inueniemus rem ita se habere, nam illa corpora si debent remoueri ab illis excedentibus qualitatibus,oportet quòd remoueantur per alterationem. Sed illa quæ operatur huiusmodi alterationem est natura & uirtus in illo existens, secundum quòd dicebat Gal. in secundo lib. artis paruæ, ubi dicebat quòd natura ipsa est operatrix, sed adiutor illius est ipse medicus, nam illam addiuuat ad perficiendam huiusmodi operationem. Quotiescunq; ergo applicamus illi corpori intemperato medicamentum contrarium, ut reducatur ad temperiem, tunc oportet ipsam uirtutem alterare mediante illius qualitate contraria, modo non potest id operari,nisi cum est fortis. non potest autem esse fortis, nisi cum ipsum corpus optime se habet & temperatum est. cum enim corpus est intemperatum & male se habet,tunc uirtus ipsa debilis est, nam secundum quòd se habet corpus, anima quoq; ita se habet, unde dicebat Gal. quòd animi mores & uirtutes sequantur ipsam temperaturam corporis, tum in fortitudine, tum in debilitate, in proprio libr. quem condidit de hac materia. Cum ergo in corpore intemperato & ægro uirtus sit imbecillis maxime quidem in ipso corpore recedente ad intemperiem. si ergo uoluerimus per contrarias qualitates illud corpus curare, oportet quòd fiat maxima alteratio, modo maxima alteratio non potest fieri, nisi a uirtute fortißima, ideo non poterit fieri alteratio stante illo quòd modo diximus, quoniã uirtus imbecillis est,et ita cũ non poßit ille dominari,

nam

nam agit in illud corpus ipsum contrarium, & ita lædit illud uirtusq; magis debilitatur, ita quòd omnino destruitur cum destruatur calor per huiusmodi alterationem, propterea in his casibus contraria contrarijs non curantur, immo magis læduntur illa corpora. Ex quo notate etiam, *quòd* Auic. *in prima* Fen, *tertij lib. in dolore insigni ipsius capitis. Ego enim non memini nunc cap. quòd sit scio in illa prima* Fen *tertij, timebat exhibere frigida, quoniam timebat ne uirtus esset quandoq; imbecillis, & ideo magis læderetur illud corpus ex applicatione illorum, quod non omnes intellexistis hactenus, nam alterat illud oleum rosatum quidem, sed quoniam magis læderet illum hominem, si uirtus imbecillis esset, ideo dimittit illud et magis conseruat ipsis similibus paulatim paulatim alterando ipsum per aliqua contraria, ut cum uirtus fuerit fortificata melius posit operari. Quare erit quoq; aliquis resolutus propter magnam caliditatem, si tentemus illum curare ponendo puta in aere frigido, statim ille suffocabitur, & sic occidetur a medico, etiam si quis resolutum iam habeat ferè propter magnam frigiditatem calorem innatum, & fuerit positus in aere calidißimo non solum non curabitur, sed etiam lædetur, ita quòd suffocabitur, nam sicut paucus calor positus in feruentißimo, calidoq; aere suffocatur, & pauca, debilisq; flamma in magno lumine posita extinguitur, sic quoq; ille paucus calor suffocatur cum illi adueniat calidißimum quid, propterea notate errorem turpißimum & nefandum modernorum*

rum

rum medicorum, qui quidem semper contraria appli cant, ut contraria tollant, non habentes rationem illius quod modo diximus, quod quantum sit considerandum permitto iudicandum illis qui me intellexerunt. Ista ergo sunt quæ habentur in hoc toto parasgrafo, primo quando dicit Auicen. (Omne tempus quod complexionem habet sanam proportionalem est conueniens,) *quoniam si est temperatum inducit temperiem ipsis quoq; humanis corporibus; si modo uera sunt illa quæ dicta sunt de ipso a nobis superius,* (sed qui malitiam complexionis habet proportionalem diuersificatur ab eo, sed cum multa ab æqualitate egressio acciderit proportionalem est non proportionale ab eo diuersificabitur, adeo quòd uirtus debilitabitur; Vnumquodque etiam tẽpus complexioni ægrotę conueniens ipsius contrarium est,) *ista sunt duo fundamenta super quibus diximus fundari hoc totum caput. sed antequam intelligatis illa quæ dicuntur in hoc paragrapho, nunc uidenda sunt quædam circa illas propositiones, quoniam uidetur esse difficultas circa illas. primo quidem quoad ipsam secundam quòd similia similibus conseruantur. ista propositio est propositio famosa & allegata sæpißime, tum apud philosophos tum apud medicos, quæ tamen uidetur esse falsa, & hoc experientia quotidiana comprobat. nam si sit aliquis homo qui habeat temperaturam biliosam & calidam, & moretur in aere calido, tempore æstatis. magis*

magis nocetur & facillime febricitabit. ergo similia a similibus potius augentur & corrumpuntur. ut ergo remaneat huiusmodi propositio uera sicut est famosa, propterea primo pono tres conclusiones, siue tres propositiones declarandas, quarum prima est ista. simile non agit in simile. secunda propositio, simile a simili augetur. tertia autem est quòd simile a simili conseruatur. Circa has propositiones igitur parumper immorandũ est. Et quantũ ad primũ dico ꝙ, ut soluantur oẽs ambiguitates circa ipsã cõtingẽtes, opus est primo distinguere quandam æquiuocationem, quæ est causa ipsius difficultatis, dico enim ꝙ simile dupliciter capi potest, uno modo in concreto, alio modo in abstracto, nam cum dicimus caliditatem similem esse alij caliditati, intelligimus altero duorũ modorum, aut substantia calida est similis alij substantiæ calidæ, aut caliditas est similis caliditati, non quatenus est in subiecto, sed in se considerata. magna enim differentia ista ut dicamus substantiam calidam similari alteri substantiæ calidæ, & ut dicamus caliditatem assimilari alteri caliditati, si ergo accipiamus caliditatem uel aliquam aliam qualitatẽ in abstracto similari alteri qualitati, tunc dico quòd illa qualitas ab altera non potest alterari neq; augeri. nam si alteratur & augetur ab illa, aut oportet quòd nutriatur, aut quòd augeatur, aut quòd minuatur, aut quòd corrumpatur, sed non potest nutriri quoniam qualitas illa in abstracto non potest esse animata, ergo non potest nutriri, quoniam superius probauimus quòd inanimatum

nimatū nutriri non potest, cū loqueremur an spiritus nutriantur. si ergo non nutritur oportet quòd augeatur, sed illa nō pōt augeri ab alia sibi simili qualitate, quoniā si sunt similes, ergo sunt æquales in gradu, sed si sunt æquales in gradu nullo modo possunt se inuicē augere, ratio est quoniam augmentū non fit nisi ab aliquo maiore in gradu, et ab aliquo intēsiori. qūo.n. potest esse quòd si sit æqualis illi in intensione, ut illam augeat, si tantam habet intensionem ista sicut illa, nemo enim dat quod non habet, neq; enim potest multiplicari aliqua forma quæ illam augeat, nam forma nō multiplicatur, nisi in medio quod est subiectum, modo supponimus istas qualitates esse in abstracto, non autem in subiecto, non potest ergo ab illa augeri, sed neq; potest minui ista qualitas ab alia sibi simili, quoniam eadem est ratio oppositorum, modo tamen opposito, si ergo non potuit augeri ab illa minus poterit minui, nam si in gradu sunt æquales. quomodo possunt inuicem minui ab altera, ergo relinquitur quòd ab illa corrumpatur per præcedentem ipsam alterationem, nam omnem corruptionem præcedit alteratio, sicut habuistis in alijs scholis, sed si debet fieri alteratio, oportet quòd illa qualitas in aliam agat, modo actio non fit nisi a proportione maioris inæqualitatis, secundum quòd docebat Arist. in illo septimo lib. physic. modo quomodo possunt inuicem agere, si sunt similes in gradu, neq; una sit altera intensior? oportet autem quòd si debent inuicem agere una plus possit quàm altera, ut super illam dominetur. Quare

qualitas simili alij qualitati nõ potest in eã agere, neq; minus augere illã cõsiderãdo ambas nõ in subiecto, sed in abstracto. Videamus ergo an possent inuicem agere et augeri istæ similes qualitates, nã si sint duo corpora similia in qualitatibus simul iuncta augentur, si .n. unũ alteri iungatur tunc augetur gradus ipsius qualitatis, magis.n. potest in illo aucto corpore, quàm in dimidio illius, quoniam in maiori quanto maior est uirtus apud omnes philosophos et medicos, hoc probatũ & certũ est, nam si accipiatur scintilla ipsius ignis, certum est q; habet uim calefaciẽdi et calefacit, sed si capiatur alius ignis qui sit in maiori, quanto magis calefaciet quàm illa scintilla, nam cum sit in maiori subiecto, quã to magis extensa, quàm illa qualitas quæ est in ipso quanto paruo, cum autem magis sit extensa magis etiam potest calefacere. corpus ergo iunctum alij cor pori sibi simili in qualitate auget uim illius qualitatis, nam si capiatur unum corpus quod habeat qualitatẽ pedalem, sitq; homogeneum, suppono enim quòd sit simile in partibus, in singulis illius partibus est illa qualitas, siue illius qualitatis aliquis gradus, ista qualitas sit ipsa caliditas, certum est quòd calefaciet, sed si illi iungatur aliud corpus quod habeat qualitatem similem illi, caliditatem scilicet, tunc magis augetur et corpus et uis ipsius caliditatis in agendo. magis enim calefacit, cuius signum est quòd si illa magnitudo quæ resultauit ex illis duobus corporibus pedalibus diuidatur, non amplius altera illarum partium poterit tantum calefacere quãtum calefaciebat caliditas illa quæ

in tota magnitudine continebatur. nonne potest magis magnitudo tota, quàm altera pars illius magnitudinis? Nam sunt decem homines qui trahunt nauim, quoniam tantum de uirtute habet iste, tantum ille, et sic de singulis illis decem, ita quòd simul iuncti ad ipsam funem reddunt ita intensum gradum uirtutis, ut possint trahere ipsam nauim. quòd si per casum seiungantur inuicem non poterunt singuli trahere nauim. non enim tantum roboris habet unus illorum sicut decem simul, quoniam maior quantitas est decem hominum quàm unius, ideo magis potest uirtus ipsorum quoniam augetur magnitudo, augetur uirtus, in maiori enim quanto maior est uirtus sicut dictum est, maius robur est in homine magno et corpulēto quàm in pusillo & paruo, quoniam ad maiorem magnitudinem in qua est qualitas ipsa augetur quoq; ipsa qualitas sed intelligatis nunc me de ipsis uirtutibus & formis extensis loqui, non autem de illis quæ non sunt extensæ ad extensionem subiecti, nam uerum non est quod dicimus de illis, quoniam maior uirtus potest in paruo homine consistere q̃ in magno & corpulento; ut sunt uirtutes cognoscitiuæ, siue intellectiuæ, & magna uis consistit in corpore paruo dicebat ille, quoniam magis uiget in illo uirtus, cum minus grauet. Quare hoc modo augetur simile a simili si consideramus ipsas qualitates in concreto, idest in subiecto corpore, quoniam quanto magis iungitur corpus similē in qualitatibus alteri corpori, tanto magis augetur ipsa qualitatis uis. tolluntur ergo omnes contradictio-

nes ſicut uidetis diſtinguendo de ipſo ſimili, quoniam in concreto augetur ſimile a ſimili, in abſtracto uero non. Videamus modo tertiam propoſitionem, nunquid ſit uera nec ne, an in ſe habeat quid difficultatis. dicebatur enim quòd ſimile cõſeruatur a ſimili. Videtur enim primo quòd iſta propoſitio ſit falſa quoniam iam tu dixiſti quòd ſimile non agit in ſimile, quoniam omnis actio fit a proportione maioris inæqualitatis, modo ſi ſunt ſimiles in gradu non eſt iſta proportio maioris inæqualitatis, ergo non poſſunt inuicem agere, ſed ſi ſimile conſeruatur a ſimili, oportet quòd in illum agat, ergo ſicut non poteſt in illud agere, neq; conſeruabit ipſum, quid enim eſt aliud conſeruare, quàm in ipſum agere, & per ſe non poteſt ſimile agere in ſimile, ergo neq; conſeruare. Vt ergo oſtendamus quòd propoſitio uerißima eſt ſi intelligatur optime ſubijciatur nobis pro exemplo ipſe homo, qui quidem continue in motu & alteratione eſt. ſi ergo ambulet per aerem qui illi ſit dißimilis, uidebitur apparenter ipſum ab illo aere alterari, inſigniter etiam uel humectatione nimia uel calefactione, uel frigefatione, uel exiccatione. quia uidetis quomodo dißimile immutat ſuum dißimile, ſiue quòd eſt in extremo, quoniam ſupponitur quidem hominem alterari, ſed non inſigniter, ideo temperatus eſt, modo aer cum excedat in aliqua qualitate ipſum inſigniter alterat. ſi uero aer ſit temperatus & medius, qui non habeat qualitatem excedentem ſimiliſq; in complexione illi homini, non amplius ille aer aget, neq; immutabit,

aut

aut alterabit ipsum hominem, quoniam in qualitatibus sunt similes. modo simile non agit in suum simile per iam dicta a nobis. Cum ergo non alteret illum dico saltem sensibiliter, quoniam non potest esse quòd insensibiliter illum non alteret, sed nos qui sumus medici consideramus ipsam alterationem sensibilem, non autem insensibilem, quoniam illam pro nihilo reputamus, ipsum consequenter conseruat in propria tēperatura. istæ ergo est sensus huius tertiæ ꝓpositionis à nobis positæ, quòd simile conseruatur a suo simili, quoniam simile non agit in suum simile, neq; illud immutat, aut ad bonum, aut ad malum, sed cum illud non immutet, permittit in propria temperatura. cum permittitur in propria temperaturā, neq; ab illa remouetur conseruatur, ideo simile conseruatur a simili. uidete ergo quomodo argumentum oppositum non concludit, quoniam concedimus quòd non agit in illud simile, sed cum non agat conseruat. legamus modo ea quæ sunt declarata.

LECTIO LVII.

DICEBAMVS *in præcedenti lect. quemadmodum super duobus suppositis, & fundamentis fundabantur omnia quæ dicebantur in hoc toto cap. quod præ manibus habemus. nihil enim in illo habet quod non sit fundatum super illis. primum autem illorum erat quòd aer alterat corpora humana secūdum qualitates, quæ in ipso existunt, hoc erat primum suppositum, quod supponebat* Auic. *secundum autem erat*

quòd contraria tolluntur a contrarijs, ideo ægritudines tolluntur a contrario sibi aere in qualitatibus, similia autem similibus conseruantur, ideo corpora sana conseruantur in propria temperatura in aere sibi simili. & in his duobus dictis erant multæ dubitationes & difficultates, quæ iam solutæ sunt, nam dicebamus quòd simile conseruatur ab aere suo simili, quoniam cum non est contrarium alterare non potest ipsum corpus humanum. declarauimus quinetiam quomodo contrarium tollit suum contrariũ, dicebat enim Auic. (Vnumquodque etiam tempus complexioni ægrotæ conueniens ipsius contrarium est,) *nunc modo uult probare alteram suam propositionem, quòd scilicet contrarium tollit intemperiem, contrarium dico tempus. dicit autem quòd si sit aliquod tempus quod excedat ualde in aliquibus qualitatibus, & quòd subsequatur aliud tempus quod excedat in qualitatibus contrarijs illis præcedentis temporis bonum est, & bona mutatio, quoniam corporibus maximi auxilij est, quoniam a tempore subsequenti tollitur intemperies inducta a primo in ipsis corporibus, propterea dicit,* (Cumque duo tẽpora a sua egressa fuerint natura, & fuerit eorum exitus contrarius, neque ibi fuerit superfluitas longa, quoniam tunc nocerent illis corporibus,) *postea exemplificat, & dicit,* (Quòd si hyems fuerit meridiana & superuenerit ei uer septentrionale erit aduentus secundus super primum conferens corporibus,

bus, & ipſam temperans eo quòd Septentrio nalitas aeris eſt oppoſita meridionalitati hyemis,) *Ecce ergo quomodo contraria tempora ſe conſequentia bona ſunt, quoniam ſe inuicem temperant. dat adhuc aliud exemplum, & dicit,* (quòd ſi fuerit hyems ſicca ualde & ſubſequatur eã uer humidum, tunc intemperies inducta in corporibus humanis ab ipſa ſiccitate hyemis tolletur per humiditatem ipſius ueris,) *inquit ergo,* (& ſimiliter ſi hyems ualde ſicca fuerit, & uer fuerit ualde humidum, tunc uer hyemis ſiccitatem temperabit. Et ſi humiditas non fuerit multa, neque prolongabitur tempore multo non mutabit illius temperamentum impediens,) *quaſi dicat quòd reducet ipſum corpus ad temperiem non autem ad intemperiem humidam, niſi multum durauerit illa humiditas.* Exemplum *autem illud primum eſt tale, q̃ ſi fuerit hyems calida & humida, ideſt quòd flet auſter in ipſa, & ſubſequatur uer frigidum ſiccum, ideſt quòd in eo ſubſequatur uentus ſeptentrio, tunc illa caliditas & humiditas ipſius hyemis tollitur a ſiccitate ipſius ueris, nam cum hyems eſt calida humida propter flatum ipſius auſtri, ideo inducantur tales intemperies, ut periculum ſit de ipſa peſtilentia, propterea ſuperueniens uer in quo flat* Boreas *uentus frigidus & ſiccus corrigit, & emendat illam intemperatam humiditatem cum caliditate, quemadmodum etiam ſi eſt hyems ſicca & ſuperueniat uer humidũ,*

temperatur enim illa siccitas ab humiditate ipsius ueris, sed si humiditas ipsius ueris fuerit longa & dura uerit multum, tunc inducetur alia intemperies multo peior scilicet humida, & tunc fient pestilentiæ & putrefactiones corporum. hæc ergo sunt exempla quibus declarat hoc secundum suum fundamentum, nam si per primum suppositum aer alterat humana corpora secundum qualitates quæ in illo reperiuntur, certum est quòd si in hyeme flet auster qui calidus et humidus est, aer quoq; calidus & humidus est, ideo alterat corpora nostra per caliditatem & humiditatem. si ergo subsequatur ipsam hyemem uer in quo flet septentrio, qui est frigidus siccus, aer quoq; frigidus & siccus est, & per frigiditatem, & siccitatem alterat nostra corpora, & ita remouet superfluam humiditatem & caliditatem inductam ab aere hyemali. Quare contrariũ tempus subsequens aliud tempus bonum quoniam reducit corpora ad temperiem, quæ antea intemperata erant. Videtis modo quomodo ex illo primo supposito & fundamento declaratum est secundum quod erat tale, contraria scilicet tolli & curati a contrarijs. uidebitis ita paulatim num sit uerum illud quod nos modo diximus in præcedenti lect. quòd scilicet super illis duobus suppositis fundabantur omnia quæ dicuntur in hoc cap. ab Auic. inde enim omnia pendent. (Et mutabit illud eius temperamentũ humectatione impedicẽs) *Superest modo Domini ut soluatur unum dubiũ quod faciebat difficultatem contra dicta ab ipso in su=*

superioribus, contradiceret enim sibi met. Quapropter cum aliquis ista audijsset potuisset dicere quid dicis ó Auic. nam si per tua dicta hyems præcedat calida & humida, subsequetur illam uer frigidum & siccum, tunc uer reducetur ad intemperamentũ, quoniam per has qualitates in illo dominantes remouebitur superfluitas tum caliditatis tum humiditatis relicta ab hyeme, ergo uer erit intemperatum, quoniam si est in ipso redundans frigiditas & siccitas uer nõ solum erit temperatum, sed & frigidum siccum, quod est oppositum illius quod supra dixisti. Cum ergo Auic. uidisset hanc dubitationem & obiectionem quam aliquis contra se facere potuisset, respondet, et uidete quomodo respondet & quomodo soluat: dicit enim quód (non se extendit longo tempore illa siccitas & frigiditas, sed tantum durat quã tum tolli potest humiditas relicta ab hyeme superflua) *sic quoq; respondet si quis diceret quód subsequens uer humidum hyemem siccam, tunc uer erit humidum, quód est cõtra ipsum, dicit enim ad hoc quoq; quód illa humiditas tum multum se extendit ita quód faciat illud humidum, sed tantum quantum sufficiat ad tollendam siccitatem superfluam derelictam ab hyeme, propterea non prohibet quin remaneat tẽperatum sicut dixerat. sed debetis modo aduertere illud quod aduertit Gal. quoq; in primo libro de tuend. sanit. nam dicebat ibi Gal. quód non omnibus nocet siccitas ipsius hyemis, sed quibusdam nocet quibusdã uero auxiliatur. nocet quidem illis qui sunt tempera*

turæ

turæ frigidæ siccæ, sed qui sunt temperaturæ calidæ humidæ iuuantur ab illo, propterea cum superueniat uer humidum, dico quòd illud eis non conuenit, nam si ab illa siccitate hyemis iuuabantur, erant in illa conseruandi, nam modo ab humiditate ipsius ueris offendentur. istæ regulæ sunt limitandæ & particulariter intelligendæ pro illis qui sunt temperati, aut prope temperaturam sunt. nam cum aer mutatur in qualitatibus primis calido, frigido, humido, & sicco, non omnibus iuuat semper, neq; omnibus nocet, sed partim nocet, partim iuuat, iuuat quidem illis qui sunt cõtrariæ temperaturæ, nam si aer mutetur ad caliditatem, aer iuuat quidem ijs qui sunt frigidæ temperaturæ, sed nocet ijs qui calidæ sunt, propterea ex magna mutatione ipsius aeris fiunt morbi illi qui Epide*mici appellantur, secundum enim qualitatem excedẽtem fiunt in aliqua regione, nunc modo in altera, & aliqui laborant aliqui uero magis ualent, qui sunt scilicet temperaturæ contrariæ.* Vagantur *autem per orbem totum non magis permanentes in hac quàm in illa regione secundum quòd dicebat* Gal. & Hippoc. *primo* Epid. *Sed Auic. his expeditis modo nunc uult ponere aliam conclusionem, quæ conclusio talis est, quoniam sicut sæpius dictum est cum aer mutatur in propria substantia, nocet omnibus tẽperaturis.* Qua*re si aer mutetur in propria substãtia uel saltem propinquus est ad putredinem, tunc melius est si solum unum tempus sit in quo aer eo modo mutetur, quàm si pluribus temporibus, quoniam si adhuc subsequatur*

aliud

allud tempus, in quo talis mutatio permaneat periculum maius est. sed exemplo declaremus ut omnes intelligatis, nondũ enim hoc intelligitis, dico ergo quòd Auic. hoc intendit, quòd cum aer mutatur, ita quòd ferè in substantia mutatur, maius periculum est de putredine si multis temporibus permaneat illa mutatio, puta si uer mutetur ad maximam humiditatem et caliditatem, periculum est de putredine ipsius aeris, consequenter de putredine corporum animalium, maius tamen periculum est si ad tale uer humidum ualde subsequetur æstas humida, tunc enim sumus quasi certi de pestilentia. at si adhuc æstatem subsequatur autumnus humidus sumus certissimi de putredine aeris & pestilentia. iam enim dictum est a nobis supra, quomodo calidum humidum sunt materies putredinis. dicit ergo hanc conclusionem hic Auic. quando ait, (Mutatio præterea temporis in quo tẽpore est minus afferens mortalitatem, quàm eius mutatio in multis temporibus, scilicet mutatio adducens mortalitatem, & non est mutatio emendans illud quòd prima attulit mutatio, sicut diximus) *iam audiuistis uos hoc.* (& ex complexionibus aeris, &c.) *Sed circa huiusmodi conclusionem considerandum est quoniam non uidetur rectam illam facere Auic. cum solum passum consideret. modo Arist. 6. phys. dicebat non solum nos debere considerare passum, sed etiam agens in ipsum quam proportionem habet ad illud. nam si sit exempli gratia agens quod sit graduum qua*

tuor

tuor & agat in passum per horas 12, certum est q̃ citius & maiorem actionem imprimet quàm si sit alterum agens unius gradus & agat in idem passum per 12 horas, igitur uidetur quòd sit istud argumentum ex semisse, & ut dicunt Logici à secundũ quid ad simpliciter, nam non solum debemus considerare tempora siue passum, sed etiam agens. Cur ergo illud prætermisit Auic. *fuit ne tam stolidus, ut prætermitteret illud quod maxime erat considerandum.* Domini *dico quòd* Auicen. *erat maximus uir, maximus philosophus, maximus medicus, & maximus dialecticus. propterea non est credendum quòd illud prætermiserit. Quare uidendum est quomodo fecerit* Auic. *& optime aduertatis ea quæ dicentur, quoniã maxime iuuabunt ad quæstionem futuram ex professo de calore cur maior & fortior sit in mense Augusti, quàm in mense* Iulij, *cum tamen in mense* Iulij *sol propinquior sit nobis quàm in mense Augusti, nolo enim nunc illam facere neq; me quidem in illam intro mittere expecto enim tempus in quo melius poßim illam habere, quoniam credatis me hac tota nocte laborasse dolore colico & si nunc quoq; parum laborem, uidetis enim tantum hoc modo, legam aliàs. debetis ergo scire quòd si sit ualida & magna uis agentis sed tempus sit breue in quo agit, tunc agit quidem sed superficietenus in ipsum passum & inæqualiter in hac parte illius non in illa, & hæc actio parum in passum imprimitur. propterea cito quoq; & minima de causa abit. quod patet per plurima exempla nam si quis*

afficiatur

afficiatur ex improuiso statimq; magna tristitia super ficietenus solum afficitur, sed magna affectio illius est cito quoq; propterea redit ad pristinum statum. Sed cum agens paucum est in uirtutem & tempus sit longum in quo agit, tunc imprimit actionem suam æqualiter per omnes partes passi & profunde. nam si illa tristitia paulatim inducta esset tantum illum affecisset, ut non facile amplius posset redire ad gaudium, sic propemodum dicimus in his temporibus. sic quoq; in alijs quæ pro exemplo adduci possunt, ut timoribus, gaudijs, motibus. si quis enim laboret pauco tempore magno & ualido exercitio sudat, resoluuntur illius uires ut uideatur ferè cadere, sed quoniam non profunde sed in superficie solum est affectus tali magno motu propterea facile redit ad pristinum gradū uirtutis. quòd si quis alius paulatim paulatim longo tempore laboret paruo exercitio paulatim resoluuntur spiritus & humidum radicale absumitur profunde non solum superficietenus, ut non posit postea refocillari, nisi difficile & longiori tēpore. Amplius quoq; in febribus ipsis incendentibus secundum quòd dicebat Gal. caliditas maxima inducitur in corpus humanum, ideo magnam statim facit affectionem & inæqualiter superficietenusq;. propterea etiam facile & cito relinquit illud. sed si caliditas in alia febre inducatur paulatim paulatim profunde imprimitur & longo tempore difficileq; eradicatur. hac de causa dicebat optime Hipp. diuinus in aph. Qui tarde resoluuntur tarde quoq; reficiendi sunt, quoniam resolu-

tio illa facta est in profundis partibus, propterea lon go tempore opus est ad instaurandos illos ut paulatim paulatim inducatur ipsum nutrimentum: hac ergo de causa Auic. *non immerito meminit solum de illis temporibus & passo, non de agente, quoniam & si agēs esset ualidum breuiterq́; agat, tunc tempus illi contrarium facile alterat quod imprimitur ab ipso, neq; dimittit illud agere. propterea ergo dixit solum de tēporibus* Auic. *nullam mentionem faciens de agente. Sed dicebamus quòd ista iuuāt ad ea quæ dicenda sunt in quæst. ideo ne credatis me non habere alia fundamenta, dico quòd ista potius sunt quædam exempla: uidebitis enim quòd adducemus demonstrationes fortißimas & probationes etiam mathematicas, hæc solum sunt exempla ut dixi. Cum ergo iam* Auic. *declarauerit quòd peiora sunt tempora multa quàm unum solum, in quibus aer mutatus est ad talem qualitatem, ut sit propinquus putredini, quæ est corruptio in substantia, nunc modo uult declarare quæ sint mutationes aeris propinquæ ad ipsam putredinem & dicit* ꝙ (cum tempus mutatum est ad caliditatem & humiditatem tunc magis aptum est ad putredinem) *cum dicit* (& ex complexionibus aeris dignior ut cōuertatur ad putrefactionem est calidi & humidi complexio.) *Circa quòd debetis animaduertere quòd caliditas & humiditas sunt causæ putredinis secundum etiam uulgares medicos qui consueuerunt dicere has duas qualitates esse matres putredinis. putredo autem substantiæ corruptio*

ptio est, quare caliditas & humiditas sunt causæ corruptionis ipsius substantiæ. sed non intelligatis nos lo qui de his qualitatibus temperatis et mediocribus, sed de illis quæ excedunt, & quæ non sunt in substantia ipsius aeris, quoniã illæ sunt mediocres. sed quæ extrinsecus accedunt ad illum aut propter uapores ma los illi commistos, aut aliquid aliud. Et ut hoc intelligatis debetis optime aduertere ut sciatis quòd omnia quæ generantur, generantur per actionem calidi in humido secundum Arist. quoq; in lib. de generat. & corrupt. & sæpius in libro de partibus animalium, et in lib. de morte & uita. modo nihil potest generari nisi quid aliud antea corrumpatur, nam generatio unius est corruptio alterius, secundum quòd dicit ipse met Arist. in illis de generat. & corrupt. ex omnib. enim quæ sunt in ista sphæra innatum est fieri aliud cũ corrumpantur. sumus enim ita nati nos ut ex nobis semper aliquid fiat & generetur. Inde enim Arist. probabat generationem perpetuo duraturam, quoniam quodcunq; corrumpatur in nihilum abire nõ potest, sed ex illo fit unum aliud. Cum ergo calidum agit in humidum aliquid corrumpit, ex quo corrupto aliquid aliud generatur, nam istud calidum putredinale trahit humidum ad circunferentiam. & sic corrũpitur & putrefit mistum, ex qua putrefactione fit aliud secundum quòd dicitur ab Arist. in 4. meteor. humidum enim illud, ex quo fit generatio corrumpitur, & nisi corrũperetur aliud non generaretur, nam ad omnem generationem antecedit alia corruptio si mo

do

do uerum est dictum Arist. *quòd unius generatio est alterius corruptio, quare ad corruptionem sequitur generatio. nisi granum frumenti cadens super terrã corruptum fuerit & putrefactum, non germinabit dicebat quoq; ille doctor & princeps omnium scientiarum, nam cum calidum internum uincitur ab humido, fit quædam coinquinatio & illa quam græci nomine proprio appellarunt* σάνεσιν, *non enim habemus nos nomina latina, quibus significare illam recte poßimus, sed & qui uerterunt* Arist. *illis nominibus utuntur*. Quare *cum ex actione calidi in humido uincatur ab illo fiet putrefactio, hincq; dictæ fiũt istæ qualitates duæ materies putredinis. propterea cum uer mutatur ad istas exceßiue, quoniam habet eas sed in propria temperie, propterea illius propria substantia corrumpitur, inde est quòd non debemus mirari si iste aer in uere ita corruptus corrumpit omnes homines & animalia, cum continue illo indigeamus, ut spiritus ipsi euententur & nutriantur, neq; enim possumus sine illius attractione uiuere, ne per minimũ quidem tempus, sicut diximus supra cũ haberemus quæstionem propriam, tantum nutriantur nec ne*. Auic. *modo cum comparauerit ipsas mutationes temporũ ad se inuicem, nunc uult dicere quæ sint loca in quibus fieri solet sæpius corruptio & putrefactio aeris propter ipsius mutationem ad illas qualitates, dicit enim quòd sit sæpius ista corruptio in locis, quæ sunt inæqualia, in illis enim fiunt magnæ & extremæ mutationes aeris, & non solum in uno tempore anni sed*

etiam in una die paruißimo & breuißimo tempore, sicut sunt loca in quibus sunt montes & ualles, & hoc non solum probatur experientia, sed etiam ratione, primo quidem ratione, nam corruptio & putrefactio ipsius aeris propter uapores humidos & malos illi commistos, quemadmodum dicebat quoq; Auic. superius, si meministis. ubi ergo colliguntur sæpius uapores illi, aer quoq; sæpius putrefit, modo in locis ubi sunt ualles colliguntur sæpius & multi uapores, nam ibi multum possunt radij solis ad euaporandum nõ ad resoluendum, nam in illis uallibus non possunt tantum reflecti radij solis, ut poßint resoluere. Quare fiunt multæ euaporationes humidæ quæ cum misceantur substantiæ ipsius aeris mutant illum ad qualitates putrefacientes. Quare ibi fit corruptio aeris sæpius. hinc est quòd sæpißime & ferè semper uidemus nebulas in uallibus. Sed dicet quis immo uidemus nebulas in uerticibus montium ferè semper, dico quòd illæ non eleuantur ex montibus sed ex uallibus postea ascendunt montium cacumina. bene ex montibus eleuantur euaporationes calidæ & siccæ, nam scitis quòd sunt duplices euaporationes; aliæ enim sunt calidæ humidæ, & istæ sunt ex quibus generantur nebulæ, aliæ uero calidæ siccæ quæ in montibus fiunt, ex illisq; fiunt uenti, nihil enim aliud est uentus nisi euaporatio calida & sicca secundum quòd dicebat Arist. in secũdo meteor. ubi loquitur de uentis, & sicut scribunt omnes boni meteorologici, ex humidis & calidis fiũt pluuiæ, in illis ergo regionibus in quibus multæ &

frequentes euaporationes calidæ & humidæ fiunt, mutationes fiunt magnæ tendentes ad putrefactionē ipsius aeris, modo in illis quæ sunt inæqualiter scabrosæ in quibus sunt ualles multæ & frequentes fiunt humidæ euaporationes. propterea sæpe mutatur aer maxime ad tales mutationes ut corrumpatur ipsa substantia aeris & fiunt ita magnæ mutationes in illis ut sæp ßime in una die sint suffocationes propter caliditatem, modo propter frigiditatem. hoc est ergo quod dicit, (Plurimum uero quòd accidunt mutationes aeris est in locis diuersorum situum, ideſt inæqualium & in profunditatibus uallium, ſed in montibus, & in altis paucę proprię exiſtunt,) *Vult innuere quod notauimus supra, nam etsi sint in illis nebulæ & euaporationes, non tamen eleuantur a montibus sed uallibus, propterea si in illis regionibus fiunt magnæ mutationes aeris non fiunt ratione sui, sed quia illis communicantur. Ego uolebam perficere hoc cap. omnino nam sunt aliqua difficilia, sed postquam uideo uos & me defessum esse, propterea audiatis unum, ut sciatis prouidere uos pro crastina die, quoniam enim dicebat Auic. in fine huius cap.* (quòd ſi uer eſt pluuioſum, & ſequetur æſtas pluuioſa tunc eſt tempus magis ſanum quàm eſſe poſsit;) *ideo illud a nobis in crastina lectione erit considerandum an ueritatem habeat; Videtur enim habere in se difficultatem aliquam.*

Lectio

LECTIO LVIII.

Et est conueniens, ut sicut tempora dicuntur, proueniāt, ut sit æstas calida, hyems frigida, & similiter vnumquodque tempus, &c.) *Vidistis in superioribus omnia quæ attinent ad ipsa tempora, quomodo scilicet mutantur tum ad calidum, ad frigidum, humidum, & siccum, & per illas qualitates mutant humana corpora, consequens est modo ut uideamus reliqua quæ dicit hic Auic. nam dicit quòd tunc sunt maxime conuenientia tempora anni, cum sunt in natura propria, non considerando illa respectu unius uel huius, uel illius indiuidui, sed communiter respectu illorum omnium. natura autem sua est ut hyems sit frigida, uer uero temperatum secundum ipsum* Auic. *quomodo autem dicamus illud esse temperatum contra* Auic. *superius ostendimus non est amplius ut illa repetamus, supponantur tanquam scita & intellecta quoniam scio uos intellexisse illa. æstas autem calida autumnus inæqualis, tam ad actiuas, quàm ad paßiuas qualitates contra* Auic. *quomodo enim poßunt esse conuenientia magis, quàm cum existunt in propria natura.* Vnde *dicebat quoq;* Hippoc. *ille diuinus in tertio aphor. 8. aphor. quòd cum sunt constantia tempora anni, & in sua natura consistentia, ægritudines quoq; constantes sunt, sed ut ista intelligatis debetis scire quòd tunc dicitur aliquod tempus esse constans, quando non mutatur aer a sua mutatione naturali pro illo tempore, sed sem-*

per se habet eodem modo a principio illius temporis, usque ad finem, si ergo tempora fuerint constantia, inquit Hippocr. in illo aphor. 1. si tempora permanserint in sua naturali mutatione a principio usq; ad finem, tunc ægritudines quæ in illis fiunt erunt cōstantes. i. erunt eodem modo a principio usq; ad illarū finem, permanet autem in sua natura tempus cum ad aerem nihil extrinsecum accedat, semper enim debetis hoc præsupponere, nam mutatur tum ad frigidum calidum humidum & siccum, cum aliqua id genus alterantia illi accedunt: sed sunt dubitationes in hoc, quoniam si magis conseruantur corpora aliqua in uere quàm in alijs temporibus, propterea uideretur quòd in illo tempore essent conseruanda, non autem immutanda per alia tempora in quibus fiunt mutationes aeris insignes ad qualitates primas, quoniam cum sint temperata, conseruāda sunt in tempore uno temperato. nam cum ipsa tempora mutantur, mutantur quoq; ipsæ temperaturæ corporum, ergo ex his uidetur quòd pessimæ sint istæ mutationes quatuor tēporum, ut æstas sit calida in excessu, hyems frigida in excessu, uer autem calidum humidum in propria temperie, autumnus uero inæqualis, nam hyems illa frigefaciet, æstas uero calefaciet, sicq; extrema in illa corpora agentia inducent multas malasq; ægritudines in ipsa, reliquum ergo est quod natura melius fecisset, si fecisset unum solum tempus medium in quo talia corpora temperata conseruarentur, quale est uer. Ad istas igitur difficultates & dubitationes respondeo

ſpondeo & dico quòd longe melius eſt quòd natura fecerit huiuſmodi mutationes aeris per quatuor tempora, & iſtæ mutationes ſint inſignes, modo ad unam qualitatem, modo ad alteram, quoniam etiam ſi quis mihi diceret quòd huiuſmodi tempus medium & unũ magis conueniret illis corporibus, quæ quidem ſunt temperata, nam cum ſint in propria temperie magis ſunt conſeruanda quã immutanda per huiuſmodi qualitates excedentes. ſi enim ſunt ſana nonne debent cõſeruari in temperie illa & ſanitate? quod quoq; nos fatemur non ſolum nunc, ſed etiam ſuperius diximus, dicerem tamen quòd eſſent conſeruanda in ſanitate talia corpora χαρᾶτατα *.i. corpora illa quadrata quæ deſcribuntur à Gal. ſed quoniam raro immo rariſſime talia corpora quadrata reperiuntur ſecũdum quòd dicebat quoque Gal. primo lib. de tuend. ſanit. ideo non potuerunt conſeruari in illa temperie, quam non habebant. nam omnia fere corpora excedunt in aliqua qualitate. quòd ſi quandoq; eſt aliquod corpus temperatiſſimum, dico quòd ita temperatum eſt per inſtans temporis, propterea cum non eſſent conſeruanda per tempus unum ſolum ſimile, natura prouida uidit quòd ſi tempus eſſet unum in quo dominaretur frigiditas & humiditas, ut hyems, tunc ſenes & omnes illi qui ſunt temperaturæ humidæ morerẽtur, quoniam magis intenderetur ſua intemperies, propterea fecit mutationem inſignem, in qua dominaretur caliditas excedens, quod tempus dictum eſt æſtas, in iſto enim tempore illa inſignis humiditas remittitur,*

tur, & sic humidi fiunt magis temperati, quoniam corrigitur error commissus in hyeme & uere, propter eorum humiditatem. Amplius sunt iuuenes & corpora calida & sicca quæ morerentur, si semper esset æstas, quoniam ab illius calore omnino exiccarentur propterea natura hyemem humidam frigidã, quæ corrigeret errorem commissum in æstate confor mauit, & tandem cum omnia corpora habeant aliquem excessum qualitatis, propterea oportuit esse diuersa tempora, ut hi bene degerent in hoc tempore, illi in illo: hoc modo enim omnia corpora succedũt in uita, & sic ordo uniuersi seruatur: nam cum sint aliqua corpora frigida, aliqua calida, aliqua humida, aliqua sicca, ideo natura quoq; uoluit ea mutari ad calidum, frigidum, humidum, siccum secundum mutationes quatuor ipsius temporum anni. fuit ergo melius ut natura diuiserit annum per istas mutationes anni hac de causa, alioquin ordo uniuersi non seruaretur. sed quid dicemus postea ad Hipp. *qui in illo 3. apho. tex. primo. dicebat mutationes temporum pariunt ægritudines: potissimum dico quòd potest responderi secundum quòd exponit* Gal. *illum aph. in comm. nam dicit quòd intelligendum est dictum ipsius* Hipp. *quando fiunt mutationes excedentes & ualde insignes, nõ autem de mutationibus ipsius anni, & si (ut ingenue loquar) illa Gal. expositio nunquàm mihi placuerit, ratio est, quoniam* Hipp. *subiungit postea;* Et *magnæ mutationes temporum, propterea relinquentes illius expositionem incidenter quid intelligamus dicemus;*

exponamus

exponamus ergo secundum ueritatem illum aph. & ut mihi uidetur, nam dico ego quòd in prima parte aph. intelligit de mutationibus anni quatuor cum dicit mutationes temporum potißimum pariunt ægritudines: nam exempli gratia tempus calidum ut uer, excitat materiam illam multam quæ est in corpore hominum collecta tempore frigidiori hyemis, propterea cum materia illa excitetur et moueatur parit quoque morbos, unde hac de causa in uere fiunt multæ ægritudines. dicebat autem Hipp. *quòd non est ratione ipsius ueris quòd generentur in illo tot ægritudines, quoniam illud est tempus sanißimum, sed est ratione multitudinis humorum, & quidem malorũ, qui collecti sunt tempore hyemis, unde uidemus quòd si qui sunt uacui malis humoribus, optime degunt tempore ueris, non enim est ipsum tempus quòd faciat ægritudines sed quia tempus excitat humores existentes in corporibus qui latebant neq; mouebantur, ideo cum moueantur, pariunt morbos. dixit enim* Hippo. *pariunt, quoniam non faciunt, sed excitant humores, qui postea faciunt morbos, immo istæ mutationes tẽporum soluunt ægritudines ultra hoc quòd illas non faciant, sicut dicebat quoq;* Gal. *in illius* 8. *aph. tertiæ particulæ citati superius, nam secundum quòd reperiunt ægritudines illas soluunt, hoc enim uidemus sæpißime, nonne uidemus quòd si in hyeme quartana antea generata in autumno non soluitur, soluitur superueniente uere, sicut narrabat quoq;* Gal. *lib. de diebus decretorijs, & si non soluitur uere, soluitur postea*

superueniente æstate. Quare his notatis audiatis modo expositionem incidenter illius aph. primi quæ quadrat longe magis menti ipsius Hipp. *dicit enim mutationes temporum potißimum pariunt morbos, intelligendo de mutationibus ipsius anni, pariunt morbos, modo quo dictum est: Sed dicet quis, hic non legitur quòd soluant ægritudines ista tempora, dico quòd intelligendum est, quoniam hac de causa dicit potißimũ pariunt, quasi dicat ista quidem tempora soluũt ægritudines, quæ generatæ fuerunt in præcedenti tempore, sed pariunt illas potißimũ. subiungit postea* Hipp. *magnæq; mutationes, quasi dicat non solum mutationes ordinatæ anni, sed & magnæ insignesq; pariunt potißimum morbos. ideo uidete quomodo expositio* Gal. *nulla est in hoc aph. Quare ut dictum est melius fuit naturam distinxisse annũ per huiusmodi quatuor mutationes, quoniam etsi unum indiuiduum magis ualeat in uno tempore, quàm in alio, quoniam magis illi conuenit, tamen quoniam natura non fecit tempora ista respectu* Platonis *uel respectu sortis illius, uel illius indiuidui, sed ratione omnium simul, ut ordo uniuersi seruaretur quadam iustitia distributiua cœlesti & diuina, cum corpora formasset diuersa in temperaturis, uoluit quoq; distinguere tempora anni & diuersa facere, ut illi bene degerent in hyeme, illi in æstate, & ut soluerentur ægritudines, quæ quidẽ sunt generatæ in præcedenti tempore, & sic habetis expositionem primi aph. tertiæ particulæ, & quomodo natura melius fecit cum formauerit tempora diuersa,*
non

non autem uno modo solum, & quomodo sunt conuenientia tempora ipsa cum sunt in propria natura, nõ omnia ratione unius indiuidui, sed ratione uniuersi subiungit Auic. (Annus præterea in quo omnia eius tempora secundum unam eueniunt qualitatem, annus est malus, quemadmodũ si totus annus fuerit humidus, siccus, uel calidus, uel frigidus &c.) *hoc est illud quod dicebat quoq;* Hipp. *in illo tertio aph. tex. com. 7. dicebat enim ipse* Hip. *diuinus quòd si annus excesserit in una qualitate ita quòd quatuor tempora excedant in illa, ut uideantur esse unum tempus multæ fiunt ægritudines, ideo malus est. istæ autem ægritudines fiunt secundum qualitatem excedentem, nam si excedat caliditas fiunt calidæ ægritudines, si frigiditas frigidæ, si humiditas humidæ, si siccitas siccæ, hoc enim uult quoque* Auic. *qui accepit ab* Hipp. *dicit ergo* (annus enim qui est sic est multarum ægritudinum suæ qualitati proportionalium, quarum tẽpora erunt postea prolixa) *& exemplificat postea* Auic. *multis exemplis quæ sunt clara ex his quæ sunt dicta à nobis superius, sed antequam exemplificet, prius ponit rationem ad hoc & argumentũ. nã si est solum æstas sicca, fiunt plurimæ ægritudines siccæ. si ergo in uno solo tempore anni fiunt ægritudines multæ proportionales illi, quanto magis fient ægritudines proportionales cum totus annus excesserit in aliqua qualitate illi proportionali? Cum tunc & uis ipsius agentis augeatur, & tempus longius fiat.*

fiat. augmentata enim causa augmentatoq; tempore, in quo efficitur res, quanto magis augmentabitur effectus? hoc est enim Arist. 6. phys. hic est locus super quo argumentatur Auic. sed ipse occultat locū hunc. dico hoc propter dialecticos istos. dicit ergo Auicen. (Vnum nanque tempus multum commouet ægritudinem sibi proportionalem, quanto magis totus annus?) *modo nunc uult exemplificare ut ista clariora efficiantur, & primo exemplificat de tempore frigido humido, postea de calido, de frigido quidem, igitur dicit.* (Tempus enim frigidum cum corpus inuenit phlegmaticum cōmouet epilepsiam &c.) *dicit quòd si fuerit frigidum tempus & humidum ualde, sicut hyems, tunc fiunt ægritudines frigidæ humidæ, maxime si temperaturæ corporum fuerint huiusmodi frigidæ humidæ, nā si sit corpus phlegmaticum in tempore frigido humido patitur morbos humidos, ut epilepsiam & apoplexiam. sunt enim ambæ à materia crassa pituitosa frigida humida impacta in uentriculis cerebri, illos obstruens: sed est differentia, quia cū omnino obstruuntur est apoplexia. si autem non omnino obstruantur est epilepsia, & patiuntur spasmum, præcipue illum qui est ex repletione humorum crassorum frigidorū in neruis, cum illi repleantur istis humoribus frigidis crassis dilatantur, & cum dilatantur diminuuntur in alia dimensione scilicet longitudine, & ita corripiuntur, & fit spasmus. sunt enim duo potissima genera spasmi, alterum ex inanitione ipsorum neruorum, alterum*

terum uero ex eorũ repletione. de illo qui fit ex repletione intelligit Auic. quoniam ille est morbus frigidus, & paralysis, quæ est morbus frigidus cum non potest transire facultas motiua per neruos ad ipsa membra propter obstructionem factã ex humore frigido crasso, aut enim omnino non transit, & sic non mouentur membra, aut obscure transit & sic mouentur obscuro motu. Est enim quidam spasmus. Deinde ponit aliud exemplum & inquit. (Et torturam) *Est enim ægritudo cum scilicet ipsa ora torquentur modo ad hanc modo ad illam partem. dicitur autem ab istis nostris medicis spasmus cinicus. Quare cum annus frigidus est eueniunt ægritudines illi proportionales, sicut sunt illæ quæ iam numeratæ sunt a nobis. sed si annus est calidus, eueniunt in illo anno ægritudines calidæ oppositæ eis quæ sunt dictæ, quæ quidem fiunt a bile, sicut illæ frigidæ humidæ a pituita crassa existente anno frigido. istæ autem ægritudines calidæ ut plurimum sunt acutæ. Quare in anno calido fiunt ægritudines calidæ acutæ, fiunt multi sudores, febres igneæ & intensiuæ quæ à Græci solent dici* καῦσοι, *eò quòd sint ardentes, ob id recte illas Latini nominarunt incensiuas. sunt autem acutæ hæ febres secundum quòd dicebat de illis* Hippoc. *in illo quarto lib. reg. acut. fiunt quinetiam apostemata acuta calidaq́;, quæ ex bile fiunt, sicut erysipelas phlegmonodes, & aliæ biliosæ, calidæq́; ægritudines, & hoc est quòd dicit,* (Et tempus calidum cum inuenit corpus cholericum commouet

mouet

mouet materiam & febres acutas, & apostemata acuta, quanto magis si unus totus annus secundum unius temporis naturam incedit,) *eodem modo arguit Auic. ergo in anno frigidiori, inquit enim quòd* (Cum est unum solú tempus ut æstas calida, fiunt ægritudines calidæ, quanto magis dicendum est si annus totus calidus fuerit?) *locum enim accipit sicut supra quoq;. Volo quòd omnino hodie perficiamus hoc cap. quoniam quòd reliquū est facile est, probat enim siue declarat quòd cum mutationes sunt longiores & citiores, fiunt quoq; magis ægritudines illis proportionales, si calidæ fiunt quoq; calidæ ægritudines sicq; de singulis, cum inquit*, (Amplius cum cito prouenit hyems cito hyemales proueniunt ægritudines, & cum cito prouenit æstas, cito adueniunt ægritudines æstiuæ & mutantur ægritudines quæ erant ante secundum iudicium temporis,) *hoc dictum est superius a nobisq; notatum. Cumq; aliquod tempus prolongatur multæ eius fiunt ægritudines & proprie æstas & autumnus. Postea admonet uos ne fortasse erraretis in his quæ sunt a nobis dicta, nam diximus ipsa tempora facere ægritudines sibi proportionales, propterea dicit, quod cum dicimus, ita non intelligimus illa fieri ratione temporum ipsorum, quoniam hoc sit hyems, illud uerò æstas. sed quoniam sunt qualitates in eo tēpore in aere, quæ alterāt ad similem sibi ægritudinem, & proportionales. non admiremini ergo Domini*

mini si quandoque nos admonemus aliqua facilia & pueriilia, quoniam etiam maximi uiri admonent quādoq; uos illa ne erretis, sicut facit hic Auic. *quis enim tam stupidus est, quin sciat hoc quod modo admonet? nullus profecto etiam imperitus, sed est ratione ipsarum qualitatum existentium eo tempore in aere, nam illæ maxime mutant corpora humana, ita quòd secundum suam uirtutem immutant illa, & ita immutant & si in uno die mutetur aer tum ad frigiditatem, tum ad caliditatem, corpora quoq; alterentur, sicut dicebat* Hippoc. *in illo tertio aphor. & Poeta asseuerabat. ratione ergo qualitatum aeris fiunt ægritudines non ratione temporum in se, hoc est, quod dicit,* (Debes autem scire quòd effectus mutationum temporum non sunt propter causam temporis, vnde est tempus,)*.i.ut in se consideratur, sed propterea quòd cum eo mutata qualitas magnam efficit operationem in mutationibus dispositionum, similiter quoq; si uer in una die mutatur de caliditate in frigiditatem mutabuntur secundum eas corpora, addit,* (Et in temporibus sanius, &c.) *illa sunt clara per se, modo Auic. uult declarare quæ sunt tempora saniora, in quibus communiter omnes bene degunt, illa enim sunt sana tempora, quæ non habent excedentes qualitates in se, neq; uapores mali, dicit ergo quòd cum autumnus est pluuiosus, per quas pluuias remittitur caliditas sua, & siccitas inducta ab æstate præcedente, & subsequatur illum hyems frigida, sed moderate frigida, quoniam*

niam si esset magna mutatio in illa ad frigiditatem mutarentur multum corpora ad ægritudines, propterea dicit, (mediocriter,) *dicit ergo*, (& in temporibus quidem, &c.) *postea subdit*, (Et si uer pluuiosum fuerit & æstas non absque pluuia fuerit, erit istud quod sanius esse potest,) *dicit non quantum ad uer & æstatem, postquam de autumno & hyeme, dixit quòd*, (Ver debet esse pluuiosum, & æstas pluuiosa,) *Cum enim ita se habent ista tempora saniora sunt quã esse possint. hoc est quòd dicit hic Auic. sed hoc uidetur habere maximam difficultatem & uidetur esse contra ueritatem ipsam, nam cum hyems præcesserit ipsum uer, & in hyeme fiant multæ pluuiæ, ideo in ea sit aer humidissimus, deberet sequi uer in quo calor esset aliqualiter soluens & exiccans illam superfluam humiditatem, ut non sit humidus aer nimium, et fiant putredines, modo si subsequens uer non solum non exiccet immo sit pluuiosum maxime humectabit aerem, & ita humiditas excessiua in illo dominabitur, quod si fuerit non erit sanum, unde dicebat ipsemet superius, quòd in uere debet esse calor qui soluat humidum hyemale non autem qui resoluat, modo si est pluuiosum non dominabitur tantus calor, qui possit soluere. Amplius quòd magis est, dicit quòd*, (Oportet ad uer pluuiosum sequi æstatem pluuiosam consequenter humidam, cum aer ita humectatur fiunt putredines & corruptiones, sicque malæ sunt constitutiones aeris hu-

ius-

iusmodi,) *nam cum unum tempus solum humidũ est fiunt illi proportionales ægritudines multæ, quanto magis cum sunt simul tria tempora anni humida, fient ægritudines humidæ? ergo non sunt sana sicut dicit* Auic. *secundo quotiescunq; duo tempora sunt ita humida periculum est de putredine, quoniam ut dictum est supra, putredo fit ab humido dominante ipsi calido, modo quanto magis periculum erit cum sunt tria, erimus enim quasi certi de putredine, ergo non sunt sana.* Præterea Hippoc. primo libr. Epid. *recitando ægritudines quæ contigerunt in tali & tali cõstitutione aeris dicebat quòd in constitutione aeris humida fiebant pestilentiæ. modo ista erit ualde humida, ergo multæ erunt pestilentiæ.* Amplius *in tertio aph.* Hippoc. *tex.* xi. *dicebat quòd si hyems fuerit Aquilonia, & uer pluuiosum fient febres acutæ, lippitudines & aliæ ægritudines, modo hic non solum est pluuiosum uer, sed & æstas sequens illud, quantò magis ergo fient illæ ægritudines maxime his qui sunt temperaturæ humidæ?* Et ipsemet Auic. *superius dicebat quòd cum hyems est aquilonia & humida, & sequatur illam uer contrarium illi, idest septentrionale, tunc illud emendat errorem in hyeme commistum. si ergo uer fuerit humidum & eiusdem temperaturæ, quomodo emendabit illum errorem immo maiorem faciet, quanto magis.* Et *cum subsequetur æstas humida & pluuiosa, quod est contra ipsum etiã* Hipp. *præterea ille idem* Hipp. *in illa tertia particula aph. tex. 7. dicebat si æstas sit similis ueri sudorum*
copiam

copiam in febribus expectare oportet, cum enim uer sit humidum & æstas fuerit humida, tunc fient sudores in febribus, modo si hoc est quòd dicit Auic. *quòd æstas sit similis ueri, uer uerò ipsi hyemi, quoniã omnia ista tempora sunt humida, quid dicemus de sudoribus? nonne fient maiores in febribus ultra ergo hoc quòd non erunt sana erunt pessima, quid ergo dicebat Auic. hic? somniabat ne? audiuistis dubitationes has contra ipsum, dico quòd non somniabat, immo sciebat ipse quid diceret, nam si recte meministis, exposuimus quoq;* Auicen. *supra quòd uer pluuiosum debet esse non excessiua pluuia sed tantum humiditate irrigante; hoc stante dicit modo quòd cum uer est pluuiosum. i. in uere sunt pluuiæ aliquæ, quæ tantum irrigẽt & humectent parum aerem, non autem quòd scateat pluuijs, sicut est istud nostrum uer quòd undiq; pluuijs scatet, nam tunc pericula sunt quæ dicta sunt, sed cum est hoc modo pluuiosum uer & æstas sequatur humida et pluuiosa moderate neq; tota sed in principio parum, quoniã si tota pluuiosa esset tolleretur seges. optime ergo dixit Auic.* (æstatem debere esse pluuiosam moderate) *quòd sit uerum audiatis illius uerba. dicit enim.* (Et æstas non sit sine pluuia, ita quòd non debet esse sicca, sed neque pluuiosa) *propterea optime decantabat ille Poeta,* Humida *solstitia atq; hyemes optate serenas* Agricolæ. *ecce quomodo ipse optime dixit solstitia debere esse humida, non tota æstas ut relinquatur tempus non æstus remittẽdo calorem illum intensum,*

tempore enim illo medio oportet remittere æstum ne exurantur plantæ & segetes. maximum enim periculum est de huiusmodi exiccatione. propterea poeta optime exprimit hanc rem ut melius exprimere non potuerit, cum dixit solstitia, sicut aliàs quoq; omnia optime expreßit. cum igitur uer moderate humidum est & æstas non sine pluuia circa solstitium, optimum sanumq; tempus est. propterea contrariæ apparentes authoritates et rationes nil ad propositum, quoniam arguunt de exceßibus qualitatis humidæ. nos autem de temperatis.

LECTIO LXIX.

Caput quintum doctrinæ secundæ, Fen secundæ primi.

DE aere bono &c.) *hactenus uidimus de natura ipsius aeris & illius mutationibus naturalibus, dicebamus enim in principio huius tractatus mutationes ipsius aeris alias esse secundum naturam, alias uero præter naturam. de illis quæ sunt secundum naturam primo locuti sumus quæ sunt mutationes temporales, tempora enim sunt naturales mutationes et ordinatæ ipsius aeris, unde diximus illam esse bonam mutationem & secundum naturam, quotiescunq; aer remanet in propria substantia, neq; mutatur in illa, sed tantum mutatur secundum qualitates, & quidem nõ excedentes, sed moderatas, illaq; tempora diximus*

esse sana & conuenientia quæ à sua natura non egrediuntur. Cum ergo Auic. locutus sit de ipsis mutationibus aeris naturalibus essetq; locuturus de alijs quoque mutationibus ipsius, nunc merito proponit agere de mutationibus illius præter naturam existentibus. et quoniam cum mutatur præter naturam non solũ mutatur secundum qualitates excedentes, sed etiam secundum substantiam ipsam, propterea tantũ & prius uult agere de mutationibus illius præter naturam in propria substantia, postea de illis quæ fiunt in qualitatibus excedentibus, & non solum de mutationibus præter naturam ipsius substantiæ aeris sed etiam secundum naturam, merito ergo & optime inscripsit hoc cap. Auic. (de aere bono) *in cuius comparatione aget quoq; de malo non secundum qualitates, sed in propria substantia malæ. debemus enim hoc supponere, & pro firmo tenere, quòd Auic. in toto hoc cap. non agit de aere mutato secundum calidum, frigidum, humidum, & siccum, sed mutato in propria substantia illius, quoniam de bonitate ipsius aeris egimus satis supra, nunc modo agendum est de bonitate illius in propria substantia. Sed antequàm ueniamus ad expositionem tex. uolo quòd supponatis prius unũ maximum fundamentum, quod non solum apud omnes philosophos naturales conceditur, sed etiam apud mathematicos & medicos, quod quidem tale est: aerem diuidi in quatuor partes, prima illius pars est quæ suprema & apud ipsum ignem existens purißima subtilißima calidißimaq;, calidißima quidem, quoniam*

niam propinqua est ipsi igni calefacienti & attenuanti, propterq́; motum ipsum corporum superiorum diuinorum, subtilis enim fit, propterea ista pars purificatur. optime ergo diximus quòd calidißima est tenuißima & purißima. secunda pars aeris est huic de diametro opposita quæ scilicet includitur in terræ cauernis crassa & ualde impura mista et frigida, quæ quidem propterea potius dicendus est uapor quàm aer. mistus enim est modo quo uapor ille qui a terra exhalat. Præter istas duas partes est tertia quoque quæ quidem supra terram est innatans quæq́; secundum ipsum posidonium mensuratur 40 stadijs, scitis autem uos quòd stadium est octo milium passuum, de qua maxime nos qui sumus medici loquimur, quoniã in hac parte habitamus, hac nutrimur, hacq́; componimur, hanc inspiramus, quæ quidem non est ita sincera sicut illa quæ proxima ipsi igni existit, neq; ita impura & mista sicut illa pars, quæ est in cauernis terræ inclusa, sed neq; ita tenuis sicut illa, neq; ita crassa sicut ista, quæ propter suam crassitiem dicitur potius uapor, quàm aer, sed est media, quæ quidem cum sit longinqua ab influxibus cœlestibus & radijs solaribus calefit quidem, sed non ita ut prima pars, infrigidatur autem propter illam partem aeris, quam uaporem rectius nominauimus quàm aerem: propinqua enim est illi. habemus tres partes ipsius aeris, reliquum est ut addamus modo quartam partem & ultimam: quæ secunda est descendendo supra illam secundam & propinqua primæ quæ apud ignem est, pro-

pterea cum multum à terra distet, radij non possunt ita ad illam reflecti, propterea fit infirma in caliditate, propterea in primo loquentes quidam philosophi modernorum dixerunt hanc partem non solum esse frigidam, sed etiam esse frigidißimam in excessu: dicunt enim quòd parum potest calefieri cum in eam reflecti radij non poßint, oporteret enim illũ esse quodam corpus solidum & densum, nullo enim alio modo possunt reflecti radij solares, propterea illi reflectuntur in terra quæ densa est & corpulenta, sed cum sit admodum ab illa longinqua cum sit supra terram 40 stadijs, ideo radij reflexi ad eã deuenire non possunt, ideo frigida relinquitur. sed quantum deuiarint à ueritate isti moderni, manifestum est, quantum etiam falsum sit illud fundamentum. Nam aer *apud etiam omnes philosophos in propria substantia calidus est & humidus, nisi ab extrinseco aliquo quod illi misceatur non infrigidetur, modo ad illam partem trahi non possunt uapores tanti, qui cum illi sint misti, infrigident eam. Cum ergo in propria substãtia semper sit calidus humidus aer, has enim qualitates illi adiunxerunt philosophi, quoniam ergo frigidißimus est, nam caliditas & humiditas ita sunt intrinsecæ aeri, ut illis ablatis auferatur ipse aer, nã sunt in illius substãtia, immo sunt formæ propriæ ipsius aeris secũdum aliquos philosophos, qui dicunt qualitates primas esse formas quatuor elementorum, uel sunt saltem immediate cõsequentes formam elementorum alios philosophos. Quare cum in propria natura sit calidus, relinquitur*

tur illam partem calidam esse, alioquin aer non esset. Præterea quomodo dicunt isti illam partem aeris nõ solum esse frigidam, immo frigidissimam, cum tamen si hoc esset sequeretur unum maxime absurdum. seque retur enim cum per ipsos quoq; frigidi sit condensare & incrassare, quòd illa pars aeris condensaretur et incrassaretur, si parte est frigidissima, sed omne quòd densatum est iam descendit, quoniam ad densitatem sequitur grauitas, ergo illa pars descenderet sub forma ipsius pluuiæ, quoniam cum aer condensatur & infrigidatur, tendit ad naturam aquæ. ecce quomodo deducti sunt ad istud falsum & maximum inconueniens, si enim descenderet, quomodo esset postea secũda pars? Quare relinquitur contra istos modernos quòd illa pars aeris non sit frigidissima, & certe ego nescio ubi acceperit hoc ille Albertus, nescio ubi imaginatus sit ista phantastica, cum hanc suam opinionẽ neq; per authoritates magnorum philosophorum possit probare, neq; per aliquas rationes, sed neq; per signa non debemus ita imaginari phantastica; bene dicam & ego quòd ista pars aeris frigida est, sed non absolute sed comparatiue & relatiue ad partem illã quæ proxima est igni, quæ omnibus partibus aeris frigidior est, sed cum illius comparatione sit frigidior dico postea quòd comparatione etiam istius partis tertiæ nobis proximæ & natiuæ est calidus, quoniã semper calidus est in propria natura aer, alioquin non esset aer, propterea calidior ista parte nostra sed nõ semper, sed quandoq; calidior quandoque uero frigi-

dior, calidior quidem puta cum est hyems, nam iste per frigiditatẽ infrigidatur, ille uero per quandã anteperistasin ut dicit Arist. fit calidior, sed cum per magnam caliditatem ipsius solis aer iste noster æstuat et calefit, tunc calidior est illo qui supra ipsum est, ut contingit in tempore æstatis. per calorem enim magnum solis expellitur ab illo frigiditas, in eumq; inducitur caliditas, ita quòd fit calidior omnino. cum ergo æstate ille aer qui supra hunc est sit frigidior, propterea uidemus quòd in illo generatur grando. cum uero iste noster frigidior illo est ut tempore hyemis in illo fit ipsa nix, secundum quòd dicunt philosophi, in æstate uero cum sit calidior in illaq; parte superiori frigidiori generetur grando, in ista generatur ros & pluuia, propterea uidetis quomodo isti decepti sunt & hallucinati dicentes partem illam aeris frigidißimam esse. ò bene concedam ego quod modo dictũ est à nobis comparatiue esse frigidam illam partẽ aeris, sed facta ista diuisione aeris in quatuor partes, quæ omnino erat à nobis præscienda alioquin nihil intelligeretis de aere dicta & dicenda. dico modo quòd futuro bono medico non solum necesse est considerare istam partem nostram aeris, ex qua componimur, & quotidie nutrimur, quæ tamen illi magis necessaria est, sed etiam alias partes, quoniam faciunt illæ quoq; ad cognitionem huius nostræ partis, quæ principaliter est consideranda, quomodo enim sciemus aerem hunc alterari modo ad frigidum modo ad calidũ nisi prius cognouerimus per quæ alteratur? nam potest

test alterari ad frigidum tum per ipsos uapores ascendentes, tum propter grandinem illam quæ descendit; ad calidum autem alteratur quoniam propinqua est parti superiori aeris calidiori, oportet ergo bonum medicum considerare istas partes, ut sciat quomodo alteretur ista pars, quam inspiramus quæq; necessaria est nostræ uitæ. hoc est quod primo erat notandum a uobis Domini maxime faciens ad intelligentiam eorum quæ dicentur, sed secundum quod notãdum est à uobis erit hoc quòd aerem bonum contingit esse dupliciter, alio modo enim dicitur aer bonus, ut cõsideratur in propria natura, alio modo ut cõsideratur relatiue. Cum ergo his duobus modis dicatur aer bonus, dico modo quòd ille est bonus aer, cum in propria natura consideratur. qui quidẽ est in propria & debita natura nõ mutatus ad alienã naturam. bonus ergo aer erit cũ in propria natura cõsistet, consistet autem in propria natura cum ab extrinseco nõ fuerit mutatus ad alienam naturam. Quãdo uero consideramus aerem modo secundo, non in propria natura, sed relatiue, tunc dico quòd aer ille proximus aeri & sequens illum non est bonus, relatiue dico ad nostra corpora, quando ex illo nutriri non possumus, neq; illum possumus inspirare, nam si ipsum inspiraremus moreremur & suffocaremur, cuius signum est quòd cum ista nostra pars calefit nimis suffocantur animalia. non enim possunt euentari spiritus. modo inspiratio aeris data est ut illi euententur ex eoq; aere nutriantur. non enim possumus illo nutriri qui pro-

ximus est aeri, quoniam nobis non est conueniens, neque ex illo sumus compositi, ex illis autem non possumus nutriri, ex quibus non sumus. nam dicebat quoque Arist. ex his nutrimur ex quibus constamus. modo faciamus sic, ex illo aere supremo nō constamus, sed ex hoc nostro, quem quotidie incolimus. ergo ex illo non nutrimur, sed ex isto nostro, quia iste noster aer bonus est comparatiue ad nostra corpora, quoniam illum inspiramus, ex illo nutrimur, ex illoq; constamus, qui impurus & mistus est neq; ita calidus sicut ille supremus, modo non alteretur ad malas qualitates, & ad naturam substantiāq; malam. Quomodo enim bonus esse ille potest, cum si illum inspiraremus, suffocaremur, quoniam non solum non euentat spiritus sed illos magis calefacit. Vnde dicunt isti moderni, quòd ex hoc est quòd cum aliquis cadit ex sublimi loco in terram, antequam sit in terra mortuus est; nō enim est propter concussionem & contusionem, quoniam nondum concutitur, sed est propterea quia illa pars sublimis acris subtilis est & calida, ideo cum cadenda illam attrahant, neq; spiritus possint euentari suffocantur. Quia si esset aliquis mons (dicunt isti) altissimus qui attingerent partem illam aeris ita calidā, superq; illius cacumen homo ascenderet suffocaretur attrahendo aerem ita calidum, sed non inuenitur mōs ita altus, neq; enim est mons qui pertranseat medium miliare uel circa, dico per lineam rectam, non per obliquam, quoniam sunt aliqui qui sunt 30 miliariū, sed nunc dico per lineam rectam; quare dicemus concludendo

cludendo quòd aer iste noster qui est tertius descendē do optimus est quoad nostra corpora, modo non alte retur ad malum. alteratur autem ad malum per mul tas causas. dico quòd alteratur nunc ad malū in sub= stantia, non quoad qualitates, quoniam de illis muta tionibus satis dictum est in superioribus. alteratur er go ista pars multis causis ad illam accedentibus, primo quidem propter uapores malos qui cum illa permi= scentur & immutant illius substantiam. amplius pro= pter influxus cœlestes. isti enim maxime immutant substantiam huius aeris, & alteratur immutaturq; propter radios ipsos reflexos, & per alias causas de quibus loquemur in hoc cap. ista sunt de quibus lo= quemur, quoniam intendimus agere de mutatione il= lius aeris secundum substantiam. (Aer bonæ sub stantiæ, &c.) *Dico quòd Auic. hic supponit & in toto cap. quòd aer in propria substātia alteratur per duas causas tantum: primo per uapores qui illi commi scentur, propterea ille optimus est aer, cui non sunt permisti uapores mali, ille autem qui est discoopper tus cœlo neq; sint aliqua ex quibus poßint eleuari ma li uapores, bonus est maxime clarus existens & hu= midus, ultra hoc enim quòd non habeat uapores euē= tatur, ideo non est tantum periculum quòd corrum= patur, sed aer ille qui inclusus est inter parietes do= mus, cum in domo sint multæ spurcitiæ, ex illis ele= uantur uapores mali qui permisti cum ipso aere immu tant illum ultra illud quòd addit Auic. ipse enim dicit quòd est malus ille, qui est constrictus intra parietes,*

quoniam

quoniam non euentatur. Nos *autem addimus aliam causam, propter scilicet uapores multos existentes in domo. hæ ergo sunt duæ causæ cur alteretur aer in propria substantia, & uapores misti & prohibita transpiratio, atq; euentatio, sed est quoque alia tertia causa fortior ualde ultra istas, quas dixit* Auic. *sunt autem ipsi influxus cœlestes, qui maxime faciunt ad immutationem ipsius aeris, maxime enim immutāt illum ad putredinem.* Vnde *quòd hoc sit uerum manifestum est, quoniam Astronomi dicunt quòd in coniunctione ipsius* Iouis *&* Martis *accidit putredo & corruptio ipsius aeris, consequenter pestilentiæ, nam calidum extrahit humidum, & imputrescit illius substantia, ratio est quoniam* Iuppiter *est calidus humidus secundum ipsos Astronomos,* Mars *uero calidus & siccus, propterea cum calor maximus ipsius* Martis *exurat humidum* Iouis *& illud extrahat, facit putredinem, sicq; accidit putredo in aere, nam ita bene fit putredo a cálido debili humidum coinquinate, sicut calidum forte humidum extrahente, propterea dico quòd medicus debet maxime cōsiderare has tres causas, propter quas aer immutatur in propria substantia, tum propter uapores, tum propter euentationem prohibitam, & non solum has duas, sed etiā aliam tertiam quæ maximi facienda est, certe ideo oportet uos habere Astrologiam, ut cognoscatis istos influxus cœlestes, coniunctionesq; aspectuum, neq; spernendæ sunt istæ scientiæ a uobis, quoniam erat quoque præceptum illius diuini* Hipp. *in suo lib. de ae*
re

re & aqua, ubi dicebat Hippo. *quòd astronomia maxime facit ad medicinam, neq; enim potest esse bonus medicus, nisi sit quoq; Astronomus. Quia cum tot de causis posit alterari substantia ipsius aeris, debet illas omnes cognoscere, ut dixi, medicus, ut cognoscat mutationem aeris fieri propter hanc, uel propter illam causam. Quantum autem necessarium sit medicum cognoscere mutationes aeris, manifestum est, quoniam cum mutatur aer in substantia, non huic uel illi tali, uel tali nocet, sed omnibus insimul animalibus, inficit enim omnia etiam animata, sicut dicebat ille idem diuinus* Hippoc. *& nos superius diximus de mente quoq; ipsius* Gal. *Quare cũ mutetur in substãtia noceat omnibus, dicemus quòd erit malus aer in substantia propria, modo huic uel illis omnibus, eodẽ quoq; ergo modo hic intelligimus, quando dicimus aerem esse bonum non secundum qualitates, sed cum est in substantia bonus, neq; solum bonus est huic uel illi indiuiduo,* Petro *uel* Philippo, *sed ut omnibus indiuiduis bonus est. debetis hoc pro certo supponere* ꝙ *acturi sumus de illius bonitate et alteratione ad malũ, cum talis est in substantia, quoniam de mutationibus secundum qualitates dictum est, non oportet amplius repetere neq; considerabimus, quatenus huic uel illi conuenit, sed ut omnibus, neq; ut uni climati et regioni conuenit uel alij, sed ut omnibus climatibus, non ut conuenit* Gallo *uel* Hispano, *nam cum aer mutatur ad qualitates bene magis confert uni quàm alij. alij autem nocet. scitis enim quòd si* Germanus *feratur in* In*diam*

diam morietur, quoniam ille aer calidus ei non conuenit, Amplius etiã si feratur Indus *in* Germaniam, *quoniam ille aer frigidus ei non conuenit moritur, propterea secundum diuersas temperaturas aer quoq; diuerse conuenit & disconuenit secundum uarias eius qualitates, sed quoniam nos non sumus locuturi de huiusmodi mutatione, sed de illius mutatione secundum omnem substantiam, cum autem mutatur secundum substantiam omnibus nocet, non huic magis quàm illi. propterea diximus supponendum a uobis esse nos tractaturos de mutatione aeris, eiusq; bonitate in propria natura & substantia, sicut erat in illa maxima pestilentia toties dicta & manifesta uobis, ut credo, quæ describitur à* Gal. Hip. *& illo florẽtißimo poeta* Thucidide. *in illis enim annis corruptus fuit ita aer in propria substantia, ut in illa constitutione aeris omnia animalia morerentur, quæ erant non in uno climate, sed erat tanta pestilentia illa, ut morerentur omnia, tum in* 2. 3. 4. *quintoq; climate, sed cũ* Hippoc. *diuinus reperiretur in* Theßalia *apud* Regem *illius prouinciæ, uolens ipse propter suam maximam prudentiam saluare* Regis *regionem curauit incidendas omnes syluas quæ erant in* Thessalia, *illasq; comburendas, ita quòd mutatus fuit aer ad propriam substantiam saluataq; est regio illa, cum tamen in alijs climatibus nulli datum esset uiuere, tanta erat putrefactio aeris. Cum non uelitis me amplius legere, audiatis unum uerbum solum.* Iam *sunt declarata illa quæ erant declaranda in hoc cap. nihil enim habebitis*

tis quòd modo non sit clarum in illo, legemus modo cras literam Auic. illamq; exponemus, & ut poßitis uos præparare uolo admonere uos, quoniam in hoc saltem uolo sequi Gentilem & alios. Volo enim prætermittere hanc partem tex. in qua tractat de mutationibus aeris adhuc, nam est longißimus tractatus et facilis, ita quòd non indiget expositione, sed illũ per uos poteritis percurrere. transibimus ad alia maioris momenti, & incipiemus illud cap. quod dicit de motu & quiete, ne immoremur in facilibus, & difficilia relinquamus: neq; enim ista exposuit ille Gentilis, & quod fecit Gentilis alij quoq; fecerunt, propterea nolo ut in his conteramus tempus.

Lectio lx.

Circa *considerationem de aere bono ut consideratur in propria substantia uidimus omnia, quæ erant declaranda circa intelligentiam huius boni aeris mutatione ut modo ueniremus ad expositionẽ tex. Auic. ita quòd lectio præmissa fuit tanquam quoddã argumentum, & commentarium huius literæ. Videamus ergo nunc quid dicat Auice.* (Aer bonæ substantiæ est aer cui non admiscetur ex uaporibus, nec ex fumis res extranea, &c.) *Dicebamus in superiori lect. quemadmodum erant tres causæ quæ mutarent bonitatem ipsius aeris in substantia. primo erant ipsi uapores ascendentes a terra illiq; commisti. secunda causa erat ipsa euentatio,*

tio, quia quanto magis aer euentatur, tanto magis stat in propria substantia, & hæ sunt duæ causæ de quibus meminit Auic. in hoc cap. secundum autem magis & minus de uaporibus illi commiscetur magis & minus corrumpitur. tertia causa fortißima ad causandam putredinem erant ipsi influxus celestes, de qua quidem causa Auic. mentionem non fecit. nos autem illam duabus primis addidimus, & non immerito, quoniam potentißima causa est ad illud peragendum, exponamus modo tex. (Aer bonæ substantiæ,) Ecce quomodo loquitur de bonitate aeris, eiusq; mutatione in propria substantia, (est aer cui non admiscetur ex uaporibus nec ex fumis res extranea,) notate illud, (res extranea,) nam aer semper est cum aliquibus uaporibus, tuncq; est purus ab illis, propterea etiam si uapores aliqui illi immisceantur, non propterea statim sequatur quòd sit malus, quoniam non adhuc corrumpitur, propterea dicit quòd est bonus dummodo tamen de uaporibus illi commisceantur ut corrumpatur illius substantia. Ecce (res extranea.) idest magis quàm oporteat. Cum ergo commisceantur ipsi aeri multi uapores & fumi tunc aer corrumpitur in propria substantia. dicuntur autem istæ exhalationes secundum quòd dicebat Arist. in primo illo lib. metheor. quæ quidem sicut dicebat ibidem Aristot. duplex est. alia enim calidæ, siccæq; complexionis, alia uero calidæ humidæ, fumus ergo apud Auic. est exhalatio calida, sicca apud Arist. quæ cum sit igneæ complexionis,

nis, propterea dicitur ab Auic. fumus; uapor autem apud Auic. est exhalatio calida & humida. ex euaporatione autem & exhalatione calida & sicca cum sit naturæ igneæ generãtur in sublimi ignes, cometæ, fulgura, & talia ignea, ex illa autem calida humida fiunt ipsæ pluuiæ, grandines, & alia, quæ generantur in sublimi multa. exhalatio autem ex qua fiũt ipsi uenti, non est omnino calida sicca, sed neq; calida humida, sed est quædam media exhalatio, neq; enim propterea contradico Arist. immo cum illo eodẽ sum & uideatur dicere quòd illa exhalatio calida & sicca sit materia uentorum. bene uerißimum est quòd est illi propinqua & tendit ad calidum siccum, non tamen omnino est illa calida & sicca exhalatio, ex qua generantur cometæ. est ergo quædam media exhalatio inter illam & istam, cuius signum est quòd ex illa calida sicca generantur ignes, ideo uenti essent ignes, uapores ergo.i.exhalatio calida humida mutat aerem in propria substantia, reddunt enim illum crassum obscurum, & corrumpunt ipsum, & fumi, idest exhalatio calida sicca corrumpunt ipsum aerem, cum ex illa fiant res igneæ, quæ postea corrumpunt ipsum. Cuius signum illud est quod fiunt multæ & pessimæ ægritudines cum multa fiunt fulgura in aere, cometæ, & talia, quæ ex huiusmodi exhalatione generantur. maxime enim calefit aer, & ita maxime calefactum putrescit, propterea quià ita bene corrumpit & putrefacit calor igneus & intensißimus, sicut calor remissus, non tamen eadem ratione, sed

calor quidem igneus est causa putredinis, quoniã extrahit quàmprimum ipsum humidum, & ita mistum derelictum ab illo putrescit, calor uero remissus est causa putredinis in omnibus corporalibus, quoniam uincitur ab humido. cum enim illum non poßit regere, succumbit & ita mistum putrescit, sicut cum sunt multæ euaporationes calidæ & humidæ permistæ ipsi aeri. secundo bonus aer est ille qui est discoopertus cœlo, quoniam mouetur semperq; in motu consistit. Amplius & per hoc possumus intelligere nostrã tertiam causam, quoniam ille aer qui est discoopertus cœlo melius suscipit ipsos influxus cælestes. hoc enim possumus intelligere per hoc etiam, quia cum cœlo est discoopertus uidetur paratus ad recipiendum influxus illius, & etiam quoniam mouetur & euentatur magis. per motum autem illum prohibetur corruptio & putredo illius, semper enim mouetur uer motu ipsorum corporum cœlestium, idest motu orbiculari secundum Arist. in primo lib. metheor. motus ergo illius prohibet corruptionem suam. Amplius cum semper sit in motu non potest ita facile recipere impreßiones malas per quas poßit corrumpi. motus .n. expellit ipsam impreßionem, cum non dimittat illam imprimi in ipsum passum. hinc potestis accipere causam, cur aquæ illæ quæ sunt in continuo fluxu et motu nunquam putrescunt. fluminũ enim aquæ nũquam putrescunt, bene illæ quæ sunt permanentes & quiescentes in palustribus locis. subdialis ergo aer his rationibus bonus est, quoniam non ita facile putrescit,

euentatur

euentatur enim etiam per ipsos uentos: modo euentatio prohibet putredinem; scitis enim quòd prohibita euentatio causat illam, sic quoq; per oppositum euentatio prohibet putredinem. aer autem ille qui est constrictus intra parietes ipsius domus non est ita bonus, non est, quoniam non habet illas causas quæ faciunt illum esse bonum, neq; enim habet motum, sicut ille qui est cœlo discoopertus, neq; enim potest moueri motu uniuersi, idest circulari, quoniam cum intra illos parietes conclusus est, uidetur quodammodo ut ita loquar incarceratus, propterea non est mirum si nõ potest moueri: hinc est quòd facilius potest putrescere quàm subdialis, quoniam ut dixi prohibita transpiratio causat putredinem. sed est quoq; alia ratio longe etiam fortior: quoniam uidemus quòd quanto maior est quãtitas unius rei, tanto magis resistit agenti in illam: quanto minor fuerit quãtitas illius, tunto minus resistent agenti in ipsam. sic ergo quanto maior est quãtitas ipsius aeris, tanto magis aer resistit calori putredinali, & suæ corruptioni; quanto minor est illius quantitas, tanto minor quoq; erit illius resistentia, maiorem enim habet resistentiam maius quantũ ad ipsum agens, quàm minus passum, dico ad idem agens, & agens eiusdem uirtutis secundum quòd probabat Arist. in sexto phys. hinc ergo est quòd facilius putrescit aer inclusus intra parietes domus, quoniam est minoris quãtitatis quàm aer subdialis. habet enim minorem resistentiam ad ipsum calorem putredinalem. Est quoque alia tertia ratio, quoniam ille aer

qui est conclusus intra parietes non potest recipere influxus cælestes, neq; radios solares possunt illum omnino attingere, ideo cum illis priuetur non est ita bonus in propria substantia sicut aer subdialis, facilius enim hanc ob causam putrescit. Quare iam audistis qui est aer bonus, & qui non est ita bonus. Vos *ergo qui exercitaturi estis praxin, & futuri estis medici, non tantum circa aerem debetis obseruare illa, quæ præcipit* Hippo. *qui præcipiebat medico, ut cum aliquem haberet curandum cognosceret prius latitudinem ipsius climatis, sed etiam regionis, sed oportet etiam quòd obseruetis alia, num scilicet aer in ipsa domo quam æger incolit sit bonus uel non bonus: si est bonus conseruandus est a uobis. si autem non bonus, oportet quòd sitis diligentißimi ut illum bonum reddatis. nam quandoq; sunt aliqui qui etiam si non ægrotent alia de causa, tamen propter aerem domus in qua incolunt ægrotant; hac de causa oportet uos esse diligentißimos. sunt enim aliqui ita craßi, ut nullo penitus modo considerent ipsum aerem uel sit bonus, uel non bonus. uidimus enim sæpius & scimus quòd aliqui ægrotantes quàm primum mutarint aerem cubiculi, statim sanati sunt, tanti momenti est aer. cuius rei signum est quòd etiam* Gal. *maximi facit illum, nam semper ponit illum inter principalia a medico consideranda in curatione ipsorum ægrorũ, nam ipse in nono* Therap. *dicebat tria esse principaliter consideranda in qualibet bona curatione. primo n. debet considerare ipsam ægritudinem, secundo tẽ-*

peraturam ipsius ægri, tertio ipsum aerem. tanti .n. facit ipsum aerem Gal. cum ergo æstis in curatione alicuius hominis statim considerate aerem non solum climatis & regionis, sed & ciuitatis, uici, & ipsius domus. Circa praxin enim optime uos geretis si ista feceritis. nam quid facit ad ipsum ægrum aer climatis & regionis bonus, ut postea aer in quo moratur non sit bonus? Aduertatis ergo quamprimum ad illũ aerem in quo moratur, sicut potestis meminisse me semper aduertere, si enim est malus, oportet quòd immutetis domum si potestis, si autem non potestis, saltem mutabitis ipsum aerem illius domus siue cubiculi, ego enim sæpius hoc facio sicut uidistis me. euento autem aerem cum hoc quòd æger non nocetur etiam si esset tempore hyemis, nam curo ipsa tentoria circa ægrum trahi, quæ nostri uocant pauigliones, sicq; concludi diligentißime & postea aperiantur fenestræ, ut aer poßit euentari, cum suffumigijsq; optimis illum mutamus ad bonitatem in substantia, sicq; prohibemus aeris malitiam ne etiam corrumpatur et putrescat. neq; nocemus ægro. maxime ergo aduertatis ad istum aerem si bene circa curationes uultis uos agere. Cum non in aere accesserit putrefactio communis discoopertus magis erit recipiendus quàm constrictus intra parietes. Excipit ex data regula unum casum, nam semper bonus est discoopertus cœlo, nisi accidit casus iste ut fiat in omnibus putrefactio communis, tunc enim melior est constrictus quã discoopertus: in alijs uero omnibus casibus semper

melior est ille subdialis, idest est minus malus, minus enim suscipit putrefactionem in sua substantia ille qui est intra parietes constrictus, quoniam non ita est aptus ad suscipiendos uapores malos, maxime cũ putrefactio accidit in pestilentijs ratione magnæ & superfluæ humiditatis. Vnde uidimus nos in nostra ciuitate Veronæ anno millesimo quingentesimo à natiuitate Domini 12. cum erat illa magna pestilentia, ut omnes ciues & homines morerentur, erat enim postea uacua illa ciuitas tanta strage facta a putredine ipsius aeris a superflua humiditate, multi quasi a natura instructi claudebant suas fenestras, & in cubiculis clausis morabantur cum acetoq; aspergebant illa, & ita exiccabant illum aerem. docti enim uidebantur ab ipsa natura, omnes femellæ etiam hoc faciebant. melior enim erat tunc ille aer domicilij, quàm discoopertus cœlo, quoniam non poterat tantam humiditatem suscipere, consequenter neq; ita putrescere, postea etiam aceto magis illum exiccabant. uidete ergo quantum iuuet medicina, ut manifestum fiat optime fuisse dictum ab Hippo. medicinam esse donũ Dei, quod quidem semper miratus sum, quoniam ista ars est donum certe ipsius optimi Dei; est enim nobilior omnibus artibus, & omnibus rebus, maxime homini conuenientißima illiq; utilißima, cuius manifestum signum illud est, quòd non est aliquis ita rudis neq; etiam fæmella aliqua quæ nesciat aliquid de ipsa medicina, sicut dicebat ille diuinus Hippo. in suo lib. de medicina, propterea melior est aer qui est constri

ctus

ctus intra parietes, & minus malus quàm subdialis, quoniam non ita putrefieri potest. in alijs uero casibus melior est subdialis. Sed cum iam Auic. ostenderit bonitatem aeris, idest quando aer est bonus per causas duas, & nos per tres, nunc modo uult ostendere illius bonitatem per signa, & illius malitiam, et dicit quòd ille malus est aer, qui est tenebrosus, crassus & obscurus, nebulosusq́;. accipiatis uos aerem clarum limpidum & lucidum, dicatisq́; illum esse bonum. hoc est ergo constantissimum signum ad cognoscendam bonitatem aeris eiusq́; malitiam, si perspiciamus an sit perpetuo clarus uel obscurus, nam ille obscurus & crassus est malus, cum etiam habeat causas illas tres uel aliquas illarum quas diximus. cũ ergo ostendimus iam per demonstrationẽ propter quid aerem bonum et malum qui dependeat ab illis causis uel non dependeat, postea facimus demonstrationem quia, siue signi, cum ostendamus illum esse bonum uel malum, qui habet talem & talem affectionem, oportet ergo uidere an sit tenebrosus, uel lucidus & clarus, ille autem non est tenebrosus aer, sed clarus, in quo non sunt uapores crassi qui ad illum proueniant ascendentes ex stagnis paludibus. hic sciatis quòd sumimus quoque bonitatem & malitiam ipsius aeris a solo & terra, in qua est, nam cum solum est tenue & sterile uapores ab illo eleuati sunt tenues, non autem crassi. propterea cum aeri commiscentur non incrassant illum. Vnde uidemus quòd cum solum ipsius Veronæ sit sterile saxosum & tenue, aer ille bonus

est, quoniam uapores crassi non eleuari possunt cum illoq; commisceri. Sed cum peruenitis ad solum Pata*uinum, quod pingue est & crassum, ipsum uidebitis aerem esse crassum,& non ita clarum,& propterea uapores crassi perpetuo in illum ascendunt, & fit crassus, tenebrosus,& obscurus magis quàm ille* Ve*ronensis noster.* Hinc *est quod ille aer* Bononiensis *pessimus est, sic obscurus est semper & crassus tenebrosus propter multos & crassos uapores ascendentes in illum ex ipso solo, quod quidem pinguissimum est & fructuosum, nam est quidem frigidus propter multos uentos ibi dominantes, semper flantes; est postea humidus ualde propter uapores humidos crassos ex terra eleuatos, est quidem igitur* Bononia *ditissima, sed pessima quoad sanitatem. Vnde si aer ille* Ve*ronensis esset* Bononiæ *illa esset melior in sanitate, quàm est. si autem solum* Bononiense *esset* Veronæ *tunc illa esset longe ditior, quàm est. dicit ergo* Auic. (Et hic quidem bonus aer permanet clarus, nisi cum eo uapores, &c.) *notate* Domini *illud nisi, quoniam facit exceptionem nunc* Auic. *ille enim est bonus aer, qui est clarus & non tenebrosus de se propter agrum & solum nisi sit propinquus aliquibus stagnis uel paludibus, quoniam tunc eius bonitas deletur, non est malus ratione ipsius terræ, sed ratione stagnorum & paludum propinquarum illi, quoniam semper exhalat ex illis malus uapor,& cum illo aere commiscetur, propterea ille aer* Fanensis *esset bonum propter ipsam terrã, tenuis enim est, quoniam*

niã solũ est tenue.sed quoniã in illo agro sunt fontes et una illius pars pertingit mare propterea semper ad illũ perueniũt uapores humidi crassi,qui illius bonitatẽ delẽt.Est quoq; bonus aer si non sint in illo agro nemora et lucus, nã si sunt plurima nemora in aliquo agro illius aer malus redditur,sed ista causa est per accidẽs reddens ipsum aerem malum, cuius signum illud est quòd potest remoueri absq; corruptione ipsius agri, uel aeris, modo illud est per accidens quod potest esse & non esse præter subiecti corruptionem, ubi ergo nascuntur multæ plantæ, malus est aer, sed cur hoc eueniat multæ sunt causæ.est.n.una causa prima quia ex illis eleuantur multi uapores humidi ad aerẽ, qui cũ illo misti reddunt illũ malũ,maxime si sint arbores humidæ uiscosæq;,quoniã maior humiditas ẽ in illis arboribus quàm in alijs. quæ sunt istæ arbores uiscidiores & humidiores? dico quòd sunt illæ quibus nõ decidunt folia, sicut testabatur quoq; Theophrast. *in libr. de plantis, non enim decidunt illis folia, dicebat* Theophr. *quoniam habent innatam uiscosam humiditatem,ut non posit ita exiccari à calore æstiuo, quòd postea cum superueniat frigus autumnale decidant illis folia sicut alijs decidunt, sicut sunt iuniperi,lauri, cupressus, buxus & tales arbores, ex quibus multæ humiditates exhalant & ita malum reddunt aerem, nam uapores multi humidi immutant maxime aerem, sicut dicebamus in principio huius cap. cum* Auic. *Est & alia causa cur malus est aer in illis regionibus in quibus sunt istæ arbores, quoniam ubi sunt istæ arbo-*

res maximæ, altæ ut iuniperi, cupressusq́; non tamen potest euentari, & propter probibitam euentationē ab illis aer malus redditur. tertia causa est quoniam ubi sunt multæ arbores, sunt multæ umbræ. radius enim solis repercutitur ab illis arboribus quæ sunt solidæ, propterea cum radius ille non poßit peruenire ad istum aerem infimum non purgat illum ex uaporibus commistis, neq; potest concoquere humidum illud superfluum. propter has causas ergo aer fit malus & maxime aptus ad putredinem; hinc est quòd ille prudentißimus Hipp. *& diuinißimus certe, cum esset in Thessalia apud regem, essetq́; eleuata illa maxima pestilentia de qua diximus superius, ut morerentur omnia animalia in quinq; climatibus, uolens seruare suam saltem regionem Thessaliæ, curauit de mandato* Regis *omnes syluas & arbores incidendas statim comburendas. est enim maxime copiosa syluis etiam nunc illa Thessalia, sicut etiam decantant* Poetæ, *& ita saluauit suam solum regionem, cum aliæ in circuitibus perijssent, ex incisione enim arborum illarumq́; combustione maximas & multas utilitates habuit: primo quidem per ipsum ignem exiccauit maxime aerem qui superflue humidus erat, & sic prohibuit putredinem, quando illa fit superfluente humido. secundo cum incidisset arbores quæ prohibebant euentationem aeris, euentandum dedit uentis ipsum aerem, modo ipsa euentatio prohibet putredinem. tertio prohibuit magnam humiditatem ex illis arboribus eleuari, cum illas combußisset, & ideo non poterat ita putre*

fieri

fieri aer. quanta ergo fuerit in illa aeris constitutione prudentia illius diuini hominis, uidetis, prohibuit enim pestilentiam illam magnam in sua regione, in cuius honorem erexerunt postea Thessali statuam auream, propterea malus est aer ubi multæ sunt arbores uiscosæ rationibus dictis. et ubi sunt olera & herbæ. corrumpunt enim aerem illæ quoq;, sed non eo modo quo corrumpunt ipsæ arbores, non enim faciũt umbras neq; minus prohibent euentationem aeris, sed solum propterea quia ex illis eleuantur multi mali uapores, qui commisti cum aere illum corrumpunt, maxime si sint herbæ aptæ ad putrescendum, sicut caulis & eruca. Caulis enim maxime aptus est ad putrefactionem ipsam, scitis enim quomodo sint maxime putrescibiles, nam si decoquantur & decoctum illorum siue & ipsi abijciantur, ut à mulieribus solet fieri, per diemq; ita maneant, uos sentietis teterrimum odorem & putridum, ubi ergo sunt caules ibi malus est aer, & ubi eruca, quoniam putrescibiles ex illis eleuantur uapores putridi, qui commisti cũ aere corrumpunt illum, & arbores malarum complexionum. bene hoc dixit Auic. quoniam ubi sunt arbores non uiscidæ & humidæ, sed malarum complexionum & uenenosæ. Iuglandes enim abijciunt folia propterea non sunt uiscosæ nam ubi sunt faciunt illum aerem malum non quia ex illis eleuentur uapores humidi, sed propter suam pharmacositatem. sunt enim propter illam quodammodo uenenosæ: ultra etiam hoc quòd sunt pharmacosæ, astringunt, modo illæ sunt peßimæ

quo

quo ad ipsum aerem bonum. præter iuglandes sunt eiusdem rationis & peiores nuces, maximam enim pharmacositatem & uim adstringendi habent, sunt et ficus. habent enim & ipsi uim pharmacosam. quòd sit uerum experiri potestis. si enim accipiatis illarum lac & imponatis in patina per unam uel duas dies postea de illo parum sumatis & inungatis aliquam partem uestri corporis, uidebitis quantum erodet & faciet illam partem eleuari in tumorem & rubedinem maximam excitabit. Amplius addit Auic. (& foliati) *isti dicũt foliatũ esse ipsum cyperum, sed decipiuntur, quoniam cyperus non est altus immo nascitur in ripis paludum, & paruus caule, neq; est uiscida neq; agit sua pharmacositate in aerem sed potius intelligendum est per foliatũ cypressum nõ cyperum, isti enim pro cypresso acceperunt cyperum sed decipiuntur quoniam cypressus corrũpit aerem propter omnes causas quæ dictæ sunt, est enim altißima arbor, quod non solum confessus est* Theophr. *sed etiam* Pli. *deinde subiungit* Auic. (Et propter hoc &c.) *non solum non oportet quòd misceantur mali uapores in aere, qui debet esse bonus facientes illum obscurum sed etiam oportet quòd euentetur. ista enim est secunda causa quam dat* Auic. *cum enim non euentatur, aptus est magis ad putredinem, oportet quòd in illo semper sit aura sufflans, sicut superius diximus nos.* Nam *si recte meministis dicebamus superius q̃ uenti omnes sunt ex eadem materia scilicet calida & sicca, sed secundum quòd transeunt per regiones diuersas,*

uersas, capiunt quoq; diuersas qualitates, propterea dicimus austrum esse humidum, quoniam transit per mare magnum, ideo humectatur. Boream quinetiam *dicimus esse siccum, quoniam descendit per* Germa*niam & montes, ideo infrigidatur et humiditas exprimitur siccusq; relinquitur.* Auster *quidem malus,* Bo*reas uero bonus. propterea dixit* (oportet aerem sufflari uentis deuenientibus ex alta terra.) Bor*eas enim ut dixi descendit ex montibus altis* Ger*maniæ.* (Et aer hic non est &c.) *Cum Auic. dixerit illum bonum aerem & malum ratione uaporũ illi commistorum & euentationis, modo subdit quomodo debet esse bonus ratione situs ipsius, neq; enim debet esse in terra profunda & sit facile alterabilis, modo ad hanc modo ad illam qualitatem non conseruans diu unam ex illis, præterea dicit quomodo aer bonus est in domo existens & qui malus, nam ille malus est qui quidẽ est in domo non noua quæ habeat parietes de nouo coloratos. primo quidem non sint de nouo fabricati propter ipsam calcem, nam propter illam aer corrumpitur, ex illa enim eleuantur uapores multum inficientes aerem ipsum, neq; sint colorati coloribus ijs quibus solent colorare * de nouo puta depicti cinnabari, & talibus coloribus rubeis, sicut illo suo selergi. erat enim sicut apud nos color ille cinnabaris. propterea cum de nouo sunt picti parietes ipsius domus eleuantur ex illis uapores mali, qui multum offendunt nostra corpora. itaq; quandoque etiam possunt suffocari homines, proptereaq;*

astrin-

astringunt illi colores et calx ipsa adurit ultra hoc q astringit, neq; sint parietes ubi sit fumus ex carbonibus. hic Domini *essent multa diceda, sed propter breuitatem temporis dimitto.* Epilogat *postea* Auic. *omnia illa quæ hactenus dicta sunt de mutationibus aeris quàm breuissime. Cum autem iam me rogastis ut inciperem tractatum de pulsibus, præparetis uos optime, quoniam incipiemus cras dicere aliquid de pulsibus, qui est tractatus nobilissimus & difficillimus, ubi dicit* Auic. *Pulsus est motus receptaculorum, etc.*

LECTIO LXI.

IAM *ex his quæ in superioribus dicta sunt à nobis credo manifestum esse potuisse, quemadmodum ad medicum attinet uersari circa tria illa. circa causas, dispositiones, & accidentia, omnis enim medica consideratio est circa nihil aliud quàm ista tria prædicta, nihil considerat medicus nisi ista tria, & si quædam alia uideatur speculari præter ista, sciatis quòd omnia illa de quibus considerat præter ista reducuntur ad illa tria, & ita præter illa nihil considerat, ratio autem huius est quoniam cum subiectum habeat ipsa medicina considerandum de illo considerat quatenus illius passiones considerat & speculatur. modo ista tria sunt affectiones & passiones sui subiecti, & rationes formales illius, circa quod uersatur medicus. sed aduertatis quoniam circa ista tria uersatur tum natura ipsa, tum doctrina, tum ars, sed circa illa alio modo procedit natura, alio modo doctrina, alio ipsa*

ars,

ars. nam natura incipit procedendo ſuo modo ab ipſis cauſis; ſecundo à diſpoſitionibus, tertio uero ab accidentibus. à prioribus enim & notioribus nobis ſemper natura procedit: modo ipſæ cauſæ ſunt lõgæ priores natura quàm diſpoſitiones & accidentia, propterea ab illis incipit deſcendendo ad diſpoſitiones ut tandem deueniat ad ipſa accidentia. ars autem & medicus operans procedunt oppoſito modo huic ipſius naturæ: incipiunt enim in ſuo proceſſu à notioribus nobis & prioribus nobis, poſterioribus autem & ignotioribus natura: modo ſigna ſunt longe priora & notiora nobis quàm diſpoſitiones, & quàm cauſæ. hac de re ars incipit ab accidentibus procedendo ad diſpoſitiones: poſtremo deueniendo ad ipſas cauſas. diuerſo ergo modo procedunt & natura et ars. nam ipſa natura à notioribus, natura. Ars uero ab ignotioribus natura, notioribus uero nobis. primo ergo ars incipit ab accidentibus tanquam nobis notioribus, poſtea à diſpoſitionibus tanquam notioribus cauſis. Poſtremo de cauſis diſputat tanquam ignotioribus nobis & poſterioribus. Doctores autem qui docent ipſam artem neq; procedunt eo modo quo procedit natura, neq; procedunt eo modo quo ars, ſed medio quodam modo, ſunt enim medij in procedendo inter utrunq;. ideo neq; primo incipiũt à cauſis ſicut natura incipit, ſed neq; ab accidentibus ſicut incipit ipſa ars, ſed ab eo quod eſt medium inter utrunq;. primo enim incipit à diſpoſitionibus ipſis, ſecundo procedit ad cauſas, tertio deuenit ad accidentia, non enim poteſt incipere

primo

primo a causis uel ab accidentibus, quoniam neq; causarum, neq; accidentium doctrinam potest habere nisi prius cognoscat doctor illam rem, cuius sunt illæ causæ & accidentia, modo causæ & accidentia de quibus speculatur, sunt causæ & accidentia ipsarum dispositionum, ideo oportet primum illum speculari de dispositionibus, quibus cognitis deueuit ad doctrinam causarum istarum dispositionum. tertio uero ad ipsa accidentia consequentia tales dispositiones. illæ enim dependent a dispositionibus per causas ipsas causantes dispositiones. hic ergo est ordo doctrinæ, ut primo incipiat a dispositionibus, secundo descendat ad causas, postremo deueniat ad ipsa accidentia: quem ordinem Auic. cum doceret, uoluit seruare in hac tota secunda Fen, in qua nihil aliud considerat præterquam illa tria. primo enim pertractauit de dispositionibus ipsius corporis humani quod est suum subiectũ: secundo de causis: postremo de accidentibus. Nos autem illum exponentes primum quidem tractatum de dispositionibus, siue primam doctrinam perfecimus, ut nihil penitus reliquum fuerit de illis, doctrinam autem de causis ipsis, quæ secunda erat ordine non perfecimus. Incepimus quidem & dedimus omnes differentias ipsarum causarum. Cumq; tractaremus de causis ipsis inter quas principalis & summa erat ipse aer, propterea de ipso tractauimus de illiusq; natura & substãtia disputauimus satis. sed cum longa esset illa materia, & facilis etiam ut uere loquar, propterea illam partem uobis perlegendam di
misce

miſeramus, poſtea tractaturi de alijs cauſis conſequẽtibus. ſed cum etiam illa longa & facilis eſſet pars, decreuimus uenire ad ipſa accidentia ueſtro etiã conſilio et potius ueſtro impulſu, ſi uere loqui debeo. præſupponatis ergo quòd ſumus tractaturi de ipſis accidentibus, quorum tractatus & doctrina tertia eſt in ordine ſicut iam dictum eſt: Circa quod debetis animaduertere ac recte conſiderare quòd ipſa accidentia ſunt in duplici differentia. i. accidentia ſunt duplicia, alia quidem naturalia, alia autem contra naturã; contra naturam quidem ſunt plurima, ſicut dolores, tumores, & alia huiuſmodi, quæ conſequũtur aliquã malam diſpoſitionem, & ægritudinem aut complexionem malam, aut malam compoſitionem, aut continuitatis ſolutionem. naturalia uero accidentia ſunt illa, quæ conſequuntur ipſam bonam diſpoſitionem, ſcilicet ſanitatem, & cum illa diſpoſitio bona eſt, accidẽtia quoq; illam conſequentia ſunt bona & naturalia, quæ tamen mutata illa diſpoſitione, mutatur atq; uariatur, ſicut ſunt ipſæ actiones, nam dum ſanitas eſt in corpore, naturales ſunt actiones, immutantur autem illa quoq; mutata ſicut ſunt pulſus exeuntiaq;. Cum ergo Auic. iam tractauerit de ſignis & accidentibus conſequentibus ad ipſas diſpoſitiones malas, indicantiaq; illas, nunc modo uult tractare de accidẽtibus ijs quæ ſunt naturalia, tamen immutantur ſecundum q; diſpoſitiones immutantur. inter quæ ſunt ipſæ actiones. de actionibus ergo uult in præſentia incipere, quæ mutantur diuerſimode & cum inter illa ſint ipſi

pulſus

pulsus, propterea de pulsibus tanquam principalibus accidentibus & signis tractat in primis, postea tractaturus de ipsis exeuntibus immutatis, de urinis scilicet & alijs. tractabimus ergo nos primo de pulsibus. antequam autem agamus de illis, primo debemus facere illud quod faciunt omnes boni doctores, ut declaremus quid intelligamus per pulsum. Sciatis ergo quòd pulsus est quædam actio facta a calido propter suum finem, nam quodcunq; agens naturale agit propter finẽ, natura enim nunquam agit aliquid frustra, sed semper ad finem tendit, sed quoniam finis unus solum non est propterea distinguendum est. dico enim quòd finis duplex est, alius est uniuersalis, alius particularis. quælibet enim actio est propter aliquẽ finem. actio ergo uniuersalis habet finẽ uniuersalem, actio autem particularis habet finem particularem, sed omnis actio est ab aliqua facultate, sed diuersarũ facultatum diuersa sunt obiecta secundum Aristot. in secundo lib. de anima. primò sunt obiecta, secundo ipsæ facultates, postremo actiones. quot ergo erunt fines uniuersales, tot erunt etiam actiones uniuersales, tot enim sunt fcultates, est autem unus finis uniuersalis ut animal sit, & habeat essentiam, & iste finis est finis necessitatis absolutæ, ita enim dicitur, neq; enim posset existere ipsum animal nisi haberet essentiam finis, ergo unus est essendi. actio autem quæ refertur ad hunc finem est ipsa essentia, ista autem essentia ipsius animalis est ipsa uita: dum enim uiuit existit. Vita ergo erit uniuersalis actio ipsius animalis

ad

ad finem dictum, scilicet ad esse. Cum ergo esse sit finis ipsius actionis, & unaquaque actio denominatur a fine, propterea cum esse ipsius animalis sit uiuere, actio tendens ad hunc finem uiuendi dicitur uita. iste est unus finis uniuersalis qui habet actionem suam uniuersalem; sed quoniam materia est pars ipsius essentiæ, & materia ipsius animalis est ex contrarijs, contraria autem in se inuicem agunt, & propterea materia diminuitur, ideo finis secundus uniuersalis est ut conseruetur ipsum animal in uita: non potest autem conseruari, nisi materia semper subsistat, & cum diminuatur semper oportet aliam restaurari, quæ quidem non restauratur nisi per nutritionem, quare istæ erit unius finis animalis, ut scilicet nutriatur. huius autem finis uniuersalis actio est nutritio ipsa, & iste finis nutriēdi est finis necessitatis consequentiæ, non autem absolutæ, sicut est finis essendi. necesse enim est si animal debet existere longo tempore, ut nutriatur, sed quoniam ut dixi omnis actio habet suam facultatem, propterea oportet ut inueniamus facultatem uniuersalem a qua depēdeat ista actio prima quæ uita appellatur. facultatem autem istam de necessitate absoluta agere oportet, sicut suus finis est de necessitate absoluta. oportet etiam ut inueniamus facultatem a qua dependeat secunda actio nutritionis, quæ quidem agat de necessitate adhærendi, sicut suus finis est de necessitate adhærendi. Quo ad ergo primam actionem omnes ferè supponunt tanquam suppositum certum quòd illa actio uitæ non sit a facultate naturali, non ab animali, sed relinquitur quòd fiat a uitali.

Vitalis ergo facultas est illa, quæ agit huiusmodi actionem uitalem. Cum hoc uideritis, debetis postea ulterius procedere & uidere quemadmodum uita nihil aliud est quàm quædam actio ipsius animalis in partibus quæ uiuunt, sed quoniã illæ partes quæ uiuunt nõ sunt similares neq; simplices & uniformes, uita autẽ si debet esse in illis omnibus cum sit una & uniformis, oportet quòd sit in aliquo communi, quod quidem sit in omnibus illis partibus: modo ubi est una facultas, anima est quoq; ibi, modo anima indiget instrumento aliquo ad exequendas suas actiones, sed facultas uitalis est pars animæ, propterea oportet illam agere suo instrumento, quoniam anima est actus corporis physici organici, propterea opus est illi instrumento per quod agat: actio autem illius facultatis cum suo instrumento est ipsa uita, quæ quidem erit actus illius instrumenti quod est ipsum cor secũdum ipsum Arist. ponit enim cor principium omnium membrorũ in quo sit sedes & domicilium ipsius animæ in quo generatur instrumentum, etiam proprium huius facultatis uitalis idest spiritus qui omnibus partibus corporis communicatur. propterea quoq; uita illis communicatur. Vtrum autem cor sit principium totale ipsius corporis, in quo consistat anima, non est certum, sed est maxima lis inter medicos et philosophos: quam quidem quæstionem nunc non est persequendũ à nobis, sed relinquamus illam aliàs disputandam. Spiritus ergo est instrumentum facultatis illius uitalis, quoniam illa non potest agere sine proprio instrumẽto. omne enim agens naturale agit per aliquod instrumentum.

mentum. Cum autem istæ spiritus sit naturæ igneæ, & maxime feruescens, oportet quòd refrigeretur, alioquin consumet seipsum sicut latißime declarauimus in superioribus nostris lectionibus. scitis enim q nullum actu corpus calidum potest stare sine euentatione & refrigeratione aliqua, ut ergo spiritus ignei euententur aer inspiratur, qui quidem sit actu frigidus respectu ipsius spiritus, alioquin non refrigeraret. ut ergo inspiraretur aer frigidus propter euentationem spiritus, & iterum expelleretur ut purgaretur spiritus ab excrementis illius, oportuit naturã prouidere de aliquo instrumento. quoniam omnis actio naturalis perficitur per aliquod instrumentum. natura ergo prouisit de instrumentis per quæ fieret attractio illius aeris, & dedit animali asperam arteriam: & cum spiritus sint in corde, oportuit instrumenta ipsa per quæ attraheretur aer frigidus esse cõtinuata cordi. antequam autem trahatur aer ad cor oportuit ipsum præparari & purgari, alioquin suffocaretur spiritus. prouidit propterea natura sagax de pulmone in quo præparetur aer, cum ad illũ prius attraheretur et alijs partibus deseruientibus ad respirationem, de quibus nunc non est pluribus tractandum. cum autem cor non solum non habeat spiritum, sed etiam aliæ partes, ita quòd ille diffusus est per omnes partes corporis, hac de causa natura formauit illas arterias. nam ipsa natura nunquam deficit in necessarijs, cum neq; superflua sit in non necessarijs. formauit ergo arterias per uniuersum corpus tendentes. Quid habetis modo ex hoc discursu? Dico

quod habetis quemadmodum est unus finis uniuersalis essendi, scilicet animal, cuius finis actio est uniuersalis, ipsa scilicet uita, quoniam esse ipsius animalis & uiuere qui est finis, sed quoniam omnis actio dependet a facultate, propterea est facultas uitalis quæ producit hanc actionem: & ubi facultas ibi anima, illa autem est actus corporis physici organici, propterea si in illo toto esse debeat, oportet quòd habeat unum instrumentum, idest spiritum ipsum qui sit in omnibus partibus corporis, sed quoniã ille maxime calidus est, propterea oportuit illũ euentari, alioquin seipsum consumeret, ideò natura prouisit de inspiratione ipsius aeris frigidi, & ut attrahatur, opus est instrumentis ad quaslibet partes corporis, ideo natura formauit ista instrumenta, scilicet ipsas arterias, per quas attraheretur aer ad infrigidandum spiritum in illis existentem. sed si spiritus per omnes illas manare deberet, cumq; ille primo in corde sit, in illoq; generetur, propterea oportuit ipsa instrumenta esse ipsi cordi cõtinuata, arteriæ ergo continuatæ sunt ipsi cordi. sed si trahi debet aer ad refrigerationem ipsius spiritus, dico quòd tria requiruntur necessario. requiritur enim facultas ipsa, alioquin nõ fieret actio sicut dictum est; requiritur instrumentum ipsum. i. arteria. ultra ista duo requiritur ipsa necessitas attrahendi illum aerem. ista tria necessario requiruntur ad ipsam inspirationem aeris et actionem istam quam uocamus pulsum; fiunt enim eodem modo. Arteriæ quidem ut dixi continuantur ipsi cordi, quoniam illud est principium in quò consistit ipsa facultas uitalis, et

ipsi spiritus qui est illius instrumentum. causæ ergo intrinsecæ & contentiuæ, ut loquamur recto modo secundum Gal. ipsius pulsus sunt tres, necessitas pulsandi ut euentetur spiritus igneæ naturæ, facultas ipsa uitalis, tertio & ultimo ipsum instrumentum. Cum ergo istæ sunt causæ necessariæ & contentiuæ & intrinsecæ ipsius pulsus per iam dicta. modo contentiua causa per superius dicta à nobis cum de illa loqueremur est illa qua posita ponitur suus effectus, remota remouetur. sequitur ex illis quòd quotiescunque unum ex illis remouetur & deficit, statim quoq; remouetur & deficit pulsus. non enim fiet pulsus si remanente facultate & instrumento tollatur tamen necessitas pulsandi: amplius remanente necessitate pulsandi & facultate integra existente, instrumento tamen læso statim pulsus læditur, remoto remouetur, eodem modo dicamus de facultate, quoniam etsi remoueantur solum facultates existentibus adhuc instrumentis & necessitate stante pulsandi statim remouetur pulsus. Quare quodcunq; istorum solum sublatũ tollit pulsum, quanto magis postea cum fuerint simul duo uel omnia ablata, quodcunq; etiam istorum mutatur, mutatur quoq; pulsus, multo magis si omnia simul mutantur, mutantur autem per causam lædẽtem aut propter gaudium, aut propter ægritudinem, aut timorem, aut spem, aut amorem, & huiusmodi accidentia animi. propterea per mutationem illorum pulsuum medici cognoscunt intrinsecos affectus corporis & ipsius animi, quos quidem ut cognosceremus per huiusmodi mutationes facta fuit ars & constitu-

ta, quæ dicitur ars cognoscendorum pulsuū, quæ quidem indiget medico & exercenti diligentißimo: ita enim est nobilißima ista ars, ut cognoscantur quoque ipsi affectus animæ. quid magis ergo laudandum & honorabilius? sicut est illud famosum exemplum Erasistrati medici diligentißimi et perspicacißimi, qui quidem per pulsum cognouit filium ipsius Seleuci amare nouercam suam. Cum ergo negocium medici est ut cognoscat ipsas paßiones intrinsecas corporis & animæ, quandoq; mutationes omnesq; humanos affectus tum præsentes tū futuros cognoscere quærimus nos dico q, medicus quatenus medicus non respicit ad futuros affectus, sed solum præsentes, quoniam medicus quatenus habet sub sensu ipsos cognoscit, quæ autem paßiones sensui illius non subijciuntur, nihil curat. sed quoniam non possumus cognoscere ipsos affectus nisi cognoscamus illorum causas, propter quas facti sunt, illæ etiam cognoscuntur per ipsum pulsum, propterea debemus nos cognoscere pulsus, qui neq; possunt cognosci nisi eius quoq; causæ sciantur. quomodo enim cognoscemus pulsum nisi cognoscamus à quibus causis fiant? propterea nos qui sumus tractaturi de pulsibus oportet considerare de causis illorum tam intrinsecis quàm extrinsecis. Intrinsecas uoco illas tres contentiuas, extrinsecas uero alias quascunque, quæ multæ sunt. dignum ergo erit & necessarium considerare de illis causis si doctrinam pulsuum habere uolumus, sed etsi cognosceremus causas illorum, & non sciremus modum tangendi, et cognoscēdi pulsus, nihil haberemus: propterea oportet quoque

que

que habere modum tangendi illos, quomodo detinendum est brachium, & quomodo digiti. sed etsi haberemus doctrinam causarum & modum tangendi & cognoscendi, uanum esset, nisi cognosceremus quoq; differentias ipsorum, propterea oportet quòd cognoscamus & consideremus de differentijs pulsuum, ita quòd primo tractabimus de differentijs pulsuum: secundo de modo & arte tangendi pulsus; tanguntur enim arte. tertio de causis pulsuum, ita q, illud quod ultimo per resolutionem inuentum est erit primum in compositione & ordinatione ipsius doctrinæ. uidete quomodo deduxit nos ille diuinus Gal. per bonam & rectam resolutionem, ut postea ultimũ illius esset primum in tractatione. cum ergo primo sit considerandum de differentijs pulsuum Gal. pertractans de pulsibus, dansq; nobis doctrinam illorum facit primo tres lib. de differentijs pulsuum; de cognoscendis autem per artem ipsis pulsibus condidit alios 4. lib. & 4. de causis ipsis pulsuum. & hoc modo nos quoq; pertractabimus. hoc autem erit uobis tanquam argumentũ quoddam in illos lib. Gal. legatis illos & uidebitis quãtum auxilij attuli uobis cum hoc meo discursu, & ita adiuui uos, ut etsi non essent lib. Gal. possetis alios ferè similes condere. His præsuppositis, accedamus modo ad tractatum de pulsibus. & in hoc nos sequemur ordinem ipsius Auic.

LECTIO LXII.

CIRCA materiam de pulsibus in præcedenti nostra lectione ostendimus multa uia & methodo quadam breuissima cum inueniremus illius principia &

causas, uolentes habere perfectissimam hanc doctrinam pulsatiuam, ut ergo omnia illa quæ dicta sunt, quæ fuerunt tanquam præludium & declaratio omnium dicendorum in hoc tractatu breuiter succingā, dicamus quòd antiquiores nostri primates & patres huius artis cum uellent inquirere cognitionem pulsuum à notioribus incipiebāt, ut illorum principia inuenirent à quibus illi dependent, & propterea primo uidebant motum quendam in toto corpore humano continuum, hancq; solum communem notionē habebant primo nullam aliam inquisitionem cognitionē possidentes, quem motum communi etiam quadam notione nominarant pulsum. Cum autem ulterius procedere uellent quo perspicacius & distinctius uiderent modum istius motus, qūo fit & à quibus principijs & causis fiat, uiderunt ac iudicarunt illum motū continuum ac manifestum esse actionem ipsius animæ, tanquam causæ efficientis, nam uidebant secundum quòd illa mutatur ad diuersas dispositiones, pulsum quoq; mutari, eiq; consentire. inuenerant ergo isti optimi Antiqui principium efficiens, quod est ipsa anima, ulterius inuestigantes cum anima sit efficiens ipsius pulsus, & anima non agit sine instrumento sicut sæpius audiuistis, nam ipse quoq; ego sæpissime retuli id ultra hoc quòd ille Aristot. fatetur cum dicit animam esse actum corporis physici organici: per hoc enim possumus dicere animam non posse operari nisi instrumento adiuta: inuenerunt ergo isti optimi uiri instrumentum quo utitur anima in peragendo isto motu; & adhuc magis perseuerantes cum omnis actio fiat

fiat ratione alicuius finis, quia natura nihil agit frustra, nihil inconsulto, sed omnia perficit propter aliquem finem, sicut declaratum est in physicis, ubi etiam propter hoc distinguũt illa quæ fiunt natura, ab illis quæ fiunt casu & fortuna, quoniam quæ fiunt natura fiunt propter aliquem finem, quæ uero fiunt casu & fortuna non. Cum ergo pulsus sit actio ipsius animæ, quæ perficitur ab illo mediante instrumento isti antiqui cum inuenissent instrumentum uerterunt inquisitionem suam ad finem, propter quem factus est iste motus. inquisiuerunt ergo instrumentum, & perquirentes inuenerunt primo pulsum qui est actio facta, deinde animam quæ illam facit, tertio ipsum instrumentum quo anima facit istum motum: quarto & ultimo ipsum finem propter quem fit iste motus. sed cum illi adhuc magis inquirerent cognitionem huiusmodi actionis usque ad intima uolebant uidere quæ actio sit ista pulsus. Cum autem hoc intenderent, primo uidebant genera actionum esse tria, nam aliæ sunt actiones naturales, aliæ animales, aliæ uitales. quæ quidem nobis quoq; manifestæ esse debent. non enim oportet in uno loco omnia perquirere, sed singula suis locis conuenientibus. hoc sciatis quascunq; actiones quæ peraguntur in hoc nostro corpore reduci ad illas tres. Cum ergo per discursum iam factum isti uiri inuenissent illa quæ dicta sunt magis perscrutantes uoluerunt uidere sub quo genere sit reponenda ista actio animæ, an sub naturalibus, an sub animalibus, an sub uitalibus, & hoc modo sunt ratiocinati. pulsus non est sub actionibus naturalibus, non

sub animalibus, ergo relinquitur ut sit sub ipsis uitalibus. Nam monstrabant quòd non sub naturalium genere, minus sub genere animalium, nam primo si sub naturalium genere aut pulsus est actio facultatis attractiuæ, aut expulsiuæ, aut concoctiuæ, aut retentiuæ, non sub aliquâ istarum actionum potest reponi. ergo non est actio naturalis neque animalis, quoniam non fit uoluntate, neque enim possunt homines retinere cum uolunt ipsum pulsum, neque enim actio istà est aut cognitionis aut rationis, aut imaginationis, aut alicuius cognoscitiuæ facultatis interioris non memoratiuæ non cognoscitiuæ, neque est actio cognoscitiuarum facultatum exteriorum, neq; uisiuæ potentiæ, neque tactiuæ, neque auditiuæ, neque alicuius alterius. ergo non est actio animalis. relinquitur ergo ut pulsus sit actio uitalis facultatis, quæ quidem facultas sita est in corde. tria enim sunt membra principalia corporis humani, in quorum singulis consistit principium illarum trium actionum dictarum. in cerebro reponimus animalem ipsam uirtutem, in corde uitalem, in hepate naturalem. in corde ergo principaliter est actio uitalis, quoniam in illo est principium facultatis quoque uitalis, propterea dicimus cor esse illud quod primo & per se & principaliter uiuit. quare in corde uiget maxime uitalis facultas, & actio, merito ergo illi antiqui adiudicarunt isti facultati uitali instrumentum principale ipsum cor. cor ergo erit instrumentum principale, quo fungitur illa facultas uitalis in motu pulsandi, sicut ostendebamus quoque fusius & latius in superiori

riori nostra lect. in qua ista fecimus clariora. primum instrumentum pulsus. i. quo perficitur pulsus est cor: secundum uero & minus principale sunt ipsæ arteriæ, quæ quidem etiam nascuntur ab ipso corde: hoc enim ratione quoque ipsa, & ex natura rei conuincitur, quoniam si uerum est q̃ facultas uitalis sit principium huius actionis, quæ principaliter utitur ipso corde tanquam instrumento, opus est si per totũ corpus fieri debet huiusmodi operatio, ut sint quoq; instrumenta particularia plura, quæ si debent esse instrumenta, oportet ut seruiant illi facultati uitali. non possunt autem illi seruire nisi illa participent. illa autem participare non possunt nisi à corde illis attribuatur. merito ergo arteriæ sunt coniunctæ ipsi cordi & ab illo oriuntur. quoniam sunt instrumenta illa particularia tendentia per uniuersum corpus humanum. ista ergo duo instrumenta inuenerunt tum cor quòd est principale tum arterias quæ sunt minus principales, sed cum inuenissent ista instrumẽta quæ sunt gratia alicuius finis, & illam actionem pulsandi quæ propter aliquid fit, propterea adhuc inquisiuerunt ipsum finem qualis sit. Cum enim in corde generetur calor naturalis & innatus nobis & ipsi spiritus actu calidi & feruentes, modo scimus & probatum est quoq; aliàs superiusq; à nobis repetitum est, corpus calidum actu indigere refrigeratione, alioqui se ipsum extingueret ac interimeret nimium efferuescens, ideo oportuit ipsum spiritum actu calidum refrigerari. refrigeratur autem per attractionem ipsius aeris actu frigidi, attrahitur autem iste aer per inspirationem ipsam, & motum quem pulsum appellamus. Quare iste finis est ipsius pulsus & instrumentorum, ut euentetur

tur & refrigeretur spiritus actu calidus. Quare iam audiuistis & intellexistis quemadmodũ antiqui illi nostri patres uenerunt in cognitionem ipsius pulsus & principiorum illius & causarum efficientem, isti dixerunt esse facultatem uitalem, instrumentum uero esse cor & arterias. finem autem ut spiritus euentetur qui actu calidus est, & hoc uidens ille Erasistratus *maximus medicus et doctissimus philosophus, qui fuit* Gener Arist. *doctrinæ peripateticæ peritissimus. Cum enim esset gener* Arist. *non est dubitandum quin hauserit quoq; illius doctrinam, paralogismo tamen quodam in hoc fuit deceptus.* Videte *ergo quantum faciunt isti paralogismi, & quantum sunt cauendi, cum magnus uir propterea sit deceptus, uidebat enim ille magnus uir omnia illa quæ à nobis dicta sunt secundum intentionem* Antiquorum, *uidebat inquam causam efficiẽtem pulsus, qui principium habet in corde, esse facultatem uitalem, instrumentum uero esse cor, & arterias finem esse propter calorem euentãdum, qui in corde generatur, tamen dixit postea quòd cum uideamus in ipso thorace duos motus, tum dilationem, tum contractionem, per dilatationem quidem attrahi aerem frigidum ut refrigeret calorem, & ut hanc suam positionem clariorem faceret, dabat exemplum in istis exterioribus sensatis. dabat dico exemplum de folle fabrili, nã dicebat* Erasistratus *follem attrahere aerem cum dilatatur, dilatatio enim est causa immediata ipsius attractionis aeris, nam si interrogatus fuisset ab aliquo respõdisset sine dubio sicut dictum est. si quis inquam diceret cur follis attrahit aerem, respondisset quoniam dilatatur, sic quoq; dicebat, dicendum est in thorace, qui est tanquam follis attrahens aerem,*

aerem, attrahit enim aerem quoniam dilatatur, propterea per dilatationem isti dicebant aerem attrahi, & attrahit aerem thorax quoniam dilatatur, sed in arterijs postea non eodem modo se habet. dicebat hic homo, neq; est eadem ratio in attractione aeris & dilatatione, immo tota penitus ratio contraria est, nam illæ dilatantur, quia replentur ipso aere & spiritu, ideo repletio est causa immediata dilationis, non autem è conuerso, sicut erat in superioribus, nam ibi dilatio erat causa ipsius attractionis, quoniam enim dilatatur Thorax *aer attrahitur, hic uero quoniam arteriæ replentur ideo dilatantur, ideo dicebat aliquid repleri dupliciter, uno quidem modo cum dilatatur & attrahitur aer, sicut contingit in thorace, alio autem modo cum aere repleatur, sed non quoniam dilatetur, imo dilatatio sequitur ipsam repletionem in hoc casu, sicut contingit in ipsis arterijs, quæ quidem dilatantur, quoniam replentur, follis autem fabrilis repletur quoniã dilatatur sicut et thorax.* Iudicabat *ergo hoc modo* Erasistratus *de dilatatione ipsarum arteriarum, nam cum dilatatur thorax repletur illa concauitas cordis aere & regeneratur spiritus, sicq; cor transmittit postea illum per illas arterias quæ sunt illi continuæ.* Videte *ergo quantum fuit necesse continuare arterias ipsi cordi, sicq; cum arteriæ repleantur illo, dilatantur, & cum exinaniuntur spiritu cum in illas a corde non transmittatur cõstringuntur. hac de causa motus est* Erasistratus *maximus homo ad dicendum repletionem esse causam dilatationis arteriarũ, cum tamẽ dilatatio sit causa repletionis postea ipsius thoracis, sed fuit deceptus & magna fuit deceptio istius uiri cum diceret hæc, immo si in rei ueritate*

tate uolumus loqui, uidebimus q; eadem penitus est ratio in utrisq; tum in arterijs, tum in thorace, quemadmodum posteriores postea demonstrarũt rectißime, Archigenes scilicet & Herophilus, denique ille maximus Gal. qui totam hanc artem medicam perfecit. nam dicunt isti quòd eo modo dilatatio in arterijs est causa repletionis, sicut & in thorace, ambo enim habent duos motus dilatationẽ & constrictionem, in hoc tantum differũt, quoniã motus ipsius thoracis euentat ipsum cor, q; postea causa est motus efficiens. s. ipsius motus arteriarum, cum in illo sit facultas uitalis illa quæ est efficiens pulsum, nam secundum dispositionẽ illius facultatis motus ipsius pulsus mutatur; nã sicut supra ostendimus sunt tres causæ contentiuæ pulsus, facultas, instrumentum, & finis. quorum singulis solis mutatis mutatur quoq; iste motus pulsandi. Ista superius declarata sunt, neq; oportet amplius illa repetere. habeatis saltem pro firmo, q; pro mutatione uaria ipsorũ mutatur quoq; pulsus. uultis hoc uidere? et uultis credere ueritati? uideatis ipsum Auic mirabilem certe hominẽ in hac arte pulsatiua, qui qu d m in hoc cap. docet nos artem tangendi pulsus. dicit q;, (Debemus tangere solũ illos qui sint liberi omnib. affectibus extraneis, ut dolore, mæstitia, gaudio magno aliquo, & si sunt illis affecti, oportet nos expectare quo ad liberentur,) *ratio est quoniã non possemus cognoscere affectum quem quærimus, nam mutantur pulsus secundũ quòd disposita est ipsa facultas. Cuius signum quàm manifestum illud est q; ille idem Erasistratus maximus medicus et ĩ hac arte peritißimus, de quo paulo ante loquebamur, qui erat medicus Seleuci regis per tactũ pulsus sui filij,*

cognouit

cognouit illũ amore esse captum nouercæ uxoris Regis, quoniam mutatus est maxime pulsus secundum affectũ et passionem ipsius cordis, amor.n. maxime afficit illam facultatem & cor ipsum. quid enim aliud est amor q̃ affectus quidam cordis? Quapropter nobilissima ars fuit existimata hac de causa, quoniam cognoscimus per illam affectus ẽt ipsius animæ, fuitq; inuẽta eo modo quo dictum est ab antiquissimis patribus, ut discursu nostro iã patefactũ est adamussim: sed non ita breui tpe fuit perfecta, immo paulatim paulatim, & per longã ætatem inuenta est, per longum tempus, et experimẽtum multorum dignissimorũ medicorum. Vnde primo erat parua ista ars, & quidem rudis, postea paulatim a singulo quoq; illustri medico & philosopho illustrata & dilatata. q̃ sit uerum hoc patet, quoniã erant in principio antiqui illi ignari et rudes in illa, & ita rudes ut parum quid scirent de hac, scirent tñ aliquid sed proportione habita ad præsens tempus in quo est perfecta, poterant dici nihil scire magis, tamen succedente tempore fuit ampliata & intellecta. Erant.n. antiqui alij qui pulsum hunc dicebãt esse palpitationem quandã ipsius cordis. Alij autem quid aliud esse imaginabãtur, quæ quidem opiniones cũ sint q̃plurimæ et uanæ inanesq; huic nostro negocio, cum debeamus docere ueritatẽ, propterea nolo illas uobis referre cum ẽt uobis tædio essem, neq; oportet in his cõsumere tempus, cũ sint omnino medico inutiles, nunc si quis tñ curiosus potius uoluerit & desiderauerit oẽs illas habere, ille uideat 4 lib. Gal. de different. pulſ. & ibi uidebit, habebitq; Gal. recitantẽ omnes illas adamussim usq; ad satietatem, & ut ita dicam etiam ad ipsum fastidium. Cum autem nos quæramus solum do-

ctrinam

ctrinam huius artis rectam perfectam et uerã, non habemus inquirere uana, ideo illis relictis curiosis ueniemus ad ipsum Auic. quẽ sequemur in nostris lectionib. doctißimus autẽ est hic homo in ista parte et peritißimus, certe, breuis quo ad fieri potuit, ut nihil magis. propterea Aui. tractãs de pulsib. in hoc cap. 1. huius summæ immo in illa tota intendit duo, primo dare differẽtias pulsuum omnes, secundo uero ille inuestigabit & inuestigat quæ quotque sunt causæ ipsarum differẽtiarum pulsuum, tã naturales quàm præter naturam, naturales. n. sunt aliæ causæ puls. sicut uidebimus, ut complexio, ætas tempus anni, alius est enim pulsus iuuenis, alius ipsius senis, alius tpe æstatis, alius uero hyeme. cibus & potus ẽt sunt causæ naturales mutantes pulsum, alius est. n. pulsus ante cibum, alius post cibum, et aliæ causæ quæ numerabuntur. Præter naturã *autem sunt quoq; causæ differentiarum puls. ut dolores ægritudinesq;, nam mutatur maxime pulsus, alius est. n. pulsus in sanitate, alius in ægritudine* Quare *quo ad primum dicimus q, cum* Auic. *uelit primo tractare de differ. puls. primo definit in hoc cap. pulsum, & dat illius quiddi tatem, quid. s. sit pulsus. secundo cum dederit definitionẽ illius diuidit in partes essentiales, tertio docet artẽ tãgẽdi pulsum, qũo detineamus manum, qũo debeat stare æger, quam arteriã tangere debeamus, et reliqua quæ attinent ad hoc, ut discamus tangere pulsum ut illius differẽtias co gnoscamus 4 & ult.* Auic. *dat quascunq; differentias pul suum, usque ad ultimas exquisitißime & doctißime.*
Quare *quatuor* *

F I N I S.